Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
13
16 G
47
~~XX VIII 6~~
Q III 41
535
13 – 12 . B . 24
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

# TRACTATIO
DE
# RESTITUTIONIBUS
TOMUS PRIMUS.

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

# TRACTATIO
DE
# RESTITUTIONIBUS
VENERABILIS SERVI DEI
## BEATI ANGELI CARLETTI
A CLAVASIO PEDEMONTANI
ORDINIS MINORUM REGULARIS OBSERVANTIÆ
SANCTI FRANCISCI
*NUNC*
PRIMO IN LUCEM EDITA, CONGRUISQUE NOTIS ILLUSTRATA STUDIO, ET LABORE
PATRIS FRATRIS HONORII MARENTINI
DE SUMMARIPA NEMORIS
EJUSDEM ORDINIS, ET PROVINCIÆ SANCTI THOMÆ APOSTOLI
IN PEDEMONTIO.
## TOMUS PRIMUS.
BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE
ROMÆ MDCCLXXI.
EX TYPOGRAPHIA PAULI JUNCHI.

*SUPERIORIBUS ANNUENTIBUS.*
Digitized by Google

Digitized by Google

**R** Everendiſſimi P. Paſchalis a Variſio totius Ordinis Minorum Generalis Miniſtri mandato obtemperantes opus inſcriptum -- *Tractatio de Reſtitutionibus Venerabilis Servi Dei B. Angeli Carletti a Clavaſio &c. nunc primum in lucem edita, congruiſque notis illuſtrata ſtudio & labore Patris Fratris Honorii Marenzini de Summaripa Nemoris &c.* cogitate perlegimus, adcurateque luſtravimus. In ipſo vero ne dum quidpiam orthodoxæ Fidei abſonum, aut bonis moribus diſſonum deprehendere fuit; verum etiam omnia juxta ſanioris Theologiæ ac utriuſque Facultatis firmiſſimas ſanctiones ita compte & enucleate conſtituta eſſe comperimus, ut nihil quod ſolide confirmatum non ſit, nihil quod copioſe non ſit explanatum adpareat. Ipſum proinde ceu opus abſolutiſſimum habemus, ac dignum quod inter Illuſtrium virorum monumenta recenſeatur, & quantocyus in publicam prodeat lucem. Datum Aſtæ in Cœnobio S. Bernardini die 8. Februarii an. 1770.

BIBLIOTECA NAZ ROMA VITTORIO EMANUELE

*F. Benignus a Cuneo Sacræ Theologiæ Lector Generalis.*
*F. Balthaſſar a Villanova Sacræ Theologiæ Lector Generalis.*

## FR. PASCHALIS A VARISIO

*Lector Emeritus, Catholicæ Majeſtatis in Regali Matritenſi Congreſſu pro Immaculata Virginis Conceptione Theologus, ac totius Ordinis S. P. N. FRANCISCI Miniſter Generalis, Commiſſarius, Viſitator Apoſtolicus, & in Domino Servus.*

**C** Um Opus, cui titulus eſt. *Tractatio de reſtitutionibus Venerabilis Servi Dei B. Angeli Carletti a Clavaſio Pedemontani, Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ S. Franciſci, nunc primum in lucem edita, congruiſque notis illuſtrata ſtudio ac labore R. P. Honorii Marenzini de Summaripa Nemoris, ejuſdem Ordinis, ac Provinciæ S. Thomæ in Pedemontio Lectoris Jubilati, ac ex-Miniſtri Provincialis*, a duobus Theologis de Ordine Noſtro, quibus id commiſimus, reviſum, & approbatum fuerit, vigore præſentium facultatem eidem concedimus, quatenus ſervatis ſervandis, illud Typis mandare poſſit.
Dat. Romæ ex Aracœli die 13. Martii 1770.

FR. PASCHALIS A VARISIO
*Miniſter Generalis.*

De Mandato Reverendiſſ. in Chriſto Patris
*F. Dionyſius Cajetanus de Poaſco Secretarius Generalis Ordinis.*

A P-

Digitized by Google

# APPROBATIO.

DOctiſſimi V. Viri Angeli Carletti a Clavaſio Pedemontani Ordinis Minorum Regularis Obſervantiæ S. Francisci librum, cui titulus: *Tractatio de Reſtitutionibus* opportunis notis a præclariſſimo P. F. Honorio Marentini de Summa Ripa Nemoris ejuſdem Ordinis illuſtratum juſſu Reverendiſſimi Patris Fr. Thomæ Auguſtini Ricchinii Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtri magna animi voluptate perlegi, Auctorique ſuo illud apprime convenire non dubito, quod legitur Math. 12. v. 52. *Scriba doctus in Regno Cælorum ..... qui profert de theſauro ſuo nova, & vetera*; theſaurum quippe ampliſſimum in ſalebroſo hoc de Reſtitutionibus opere Vir Summus ex utriuſque juris ærario abunde congeſſit, communi utilitati, Confeſſariis potiſſimum aperuit, obſcuriſſimas, ac difficillimas hujus materiæ quæſtiones facile, feliciterque explanavit: uno verbo quidquid in pluribus maximo cum labore invenire fas eſt in hoc uno Volumine comperitur. Quæ cum ita ſint minime vereor, quin ſi tam eximium opus publici juris fiat, prout ſummis votis expetunt Viri plurimi, atque litteratiſſimi, ſuſcipient illud plauſu, & commendatione quotquot ſaniorem profitentur doctrinam.

Id teſtatum faciebam ex Collegio S. Thomæ Aquinatis apud SS. Vincentium, & Anaſtaſium in Trivio.

*Lazarus Mongiardini C. R. M. Provincialis, S. Theologiæ Lector Emeritus, atque S. Rituum Congregationis Conſultor.*

AP-

# APPROBATIO.

IN Libro, cui titulus: *Tractatio de Reſtitutionibus Ven. Servi Dei Beati Angeli Carletti a Clavaſio Pedemontani Ord. Min. Regularis Obſervantiæ Sancti Franciſci &c.* quem ex commiſsione Rm̃i Patris Fr. Thomæ Auguſtini Ricchinii Sac. Pal. Apoſtolici Mag. attente legi, dubia ad perdificilem de Reſtitutione materiam ſpectantia abſque verborum apparatu doctiſsimus Ven. Vir nitide proponit, ſolvitque validiſsimis ex utroque jure Canonico, & Civili depromptis legibus, ſtudio ac labore eximii Theologi *Fr. Honorii Marentini de Summaripa Nemoris ejuſdem Ordinis &c.* ſuis reſpective locis congruis, optimiſque adnotationibus ex magni nominis Auctoribus illuſtratis: & ſi ab eorum ſententia una, vel altera vice recedit, modeſte adeo propriam exponit, nihil ut magis. Quum igitur in doctrina ſana firmiter, exactique abſolutum ſit opus Confeſſariis apprime utile dubio procul publicam meretur Lucem. Neque eſt, quod Theologis vitio detur eam intraſſe provinciam, quæ Juriſperitis accommodatior videri poteſt, quandoquidem Canonica jura ex viſceribus Theologiæ prodiere: civilia vero ex media morum Philoſophia.

In Collegio Apoſtolico Pœnitentiariorum Sanctæ Mariæ Majoris de Urbe dabam die 6. Junii 1771.

*Fr. Thomas Maria Manganoni Ord. Præd.*
*Pœnitentiarius Apoſtolicus.*

IMPRI-

Digitized by Google

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

*D. Jordani Patriarch. Antioch. Viceſg.*

IMPRIMATUR,

*Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Sacri Palatii Apoſtol. Magiſter Ord. Præd.*

LECTO-

Digitized by Google

# LECTORI BENEVOLO.

EN, amice Lector, en Opus vere eximium, ſummæque utilitatis, quod tibi pollicitus ſum, dum anno 1768. Anecdotum de Contractibus Typis Mediolanenſibus evulgavi. Nemini dubium, quod Opus hoc genuinus ſit Beati Angeli fœtus, & ab eodem reipſa fuerit elaboratum: quotquot enim ipſius Opera recenſuerunt, Trithemius, Bellarminus, Roſſottus, VVadingus, aliique, omnes ejuſmodi Tractationem enuntiant, atque connumerant. Nollem tamen ex hoc inferas, Codicem MS. Chartaceum, quem ego ante oculos habui, & qui in Bibliotheca noſtra Taurinenſi aſſervatur, a Beato ipſo manu propria fuiſſe conſcriptum. Non ita ſane, non ita eſt. Idque colligo nedum ex peculiari diligentia, qua fuit exaratus, quum initia cujuſcumque Conſiderationis, Articuli, Tituli, & Dubii rubro charactere ſint expreſſa: Quod Amanuenſem indicat commode tranſcribentem, non certe Authorem, cui cordi eſſe ſolet, in rerum ſenſum omnes cogitationes intendere, non verba ipſa pingere minio. Nedum ex eo quia

*eidem Codici aſſuti ſunt tres alii Tractatus eodem charactere, eademque diligentia conſcripti, Franciſci nempe de Platea* de excommunicationibus, *Sancti Antonini Archiepiſcopi Florentini* de ornatu mulierum, *& Alexandri de Alexandria ſuper hoc eodem argumento: Quod virum exprimit, cui ſatis eſt ocii ad aliena accurate exſcribenda, non vero eum, qui nunc publica, eaque laborioſa, ſuſtinet munera, nunc totus eſt in voluminibus conficiendis, perficiendiſve: Cujuſmodi fuiſſe novimus Beatum noſtrum, qui & quartus in Ordine noſtro Vicarius Generalis fuit renuntiatus, & nonnullis, iiſque graviſſimis, Apoſtolicis legationibus fuit perfunctus, & præter Angelicam toti Orbi notiſſimam* -- Edidit etiam (*ut cum Britio loquar de viris illuſtribus*) permulta alia pietatis, & ſapientiæ plena Opuſcula legentibus perutilia, & quæ paſsim mirabilem ingenii ejus felicitatem præſeferunt --. *Sed præſertim id colligo ex ipſo Beati charactere, quem in aliquibus ſubſcriptionibus non ſemel vidi, qui dubio procul cum illo, de quo hic ſermo, nullam convenientiam habet, nullam affinitatem. Quum ſic res ſe habeat, unuſquiſque animadvertit, quod iſthæc Authoris elucubratio penes ipſum non remanſit, in occulto ſe non continuit, non ſe continuit in latibulo cellæ ipſius; ſed Amanuenſium ope adeo pervulgata eſt tum intra, tum extra domeſticos lares, ut brevi in manibus plurimorum fuerit, eamque omnes adamaverint tamquam promtam Bibliothecam, qua Confeſſarii facile poſſent in perdifficili Reſtitutionum argumento pene omnia reperire eliquata, diſcuſſa, firmata non ſpecioſo verborum apparatu, ſed firmo legum utriuſque Juris præſidio. Quod ſi tum commiſsa typis non eſt, in cauſsa probabiliter fuit: quia Author videns, quod Tractatio hæc ſua ſatis benigno vultu ab omnibus excipiebatur, ſtatim cogitavit de ampliori Opere edendo; atque ut cunctis magis prodeſſet, Summam elaboravit complectentem argumenta omnia ad* con-

*conſcientiam, moreſve pertinentia, hancque unam tamquam Opus magis amplum, magis univerſale, publici juris fieri ſtuduit. Digna profectò fuit Summa, quam vocavit Angelicam, ut publicam videret lucem, ſicuti invictè probant iteratæ ejuſdem Editiones non in Italia duntaxat, ſed in Gallia etiam, & in Germania. Verum enim vero an Tractatio pariter iſthæc lucem meruerit, & mereatur publicam, tu ipſe, Amice Lector, eſto judex. Et ſi, quemadmodum ſpero, inter nos conveniet, in ſinu meo gaudebo, quod tibi inſervierim in re Confeſſariis præſertim perutili, & apprimè neceſſaria, & quam tu magni judicii vir probare pro tua humanitate non dedignaris. Interibi quum Author Juris utriuſque peritiſſimus cunctas pene aſſertiones ſuas communierit legibus civilibus, atque canonicis; & qui librum hunc evolvent, non omnes in hujuſmodi ſtudium incubuerint: ante omnia exhibere deberem utriuſque juris ideam, ut quiſque facilius poſſet Authoris animum, mentemque percipere. Sed quoniam id jam a pluribus factum eſt, parcam paginis, & tu ipſe eam legere poteris præſertim apud Franciſcum Gennettum Tom. 2. pag. 325. & ſeq. Editionis Venetæ anni 1736.*

# INDEX

## COMPLECTENS CONSIDERATIONES, ARTICULOS, TITULOS, ET DUBIA, DE QUIBUS AUTHOR.

PRIMA CONSIDERATIO. Quis reſtituere teneatur? Pag. 3.
ARTICULUS PRIMUS Spiritualis læſionis manifeſtativus. 7.
Primum Dubium. Utrum quis poſſit damnificari in bonis animæ? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum lædens aliquem in bonis animæ naturalibus, licet indirecte, teneatur ad reſtitutionem? 8.
Tertium Dubium. Utrum lædens in bonis animæ accidentalibus, tametſi indirecte, teneatur? 11.
Quartum Dubium. Utrum damnificans in bonis animæ ex fraudulento conſilio teneatur? 14.
Quintum Dubium. Utrum retrahens aliquem ab ingreſſu Religionis, vel extrahens nondum obligatum, teneatur? 15.
Sextum Dubium. Utrum retrahens jam alicui Religioni obligatum teneatur? 18.
Septimum Dubium. Utrum ſeducens, vel ſtuprans virginem, teneatur? 19.
Octavum Dubium. Utrum Sacerdos abſolvens aliquem a quo non poteſt abſolvere, teneatur? 26.
Nonum Dubium. Utrum obligatus ad officium recitandum teneatur adhuc ipſum recitare, ſi illud prætermittat? 30.
Decimum Dubium. Utrum pœnitentiam ſibi injunctam faciens in peccato mortali teneatur eam iterato facere? 33.
Undecimum Dubium. Utrum Officiales, qui occidunt malefactores ſine perceptione Sacramentorum, teneantur? 37.
ARTICULUS SECUNDUS corporalis læſionis manifeſtativus. 41.
Primum Dubium. Utrum vulnerans aliquem remediabiliter teneatur ad reſtitutionem? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum vulnerans irremediabiliter teneatur ſicut ille, de quo dictum eſt ſupra? 42.
Tertium Dubium. Utrum Medicus, qui ob lucrum trahit in longum curationem infirmi, teneatur? 44.
Quartum Dubium. Utrum Medicus, qui ex imperitia, aliave culpa, eſt cauſa damni corporalis, teneatur? 45.
Quintum Dubium. Utrum occidens hominem teneatur? 47.
Sextum Dubium. Utrum occidens eum, qui ipſum fuit aggreſſus, teneatur? 49.

ARTICULUS TERTIUS temporalis damnificationis manifeſtativus, in triginta-tres Titulos diſtributus. 55.

PRIMUS TITULUS. De contumelia, ſeu convicio. Ibid.

Utrum dicens alicui contumeliam, vel convicium, teneatur? Ibid.

Utrum deriſio ſit ſpeciale peccatum? 61.

SECUNDUS TITULUS. De detractione. 63.

Primum Dubium. Utrum detractor falſo infamans alterum teneatur? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum qui alium infamavit, publicando peccatum occultum, teneatur? 67.

Tertium Dubium. Utrum negans in judicio crimen verum ſibi oppoſitum, ex qua negatione ſequitur infamatio accuſatoris, teneatur? Ibid.

Quartum Dubium. Utrum dicens ſe audiviſſe aliquod peccatum de hoc, vel de illo, teneatur? 71.

TERTIUS TITULUS. De injuriarum remiſſione. 74.

Utrum injuriatus teneatur remittere injuriam? Ibid.

QUARTUS TITULUS. De uſura. 79.

Primum Dubium. Utrum uſurarius mentalis teneatur ad reſtitutionem illius, quod ei liberaliter datur ab eo, qui mutuum accepit? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum qui mutuum dat ſine intentione aliquid recipiendi, teneatur reſtituere quod ultra ſortem ei datur a debitore, qui ideo dat, quia credit eum ſic velle, vel ut mutuum plus teneat, vel &c.? 83.

Tertium Dubium. Utrum inducens aliquem ad fœnerandum conſulendo, vel mutuam dando pecuniam, ut faciat uſuram, vel contrahendo ſocietatem ad fœnus exercendum &c., teneatur? Ibid.

Quartum Dubium. Utrum Proxenetæ, ſeu Senſales uſurariorum reſtituere teneantur uſuras? 85.

Quintum Dubium. Utrum Notarii, qui conficiunt Inſtrumenta de ſolvendis uſuris, teneantur? 87.

Sextum Dubium. Utrum Teſtes adhibiti in prædictis Inſtrumentis teneantur & ipſi ſicut Notarii? 89.

Septimum Dubium. Utrum Advocati, & Procuratores, quorum patrocinio uſuræ exiguntur, aut non reſtituuntur, teneantur? 90.

Octavum Dubium. Utrum Domini terrarum, qui uſurarios in ipſorum terris immorantes non cogunt ad reſtituendas uſuras, teneantur? 91.

Nonum Dubium. Utrum qui incurrunt Excommunicationem poſitam in cap. *Ex gravi* in Clementinis *de uſuris*, teneantur? 92.

Decimum Dubium. Utrum Prælati, qui obſignant, ſigilloque muniunt cedulas uſurariorum teneantur? 94.

Undecimum Dubium. Utrum Socii, Tutores &c., qui dant ad uſuram, vel uſuras exigunt, teneantur? 95.

Duodecimum Dubium. Utrum Famuli pure manuales uſurariorum, qui

nec

nec contrahunt, nec &c., ſed unice pecunias tradunt, pignuſque accipiunt, teneantur & ipſi? 96.
Tertium decimum Dubium. Utrum Tutores, Curatores &c., qui unice exigunt uſuras pupillis debitas ob contractus a prioribus editos, teneantur? 98.
Quartum decimum Dubium. Utrum Pupillus, pro quo Tutor contractus edidit uſurarios, teneatur? 99.
Quintum decimum Dubium. Utrum Proxenetæ ab illis, pro quibus fecerunt uſuras, occulte poſſint auferre quod debent reſtituere? 102.
Sextum decimum Dubium. Utrum quando Univerſitas, vel Collegium recipit uſuras, quilibet & ſinguli teneantur in ſolidum? 103.
Decimum ſeptimum Dubium. Utrum impediens volentem gratis dare mutuum, & faciens quod mutuum præſtet ſub uſuris, teneatur? 104.
Decimum octavum Dubium. Utrum omnis uſurarius ſubjiciatur pœnis poſitis in cap. *Quia in omnibus* Extra *de uſuris*, & in cap. *Quanquam* eod. titulo lib. 6.? Ibid.
Decimum nonum Dubium. Quis dicatur uſurarius manifeſtus, ut prædictis pœnis ipſo facto ſit obnoxius? 105.
Viceſimum Dubium. Utrum Confeſſarius, qui ad Confeſſionem recipit manifeſtos uſurarios, eoſque abſolvit, quia prius ſatisfecerint, vel cautionem præſtiterint &c., teneatur? 106.
Viceſimum primum Dubium. Utrum Notarii, qui eorundem Teſtamentum recipiunt abſque prædicta cautione, itemque Teſtes, qui huic Teſtamento interſunt, teneantur? 110.
Viceſimum ſecundum Dubium. Utrum ſepelientes in ſepultura Eccleſiaſtica manifeſtos uſurarios, qui non ſatisfecerunt, ſicut dictum eſt, teneantur? 111.
Viceſimum tertium Dubium. Utrum Clerici recipientes oblationes ab uſurariis manifeſtis, teneantur? 114.
Viceſimum quartum Dubium. Utrum locantes domos uſurariis manifeſtis alienigenis, vel non oriundis de terris &c., ad fœnus exercendum, teneantur? 115.
Viceſimum quintum Dubium. Utrum vendentes domos iiſdem ad fœnus exercendum incurrant pœnam, de qua ſupra? 117.
Viceſimum ſextum Dubium. Utrum hæres uſurarii reſtituere teneatur omnes uſuras illius, cujus eſt hæres? 118.
Viceſimum ſeptimum Dubium. Utrum qui ſe ſponte obligavit ad reſtituendum pro uſurario, putans bona hujus ſufficere, teneatur de proprio, ſi ea non ſufficiant? 125.
Viceſimum octavum Dubium. Utrum cum duo ſunt hæredes uſurarii, & unus efficitur non ſolvendo, alter teneatur in ſolidum? 126.
Viceſimum nonum Dubium. Utrum recipiens ab uſurario Inſtrumentum cau-

cautionis, eique relaxans promiſſionem Inſtrumentum reddendo, vel delendo, teneatur ipſe de proprio? 131.
Triceſimum Dubium. Utrum in rebus habitis pro uſuris uſurarius acquirat dominium? 132.
Triceſimum primum Dubium. Utrum uſurarius teneatur reſtituere quidquid lucratus eſt ex rebus uſurarii? 148.
Triceſimum ſecundum Dubium. Utrum uxor, filii, & filiæ uſurarii poſſint vivere de rebus ipſius? 152.
Triceſimum tertium Dubium. Utrum filius uſurarii, qui tempore ſtudii aliquid habuit a patre, ut Doctor fieret, teneatur ea reſtituere? 155.
Triceſimum quartum Dubium. Utrum conſanguinei, aliique, qui comedunt, accipiuntve de bonis uſurarii, teneantur? 156.
Triceſimum quintum Dubium. Utrum famuli uſurariorum, qui ſerviunt in licitis, poſſint accipere mercedem de rebus uſurarii? 158.
Triceſimum ſextum Dubium. Utrum accipiens in uxorem filiam uſurarii, teneatur reſtituere dotem? 161.
Triceſimum ſeptimum Dubium. Utrum mutuam dantes pecuniam uſurario poſſint eam repetere? 164.
Triceſimum octavum Dubium. Utrum recipientes eleemoſynas ab uſurariis teneantur: & utrum Prædicatores uti poſſint bonis uſurarii? 165.
Triceſimum nonum Dubium. Utrum debentes aliquid habere ab uſurario ex contractu, vel quaſi, ex maleficio vel quaſi, poſſint ex rebus uſurariis recipere, quod ſibi ipſis debetur? 166.
Quintus Titulus: De raptoribus. 167.
Primum Dubium. Utrum raptor alicujus mulieris, vel pueri, teneatur? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum rapiens, vel faciens fugere detentum in carcere pro ære alieno, teneatur? 169.
Tertium Dubium. Utrum rapiens, faciens fugere, vel occultans Officiales tempore Syndicatus, teneatur? 173.
Quartum Dubium. Utrum homicida, aut alter facinoroſus fugiens de manu Officialis, teneatur: itemque qui dat operam, ut fugiat? Ibid.
Quintum Dubium. Utrum qui aliis damnum viſibiliter inferunt, puta incendiarii, piratæ &c., teneantur? 184.
Sextus Titulus. De bello. 189.
Primum Dubium. Utrum omne bellum ſit juſtum? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum ſcienter movens bellum injuſtum teneatur de omni damno? 195.
Tertium Dubium. Utrum ſubditus pugnans ad imperium Domini ſui, & dubitans de juſtitia belli, teneatur, ſi poſtmodum cognoſcat fuiſſe injuſtum? 196.
Quartum Dubium. Utrum bella indicta a Dominis Chriſtianis, qui propria

pria

pria auctoritate violenter auferunt quod alter diu poſſedit juſte, & pacifice, ſint juſta, vel non? 198.

Quintum Dubium. Utrum Comites, qui ſine Principis auctoritate arma ſumunt contra proprios ſubditos, eoſque exhæredant, teneantur? 199.

Sextum Dubium. Utrum quando Principes ſibi invicem remittunt damna ex bello ſecuta, hæc remiſſio etiam valeat quoad homines utriuſque partis? 201.

Septimum Dubium. Utrum juſte pugnans, qui damnum infert ſubditis illius, contra quem pugnat, teneatur? 205.

Octavum Dubium. Utrum captum de rebus inimicorum in bello juſto ſit capientis? 209.

Nonum Dubium. Utrum in bello juſto teneantur bellantes de damnis, a quibus ſe commode potuiſſent abſtinere? 214.

Decimum Dubium. Utrum in bello juſto rapientes de bonis Clericorum, aut Eccleſiarum, quæ reperiuntur in terris inimicorum, teneantur? 216.

Septimus Titulus. De exactionibus, ſeu cenſibus. 221.

Primum Dubium. Utrum Dominus exigens a ſubditis vectigalia, vulgo tallias, teneatur? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum id exigens a perſonis Eccleſiaſticis teneatur? 228.

Tertium Dubium. Utrum Prælati Viſitatores, aut ipſorum famuli, qui pecuniam recipiunt ab illis, quos viſitant, teneantur? 234.

Quartum Dubium. Utrum qui per metum aliquid ab aliquo extorſit teneatur? 237.

Quintum Dubium. Utrum Dominus injuſte exulans, ſeu banniens aliquem, cujus bona exinde rapiuntur, & dilapidantur, teneatur? 240.

Octavus Titulus. De Pedagiis. 243.

Primum Dubium. Utrum pedagia, quidagia, & ſalinaria ſint licita? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum fraudantes vectigalia, pedagia, quidagia &c., teneantur? 250.

Tertium Dubium. Utrum exigentes gabellas, ſeu vectigalia injuſta, teneantur? 255.

Nonus Titulus. De naufragiis. 257.

Primum Dubium. Utrum rapientes de rebus illorum, qui naufragium patiuntur, teneantur? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum accipiens quod eſt jactatum in mari teneatur? 260.

Decimus Titulus. De incendiariis. 263.

Primum Dubium. Utrum incendiarius teneatur? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum rapiens res illius, qui incendium patitur, teneatur? 264.

Ter-

Digitized by Google

Tertium Dubium. Utrum tempore incendii deſtruens domum vicini, ne ſua comburatur, teneatur? 265.
Undecimus Titulus. De furtis. 269.
Primum Dubium. Utrum ille, qui furatur in extrema neceſſitate, teneatur? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum faciens furtum, ut tribuat eleemoſynam, teneatur? 274.
Tertium Dubium. Utrum ille, qui ſolum furatus eſt uſum rei, teneatur? 275.
Quartum Dubium. Utrum qui furtive ſibi ſatisfacit, non potens habere ſuum, teneatur? 277.
Quintum Dubium. Utrum raptor non ſolum rem, ſed etiam fructus, teneatur reſtituere? 282.
Sextum Dubium. Utrum fur, aut raptor, petere poſſit expenſas, quas fecit in re furtiva, vel rapta? 286.
Duodecimus Titulus. De cohortatoribus ad damnum. 290.
Primum Dubium. Utrum comitantes fures, aut raptores, ut eos defendant ab illis, quibus damnum inferre volunt, teneantur? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum, quando plures conveniunt ad faciendam rapinam, quilibet teneatur in ſolidum? 295.
Tertium Dubium. Utrum facientes foramina, aut commodantes ſcalas, aut duces ſe præbentes ad patranda furta, teneantur? 299.
Quartum Dubium. Utrum dantes ſignum, quo viſo, vel audito alii parati currunt ad prædam, teneantur? 300.
Quintum Dubium. Utrum deſtruentes Teſtamenta, aut libros mercatorum, ex quo ſequitur, quod non ſolvuntur debita creditorum, teneantur? 301.
Sextum Dubium. Utrum injuſte detinens ruſticum, ne operas exequatur ſuas, aut impediens piſcatores, vel aucupes a captione piſcium, aviumve, teneatur? 303.
Septimum Dubium. Utrum effodiens ſemina agri teneatur ad omne id, quod inde poterat enaſci? 304.
Octavum Dubium. Utrum impediens aliquem a conſecutione alicujus beneficii teneatur? Ibid.
Nonum Dubium. Utrum ignorantes, qui ponunt ſe ad facienda ea, in quibus proximi propter eorum ignorantiam damnificantur, teneantur? 309.
Decimum Dubium. Utrum artifices, qui faciunt, venduntve ea, quibus uti quis poteſt ad damnum proximi, teneantur? 314.
Undecimum Dubium. Utrum, cum animal alicujus damnum adfert plantis, pratiſve alterius, Dominus animalis teneatur? 318.
Duodecimum Dubium. Utrum cives deputati pro diviſione vectigalis

ad ratam Regeſti teneantur, ſi alios gravent, alios exonerent? 324.
Tertium decimum Dubium. Utrum aſſumpti ad aliquod æſtimandum teneantur, ſi male æſtiment? 325.
Quartum decimum Dubium. Utrum de domo projiciens in via publica aliquid, quo alter tranſiens in veſtimentis læditur, vel in perſona, teneatur? 327.
Quintum decimum Dubium. Utrum præcidens arborem vicini ſui, quæ pendens ſuper domum ipſius eidem damnum adferebat, teneatur? 328.
Sextum decimum Dubium. Utrum impedientes, ne merx aliqua veniat, ut ipſi proprias carius vendant, teneantur? Ibid.
Decimum ſeptimum Dubium. Utrum præcipiens fieri damnum alteri injuſte teneatur? 330.
Decimum octavum Dubium. Utrum conſulens alicui, ut alteri damnum inferat, teneatur? 331.
Decimum nonum Dubium. Utrum in conſiliis proponentes deliberanda ea, quæ cedunt in damnum proximorum, teneantur? 337.
Viceſimum Dubium. Utrum edentes ſtatuta vel contra Eccleſiæ libertatem, vel quod ſolvantur uſuræ, vel &c., teneantur? Ibid.
Viceſimum primum Dubium. Utrum conſentiens rapinæ, & damno faciendo proximo, teneatur? 342.
Viceſimum ſecundum Dubium. Utrum audiens damnum nomine ſuo alteri illatum, illudque ratum habens, teneatur? 344.
Viceſimum tertium Dubium. Utrum exiſtens in conſilio, in quo aliquid injuſtum faciendum proponitur, & non contradicens, ſed tacens, teneatur? 345.
Viceſimum quartum Dubium. Utrum palpo, qui laudat rapientem &c., teneatur? 346.
Viceſimum quintum Dubium. Utrum illi, ad quos recurrunt inferentes damnum, teneantur in ſolidum? 348.
Viceſimum ſextum Dubium. Utrum receptatores furum, & qui eos adjuvant, defenduntque, teneantur? 349.
Viceſimum ſeptimum Dubium. Utrum ſcienter receptans res raptas teneatur? 350.
Viceſimum octavum Dubium. Utrum edentes de rapina, aliiſve male ablatis, teneantur? 351.
Viceſimum nonum Dubium. Utrum recipiens res raptas, aut furatas, dono, vel alio titulo lucrativo, teneatur? 352.
Triceſimum Dubium. Utrum videns alium inferentem damnum proximo, & non clamans, nec obſtans pro poſſe, teneatur in ſolidum? 353.
Triceſimum primum Dubium. Utrum Cuſtodes Civitatum, vinearum &c., teneantur in ſolidum, quando vident fieri damnum, & non clamant, nec accuſant facientes? 357.
Trice-

Digitized by Google

Triceſimum ſecundum Dubium. Utrum requiſitus in judicio ad dicendum veritatem, cum cognita veritate res ablata reſtitueretur Domino, teneatur ſi eam neget? 358.
TERTIUS DECIMUS TITULUS. De emptione, & venditione. 364.
Primum Dubium. Utrum ſcienter emens rem raptam, vel furatam, teneatur? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum ſcienter eam emens ex ignorantia juris, quia nempe neſciebat eſſe vetitum talia emere, teneatur ſicut ille, de quo ſupra? 367.
Tertium Dubium. Utrum ignorantia facti craſſa, vel ſupina, excuſet ſic ementes? 368.
Quartum Dubium. Utrum emens rem raptam, vel furatam, ignoranter, & bona fide, neſciens eam eſſe raptam, teneatur ſicuti illi, de quibus ſupra? 369.
Quintum Dubium. Utrum emens rapta, vel furata, non animo ea retinendi, ſed ut Domino reſtituat. qui alias ea non poſſet habere, vel non tam facile, aut &c., poſſit pretium, quo ea emit, a Domino repetere? 372.
Sextum Dubium. Utrum emens, de quo ſupra, ad aliquid teneatur, ſi non poſſit invenire Dominum? 374.
Septimum Dubium. Utrum emens res Eccleſiæ teneatur eas reſtituere? 375.
Octavum Dubium. Utrum emens aliquid nomine ſuo, ſed cum pecunia alterius, teneatur? 379.
Nonum Dubium. Utrum emens rem a furioſo, prodigo, minore &c., teneatur eam reſtituere? 381.
Decimum Dubium. Utrum vendens rem ultra juſtum pretium teneatur? 384.
QUARTUS DECIMUS TITULUS. De commodato. 389.
Primum Dubium. Utrum commodatarius teneatur, ſi res commodata periit? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum commodatarius utens commodato ad alium uſum præter eum, pro quo commodata res fuit, teneatur? 393.
Tertium Dubium. Utrum revocans commodatum ante tempus teneatur de damno, quod patitur commodatarius? 394.
Quartum Dubium. Utrum commodatarius teneatur reſtituere rem ſecundum priſtinum ſuum ſtatum? 395.
Quintum Dubium. Utrum commodans vaſa vitioſa teneatur? 396.
QUINTUS DECIMUS TITULUS. De depoſito. 398.
Primum Dubium. Utrum depoſitarius teneatur? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum nauta, in cujus navi aliquid deponitur, teneatur, ſi amittatur depoſitum? 403.

Tertium Dubium. Utrum Eccleſia teneatur de depoſito facto penes ipſius Prælatum, ſi depoſitum pereat? 404.

Quartum Dubium. Utrum utens depoſito, teneatur? 406.

SEXTUS DECIMUS TITULUS. De locato & conducto. 411.

Primum Dubium. Utrum locator locans rem vitioſam teneatur de damno? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum conductor teneatur, ſi res locata perit? 412.

Tertium Dubium. Utrum locator, qui operam locat ſuam, teneatur, ſi damnum afferat? 413.

Quartum Dubium. Utrum locator expellens inquilinum, ſive conductorem ante tempus, teneatur? 414.

Quintum Dubium. Utrum conductor, vel emphyteuta, teneatur ſolvere penſionem, quando propter terræ ſterilitatem nihil percepit? 419.

DECIMUS SEPTIMUS TITULUS. De fidejuſſoribus. 423.

Utrum quilibet teneatur fidejuſſori ſuo ſatisfacere de omni damno, quod ei obvenit ex *fidejuſſione*? Ibid.

DECIMUS OCTAVUS TITULUS. De pignoribus. 429.

Primum Dubium. Utrum utens pignore teneatur? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum accipiens pignus teneatur, ſi ipſum amittat, vel deterius fiat? 431.

DECIMUS NONUS TITULUS. De ſolutionibus. 437.

Primum Dubium. Utrum retinens mutuum ultra terminum præfixum teneatur ad intereſſe lucri ceſſantis? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum non reſtituens dotem tempore debito teneatur? 439.

Tertium Dubium. Utrum ille, pro quo alter creditori ſuo ſolvit ſine ipſius mandato, teneatur eidem reſtituere quod ſolvit? 441.

Quartum Dubium. Utrum ſolvens filiofamilias ſine conſenſu patris, vel pupillo ſine auctoritate tutoris, teneatur iterum ſolvere? 442.

Quintum Dubium. Utrum per errorem ſolvens indebitum poſſit ipſum repetere, & qui accepit teneatur ipſum reſtituere? 443.

Sextum Dubium. Utrum non valenti ſolvere, aut bonis cedenti, auferenda ſint omnia ſua bona? 445.

Septimum Dubium. Utrum hæres teneatur ſolvere legata ad pias cauſas intra annum? 447.

VICESIMUS TITULUS. De obligationibus. 450.

Primum Dubium. Utrum ex nudo pacto, nudave promiſſione, quis neceſſario obligetur in foro conſcientiæ? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum duntaxat obligatus in jure civili teneatur in conſcientia ad ſolutionem? 456.

Tertium Dubium. Utrum obligatus jure naturali & civili teneatur? 457.

Quartum Dubium. Utrum tranſactio facta propter obligationem ſaltem

jure

jure naturali indebitam excuſet eum, qui aliquid recipit, ut obligationem remittat? Ibid.
Quintum Dubium. Utrum Pater obligetur ex contractu filii? 460.
Sextum Dubium. Utrum mercatores, qui Apothecis ſuis inſtitores præponunt, teneantur de ipſorum contractibus? 463.
Septimum Dubium. Utrum famulus, qui pecuniam mutuo accepit pro Domino, ſed Domino inſcio, & ex ea lucrum fecit, teneatur reſtituere lucrum perceptum? 464.
Octavum Dubium. Utrum agens negotia alterius teneatur ei ad intereſſe lucri ceſſantis, & damni emergentis? 465.
Nonum Dubium. Utrum ille, pro quo quis agit negotia utiliter, obligetur eidem? 467.
Decimum Dubium. Utrum promittens aliquid alicui ob cauſam teneatur cauſa non ſecuta? 468.
Undecimum Dubium. Utrum hæres teneatur ex delicto defuncti? 469.
Duodecimum Dubium. Utrum hæres obligatus ſit ad omne id, ad quod erat obligatus ille, cujus eſt hæres, ex contractu, vel quaſi? 472.
Tertium decimum Dubium. Utrum plus petens ab obligato teneatur? 473.
Vicesimus primus Titulus. De donationibus. 476.
Primum Dubium. Utrum accipiens aliquid ex dono ab eo, qui non poteſt donare, teneatur? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum accipiens res Eccleſiæ a Prælatis Eccleſiaſticis teneatur? 497.
Tertium Dubium. Utrum recipientes ab eo, qui donat per metum, teneantur? 499.
Quartum Dubium. Utrum accipiens ex dono, aliove modo, ab eo, qui alienat in fraudem creditorum, teneatur? 502.
Vicesimus secundus Titulus. De falſariis. 505.
Primum Dubium. Utrum falſificans inſtrumenta, aliamve ſcripturam, teneatur? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum falſificans menſuram, monetam, & hujuſmodi teneatur? 509.
Tertium Dubium. Utrum facientes fraudem legi teneantur? 517.
Vicesimus tertius Titulus. De aleatoribus. 520.
Primum Dubium. Utrum acquiſita in ludo aleæ ſint reſtituenda? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum damnum dans, vel accipiens aliquid in domo tenentis prædictos ludos, teneatur? 534.
Tertium Dubium. Utrum emens rem ludentis poſſit agere contra vendentem, ſi ab hoc evincatur? 535.
Quartum Dubium. Utrum lucratum in ludo alearum reſtituendum ſit ei, qui amiſit? 536.

Quin-

Quintum Dubium. Utrum aliquando perdens, aliquando vincens, poſſit unum cum altero compenſare? 538.
Sextum Dubium. Utrum ludus, qui innititur induſtriæ, puta latrunculorum &c., ſit prohibitus, & lucrans in ipſo teneatur ad reſtitutionem? 540.
Vicesimus quartus Titulus. De adulteriis. 544.
Primum Dubium. Utrum mulier pariens ex adulterio, vel ſupponens partum, teneatur? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum filius illegitimus, qui poſt præſcriptionem in ſucceſſione hæreditatis cum filiis legitimis cognoſcit ſe talem, teneatur reſtituere, & hæreditatem remittere? 551.
Tertium Dubium. Utrum mulier inſtituere poſſit hæredes filios ſuos ex adulterio ſuſceptos? 553.
Vicesimus quintus Titulus. De Simonia. 556.
Primum Dubium. Utrum acceptum Simoniace ſit reſtituendum? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum Principes Laici, qui privilegio gaudent nominandi circa Beneficia, teneantur ad reſtitutionem, ſi aliquid accipiant, ut electioni conſentiant, vel promotioni? 565.
Vicesimus sextus Titulus. De pœnis. 576.
Primum Dubium. Utrum pœna appoſita inter contrahentes poſſit exigi? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum tota pœna poſſit exigi per ſe principaliter? 578.
Tertium Dubium. Utrum ſolutio pœnæ juris, vel ſtatutorum, neceſſaria ſit in conſcientia? 579.
Vicesimus septimus Titulus. De præſcriptione, & uſucapione. 583.
Primum Dubium. Utrum præſcribens rem alienam, & poſtea cognoſcens eſſe alienam, teneatur eam neceſſario reſtituere? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum uſucapiens item non teneatur ſicuti præſcribens? 600.
Vicesimus octavus Titulus. De judiciis. 603.
Primum Dubium. Utrum falſus teſtis teneatur de omni damno? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum accuſator, vel denunciator calumnioſus teneatur? 613.
Tertium Dubium. Utrum temere litigantes teneantur ad intereſſe partis? 614.
Quartum Dubium. Utrum Advocati, qui præſtant patrocinium in cauſa injuſta, teneantur? 616.
Quintum Dudium. Utrum Advocati, qui recipiunt lucrum immoderatum, teneantur? 618.
Sextum Dubium. Utrum Advocati, qui ſervant doctrinam Speculatoris, teneantur? 620.

Septi-

Septimum Dubium. Utrum Judex, qui malitia ſua ſententiam dedit injuſtam, aut qui juſtam dare noluit, aut &c., teneatur? 621.
Octavum Dubium. Utrum Judex, vel Aſſeſſor, qui ob ignorantiam ſuam male judicavit, teneatur? 622.
Nonum Dubium. Utrum Judices a populis deputati ad judicandum in aliquibus cauſis, eo quia creduntur viri boni, tametſi juris ignari, teneantur, ſi ex ignorantia ſententiam proferant injuſtam? 628.
Decimum Dubium. Utrum Judex, qui per metum injuſte judicavit, teneatur? 629.
Undecimum Dubium. Utrum ille, pro quo data eſt ſententia injuſta, teneatur? 631.
Duodecimum Dubium. Utrum Judex, vel Aſſeſſor &c., habentes ſalarium, teneantur reſtituere quidquid extorquent, ſeu præter ipſum accipiunt? 632.
Vicesimus nonus Titulus. De acquirendo rerum dominio. 639.
Primum Dubium. Utrum uſurpans dominium alicujus rei teneatur eam reſtituere? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum inventores rerum, quæ perditæ fuerunt ab aliquo, a quo non habentur pro derelictis, teneantur eas reſtituere? 640.
Tertium Dubium. Utrum inventores rerum, quæ numquam fuerunt alicujus, eas teneantur reſtituere? 641.
Quartum Dubium. Utrum inventores ferarum Silveſtrium, quæ jam domeſticæ factæ ſunt, teneantur? 644.
Quintum Dubium. Utrum inveniens theſaurum occultum teneatur? 646.
Sextum Dubium. Utrum ille, qui per alluvionem aliquid acquirit terræ ſuæ additum, teneatur? 648.
Septimum Dubium. Utrum ædificans in ſolo alieno teneatur? 649.
Octavum Dubium. Utrum ædificans cum damno vicini ſui teneatur? 651.
Nonum Dubium. Utrum fructus arboris, & arbor ipſa reſtituendi ſint illi, in cujus campo arbor habet radices principales, vel pertineant ad illum, in cujus campo eſt arbor? 654.
Decimum Dubium. Utrum faciens aliquam ſpeciem de materia aliena teneatur reddere ſpeciem ipſam, vel duntaxat æſtimationem materiæ? 655.
Undecimum Dubium. Utrum ſeminans in alieno, vel pingens, vel ſcribens, poſſit recipere quod fecit? 657.
Tricesimus Titulus. De Beneficiis, ſeu Præbendis. 660.
Primum Dubium. Utrum Clericus, qui habet Beneficium ſine titulo, puta ſuſpenſus intruſus, excommunicatus &c., teneatur reſignare Beneficium? Ibid.

Secun-

Secundum Dubium. Utrum Clerici, vel Prælati male utentes Præbendis, & Beneficiis Eccleſiaſticis, teneantur ad reſtitutionem? 671.
Tertium Dubium. Utrum Clericus non faciens reſidentiam in loco, in quo habet Beneficium, teneatur reſtituere fructus? 682.
Tricesimus primus Titulus. De turpi cauſa. 693.
Utrum acquiſita in cauſa turpi, in qua dominium transfertur in accipientem, & illi, qui illam dedit, vel cujus antea fuit, non competit repetitio, ſint de neceſſitate reſtituenda? Ibid.
Tricesimus secundus Titulus. De duobus fratribus. 698.
Primum Dubium. Utrum filiusfamilias, qui opera ſua aliquid lucratur negotiando cum pecunia patris, teneatur communicare lucrum fratri poſt mortem patris? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum omne acquiſitum per filium ſit præſumendum ex bonis patris in dubio, & communicandum? 700.
Tertium Dubium. Utrum filiusfamilias, qui ex morte uxoris ſuæ vigore ſtatuti lucratur dotem, aut partem ipſius, teneatur eam communicare inter fratres? 702.
Quartum Dubium. Utrum donatum, vel relictum ab extraneo filiofamilias ſit communicandum? 705.
Quintum Dubium. Utrum donatum filiofamilias ſub hac conditione, quod illud habeat in caſtrenſe, vel quaſi, fieri debeat commune? 707.
Sextum Dubium. Utrum donatum filiofamilias militi, Advocato &c. ſine aliqua expreſſione, ſit caſtrenſe, vel quaſi, & ideo non commune? 709.
Septimum Dubium. Utrum libri filio empti a Patre debeant fieri communes cæteris fratribus poſt mortem Patris? 710.
Octavum Dubium. Utrum pecunia data filio a Patre pro ſtudio ſit ei imputanda poſt mortem Patris tempore diviſionis? 712.
Nonum Dubium. Utrum filius, qui vivente Patre incepit ſtudere de ipſius mandato, poſt mortem Patris poſſit ſtudium abſolvere de communibus bonis? 713.
Decimum Dubium. Utrum tempore diviſionis fratrum veniant expenſæ factæ a Patre uxori unius ex filiis, & alia ornamenta pro eadem empta? 714.
Undecimum Dubium. Utrum expenſæ factæ a Patre in peculio filii adventitio debeant conferri in commune poſt mortem Patris? 717.
Duodecimum Dubium. Utrum pecunia a Patre donata filio ſit conferenda in commune? 720.
Tertium decimum Dubium. Utrum Patre ſe obligante pro delicto filii totum debeat ſolvi poſt mortem Patris cum ea parte, quæ contingit filio, vel cum hæreditate communi? 721.
Quartum decimum Dubium. Utrum fratres teneantur emendare dam-
num,

num, quod Pater intulit in bonis adventitiis unius filii? 723.
Quintum decimum Dubium. Utrum lucrum, quod unus ex fratribus fecit cum pecunia hæreditaria, aliis fratribus ſit communicandum? 724.
Sextum decimum Dubium. Utrum damnum, ſi quod ſequatur ex dicta mercatura, debeat eſſe commune inter fratres? 728.
Decimum ſeptimum Dubium. Utrum debitum contractum poſt mortem Patris ab uno fratrum ſit commune? 729.
Decimum octavum Dubium. Utrum frater, qui habet duos filios laborantes poſſeſſionem communem cum altero fratre, cui nullus eſt filius, debeat æqualiter dividere fructus provenientes ex tali cultura? 730.
Tricesimus tertius Titulus. De alimentis. 732.
Primum Dubium. Utrum aſcendentes teneantur præſtare alimenta deſcendentibus ex neceſſitate naturæ, & ſanguinis? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum deſcendentes teneantur ſimiliter aſcendentibus? 737.
Tertium Dubium. Utrum Socer ſimiliter teneatur alere nurum ſuam? 740.
Quartum Dubium. Utrum frater fratrem ſimiliter, vel ſororem? Ibid.
Quintum Dubium. Utrum tutor pupilli teneatur alere matrem pupilli, vel ſororem egentem? 741.
SECUNDA CONSIDERATIO. Quomodo quis teneatur reſtituere? 742.
Articulus primus. De perſona, cui facienda eſt reſtitutio. Ibid.
Primum Dubium. Utrum res rapta, vel furata, vel qualitercumque injuſte accepta a vero Domino, eidem ſemper ſit reſtituenda? Ibid.
Secundum Dubium. Utrum res ablata ab eo, qui non erat ipſius Dominus, ſed illam duntaxat aliquo juſto titulo poſſidebat, eidem ſit reſtituenda? 748.
Tertium Dubium. Utrum res, quæ ad aliquem pervenit titulo locationis, commodati, vel depoſiti, reſtituenda ſit vero Domino, vel raptori, qui eam alteri tali titulo dedit? 749.
Quartum Dubium. Utrum res rapta ab eo, qui nec erat verus ipſius Dominus, nec tandem juſto titulo detinebat penes ſe, eidem ſit reſtituenda? 750.
Quintum Dubium. Utrum habentes de bonis infidelium ex uſuris, & hujuſmodi, teneantur ea ipſis reſtituere? 751.
Sextum Dubium. Utrum accipiens pecuniam alterius poſſit de ea ſolvere creditori ipſius, vel eam teneatur eidem, a quo abſtulit, reſtituere? 752.
Septimum Dubium. Utrum accipiens ex dono ab illis, quos ſcit dare ob malam cauſam, puta pro homicidio, pro luxuria &c., in caſibus, in quibus tenetur reſtituere, poſſit ſic acceptum reſtituere illi, qui dedit? 753.

Octavum Dubium. Utrum acceptum ex cauſa, quæ ſit ſolum turpis reſpectu recipientis, puta quis alteri dedit, ne faceret tale malum &c., reſtituendum ſit ei, qui dedit, in caſu, in quo quis reſtituere tenetur? 755.

Nonum Dubium. Utrum illi, qui longe diſtat, reſtituendum ſit ſuum, tametſi non poſſit ei mitti ſine ſumptibus? 757.

Decimum Dubium. Cujus ſumptibus mittet vero Domino quod ei abſtulit? 758.

Undecimum Dubium. Utrum dum plures obligati ſunt in ſolidum ad reſtituendum, & unus ſolvit totum quod debetur, alii teneantur eidem ſolventi quilibet pro parte ſua? 759.

Articulus secundus. De ordine reſtituendorum, ſcilicet cui prius ſit reſtituendum. 761.

Primum Dubium. Utrum ille, qui debet reſtituere multa, quorum aliqua ſunt incerta, certa alia, ſervare debeat in reſtituendo aliquem ordinem? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum obligatus ad reſtituendum multa ex contractu vel quaſi, & ex maleficio vel quaſi, nec valens omnibus reſtituere, debeat prius reſtituere creditoribus ex contractu, quam ex maleficio? 763.

Tertium Dubium. Utrum obligatus multis creditoribus ex contractu vel quaſi, & non valens omnibus ſatisfacere, debeat prius ſolvere uni, quam alteri? 765.

Quartum Dubium. Utrum ſolvere debens & legatariis, & creditoribus, & non valens omnibus ſatisfacere, præponere debeat legatarios? 779.

Quintum Dubium. Utrum non ſervans ordinem in præcedentibus Dubiis expoſitum, ſed indifferenter ſolvens primo petentibus, teneatur in conſcientia ad reſtitutionem? 781.

Sextum Dubium. Utrum reſtitutio incertorum fieri debeat in loco, in quo datum eſt damnum? 782.

Articulus tertius. De auctoritate faciendi reſtitutionem. 784.

Primum Dubium. Utrum filiifamilias, & alii, qui alienare non poſſunt, debeant, & poſſint propria auctoritate reſtituere aliena? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum ille, qui multa tamquam incerta tenetur pauperibus reſtituere, poſſit hoc exequi ſine alterius auctoritate? 785.

Tertium Dubium. Utrum hæres poſſit auctoritate propria reſtituere incerta, ad quæ tenebatur ille, cujus eſt hæres? 789.

TERTIA CONSIDERATIO. Quando fieri debeat reſtitutio. 792.

Articulus primus. De temporis determinatione. Ibid.

Primum Dubium. Utrum ſtatim quis teneatur reſtituere alienum? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum potens reſtituere abſolvi poſſit antequam reſtituat? 795.

Tertium Dubium. Utrum manifeſtus uſurarius poſſit recipi ad Confeſſionem, non facta prius cautione? 797.

Quartum Dubium. Utrum ille, qui non vult reſtituere, cum poſſit, ſed hæredibus ſuis imponit, ut reſtituant, ſatisfaciat obligationi ſuæ? Ibid.

ARTICULUS SECUNDUS. De prorogationis diſcuſſione. 800.

Primum Dubium. Utrum ille, qui non poteſt reſtituere ſine damno animæ ſuæ, vel aliorum, aut ſine damno corporis, vel famæ, teneatur ſtatim reſtituere? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum ille, qui non poteſt reſtituere ſine magno ſuo temporali damno, & ille, cui debetur reſtitutio, eſt ſatis abundans, ſtatim reſtituere teneatur? 802.

Tertium Dubium. Utrum exiſtens in neceſſitate, de qua ſupra, teneatur ſaltem ſtatim reſtituere, ſi etiam ille, cui debet, valde egeat? 804.

Quartum Dubium. Utrum, cum quis non vult reſtituere, quia non poteſt ſine magno incommodo, & ille, cui reſtitutio debetur, non vult concedere dilationem, debitor poſſit a Confeſſario ſuo abſolvi? 805.

ARTICULUS TERTIUS. De reſtitutionis relaxatione. 808.

Primum Dubium. Utrum abſque reali reſtitutione quis abſolvatur ab onere reſtitutionis ex relaxatione creditoris? Ibid.

Secundum Dubium. Utrum omnis relaxatio, ſeu remiſſio debiti, qualitercumque obtineatur, liberet debitorem ab onere reſtitutionis? 811.

Tertium Dubium. Utrum obligatus ad reſtituenda multa incerta, & non valens ea reſtituere, poſſit ab Epiſcopo obtinere licentiam differendi reſtitutionem, vel non reſtituendi? 813.

Quartum Dubium. Utrum Dominus, qui, ſi venderet omne quod habet, non poſſet reſtituere quidquid ipſe, vel Prædeceſſores ſui, indebite ſuis ſubditis rapuerunt, adhuc habeat aliquem modum reſtituendi? 816.

*F I N I S.*

# INDEX

## QUÆSTIUNCULARUM, QUAS AD AMPLIOREM RERUM NOTITIAM EDITOR ANNOTATIONUM ADJECIT.


Annotatione 5.

Quænam ſint, & quot radices reſtitutionis?

Annotatione 6.

An qui malo ſuo exemplo cauſa eſt, ut alii malum perpetrent, teneatur ad reſtitutionem?

Annotatione 10.

An qui ſolis precibus, munuſculis, & ſuaſionibus virginem pertrahit in conſenſum, teneatur ad pœnas in Canone præſtitutas?

Annotatione 20.

An, ut me defendam cum moderamine inculpatæ tutelæ, neceſſe ſit expectare, quod aggreſſor me aliquatenus percutiat?

An ad tuenda bona, quæ actu poſſidentur, eaque maximi momenti, & notabilia, pro quibus defendendis, aut recuperandis nulla alia pateat via quam occiſio rapientis, an, inquam, in hoc caſu licita ſit occiſio?

Annotatione 28.

Quid requiritur, ut Judex dicatur interrogare ſervato ordine juris?

Annotatione 35.

An Notarii in iis caſibus, in quibus tenentur ad reſtitutionem, ſi uſurarius ipſe non reſtituat, reſtituere etiam debeant mercedem acceptam?

Annotatione 37.

Quid agere tenetur Advocatus cognita injuſtitia cauſæ, quam prius ignorabat?

Annotatione 44.

Quantum ſit lucrum, ſeu intereſſe, quod debetur pupillo, ſi tutor pecunias pupillares relinquat otioſas, & ſteriles?

Annotatione 51.

Si uſurarius manifeſtus teſtamentum faciat, & poſtea cautionem præſtet, an per hujuſmodi cautionem validum reddatur teſtamentum?

An valeant Codicilli facti ab uſurario manifeſto?

Annotatione 54.

An per cap. *Uſurarum, de uſuris* in Sexto vetitum ſit locare domum uſurario, qui eam conducit non ad fœnus exercendum, ſed ad alia opera præſtanda?


Anno-

Annotatione 76.

An qui uſurario inſerviunt, unice cuſtodientes ipſius veſtes, animalia &c., poſſint mercedem accipere, & acceptam tenere?

Annotatione 84.

Utrum injuſte detentus, vel damnatus poſſit licite fugere?

Utrum juſte damnatus ad Carcerem, ad exilium, vel ad mulctam pecuniariam, licite poſſit in fugam ſe conjicere?

Utrum juſte damnatus ad carcerem perpetuum, vel ad triremes, licite poſſit aufugere?

Utrum detentus, & juſte damnatus ad mortem, vel ad aliquam gravem corporalem pœnam, licite poſſit fugam capeſſere?

Quid, ſi ſimul cum ſententia Judex reo præciperet, ne auderet fugere?

Quid, ſi hic reus prævideat, quod cuſtos carceris grave damnum patietur propter ipſius fugam: Poteſt ne adhuc licite fugere, hoc ſciens, & animo proſpiciens?

Utrum hic reus, de quo ſermo, qui vel emiſſus juravit ſe rediturum, vel ſemper detentus juravit ſe fugam non eſſe capturum, teneatur in conſcientia redire, & in conſcientia non poſſit fugere?

Utrum hic idem reus iis in caſibus, in quibus poſſet licite fugere, fugere teneatur?

Utrum reus, qui intacta conſcientia poteſt ſe commendare fugæ, poſſit etiam licite rumpere vincula, fores effringere &c.?

Utrum reo juſte damnato liceat vim facere Miniſtris, & Cuſtodibus, ipſis violenter reſiſtere, & ſe defendere eoſdem percutiendo &c.?

Utrum reo poſſit imponi, quod ſibi ipſi mortem inferat, venenum ſumendo, in ignem ſe conjiciendo &c.?

Utrum reus damnatus ad fame moriendum peccet nec ne, ſi cibum ſumat ipſi occulte delatum?

Utrum reus ſic condemnatus comedere teneatur, & peccet non comedendo?

Utrum iis in caſibus, in quibus reus poteſt fugere ſine peccato, poſſint etiam alii eidem conſulere fugam, eum adjuvare, ſubminiſtrando inſtrumenta neceſſaria ad fugiendum?

Utrum reus juſte detentus & condemnatus poſſit licite a Cuſtodibus petere, ut ipſi fugam permittant, vel eoſdem ad id permittendum pecunia inducere?

Annotatione 85.

Cur Summus Pontifex Eugenius III. cap. *Super eo* Extra *de raptoribus* prudens judicavit raptori manifeſto, qui bene valens pœnitere noluit, & reſtituere cum poſſet, pœnitet tamen in morte, factus tunc impotens ad reſtituendum, honorem non permittere ſepulturæ?

Quid agendum, ſi morti proximus promittat ſatisfacere, ſi convaleſcat, & ante ſatisfactionem decedat?



Digitized by Google

Annotatione 86.

Ad quem ſpectet examinare, an cauſa belli juſta ſit & neceſſaria nec ne?

Annotatione 93.

Quid juris, ſi ruſtici, alioqui innocentes, hoſtiles in bello actus exerceant?

Eſſet ne bellum juſtum, ſi Princeps Chriſtianus ipſum indiceret adverſus infideles ad eorum terras occupandas?

Annotatione 94.

Utrum Repreſaliæ ſint licitæ?

Utrum in bello juſto uti liceat inſidiis?

Annotatione 95.

An in bello juſto licitum ſit innocentes ſontibus permixtos occidere?

Utrum miles Principis juſta de cauſa bellantis excubias non agens, nec miſſus ad prædam, ſed caſu incidens in militem hoſticum dormientem, reus fiat homicidii, ſi ipſum interficiat?

Annotatione 99.

Quam pecuniæ ſummam præbere debeant Eccleſiæ, dum non ſubminiſtrant victualia Epiſcopo viſitanti?

Annotatione 107.

Quid juris in dubio de juſtitia tributorum?

Utrum tributa juſta ſolvi debeant etiam non petita, vel expectare quis poſſit, ut petantur, alioqui non ſoluturus?

Utrum Chriſtiani teneantur pedagium ſolvere Sarracenis?

Annotatione 108.

Quomodo reſtitutio facienda ſit ab illis Dominis, qui tributa exigunt injuſta?

Annotatione 114.

An qui in extrema neceſſitate aliquid furatus eſt, ea tranſacta teneatur illud reſtituere, ſi extet?

An qui in extrema neceſſitate aliquid mutuo accepit, vel emit, quod in tali neceſſitate poſitus conſumpſit, teneatur illud reddere, vel ſolvere, neceſſitate tranſacta, deveniens ſcilicet ad pinguiorem fortunam?

An peregrinus extrema neceſſitate preſſus in loco, ubi eſt, alibi tamen bonis abundans, teneatur reſtituere, ſi quid eo in ſtatu ſurripiat?

An abſolute pauper, qui in extrema neceſſitate ſurripuit quantum erat ipſi neceſſarium ad vitæ conſervationem, reſtituere ſaltim teneatur, dum ad fortunam venit pinguiorem?

An qui aliena ſurripuit nondum factus ſupra modum pauper, eaque in extrema neceſſitate conſumpſit, teneatur illa reſtituere meliorem fortunam adeptus?

Annotatione 116.

Si quis credat ſe invito Domino uti re aliena, & Dominus id ratum habeat, erit ne furtum in hoc caſu?

Quid,

Quid, ſi credidit Dominum permiſſurum, ſed ſtulte credidit?

Annotatione 138.

An qui conſilio ſuo tantum movet ad damnum facilius, confidentius, aut citius inferendum, reſtituere teneatur?

An revocans conſilium eximatur ab obligatione reſtituendi damnum ex eo ſecutum?

Utrum qui parato ad inferendum malum ut centum conſulit, ut inferat duntaxat ut quinquaginta, teneatur ad reſtitutionem?

Annotatione 156.

Quid juris, ſi quis rem emat in bona fide, nec habeat tunc motivum dubitandi eam eſſe furatam, ſed poſt emptionem incipiat dubitare: tenetur ne, ſi eam vendat tali dubitatione durante, reſtituere pretium Domino exinde venienti?

Quid, ſi, dum eam emit, dubitabat eandem eſſe furto ſublatam?

Quid, ſi propter tale dubium inquirat Dominum, & debita indagine facta eum invenire nequeat?

Annotatione 157.

Quid juris, ſi quis emat rem raptam, ut eam Domino reſtituat, & res caſu pereat Domino nondum invento: Poterit ne ſic emens repetere & pretium, & expenſas, ſi poſtmodum Dominus inveniatur?

Annotatione 162.

Quo in ſenſu actiones, de quibus Inſtitut. *de Actionibus* §. *Actionum*, vocentur bonæ fidei?

Annotatione 163.

Quid juris, ſi commodatum remittendum tradam nuntio, ſeu miniſtro meo idoneo, de cujus fide nullus unquam dubitavit: Adhuc ne teneor de caſu fortuito, ſi contingat?

Annotatione 168.

An depoſitarius ſemper teneatur depoſitum reſtituere deponenti?

Utrum compenſatio locum habere poſſit in depoſito?

Utrum, ſi Theſaurarius cum pecunia ſibi tradita per modum quaſi depoſiti negotietur, & ex ea fructum percipiat, lucrum inde ſuſceptum fiat ſuum?

Annotatione 171.

Utrum ea, quæ accedunt rebus depoſitis, haberi debeant tamquam depoſita?

Quum depoſitarius utens re depoſita non teneatur ad aliquam reſtitutionem, ſi putabat Dominum id eſſe permiſſurum, inquiritur: An ſit credendum ei, qui in judicio conſtitutus adſerit, ſe id putaſſe, & idcirco non teneri?

An deponens capſulam obſeratam, & obſignatam, in qua inter alia centum habebat nummos aureos, poſſit eos repetere, ſi in reſtitutione

capſu-

capſulæ itidem obſeratæ, & obſignatæ, eos non inveniat?
An cum depoſitarius utitur re depoſita, Domino id expreſſe vel tacite permittente, adhuc habeatur vera ratio depoſiti?
An deponenti liceat revocare depoſitum, quamvis nondum elapſum ſit tempus, pro quo res fuit depoſita?
Utrum quando pecunia deponitur non ſignata, nec obſerata, ſed unice numerata, ex hoc ipſo præſumatur conſenſus Domini, ut ea uti poſſit depoſitarius, quin aliunde probet præſumptionem conſenſus?

Annotatione 175.

An inquilinus quandoque poſſit deſerere domum locatam, ſicut Dominus quandoque poteſt expellere inquilinum?

Annotatione 176.

Qualis debeat eſſe ſterilitas terræ, quæ ſecum fert remiſſionem penſionis pro rata?
An quod ſuper hac re dicitur de conductore, & emphyteuta, idem omnino ſtatuendum ſit de ſimplici partiario, qui cum Domino lucrum partitur, & damnum?
An propter ubertatem augeri debeat penſio, ſicuti diminuitur propter ſterilitatem?

Annotatione 177.

An in aliquibus caſibus poſſit fidejuſſor agere contra principalem debitorem, ut eum a fidejuſſione liberet, antequam ſolvat?
Utrum fidejuſſores aliquo beneficio juventur?
Ubi reperiatur Epiſtola Imperatoris Hadriani, de qua Inſtitut. *de fidejuſſoribus* §. 4.?

Annotatione 178.

Quid, ſi quis invito Domino utatur pignore in ſui commoditatem pretio æſtimabilem, vel fructus ejus percipiat?

Annotatione 180.

Utrum liceat pactum antichriſeos pignori adjectum?
An liceat pactum legis commiſſoriæ in contractu pignoris?
An licitum ſit pactum, quo debitor cum creditore ita paciſcitur, ut, ſi intra tempus quoddam determinatum pretium non ſolvatur, pignus ipſo facto cenſeatur venditum, juſto tamen pretio, & quanti æſtimabitur arbitrio boni viri?
An pactum legis commiſſoriæ pignori adjectum, & utroque jure improbatum, licitum ſaltem ſit, dum agitur de dote, ut Socer convenire poſſit cum genero, quod, ſi intra certum aliquod tempus pecuniam non ſolverit, fundus genero datus in pignus eidem remaneat loco dotis?
Utrum licitum ſit hoc pactum pignori adjectum, quod, ſi debitor tempore adſignato non ſolverit, poſſit creditor aliis pignus vendere, & ſi

quid ſupra debitum ex venditione receperit, hoc ipſum ex integro reſtituat debitori?

Quid juris, ſi pignoratio facta ſit ſine hoc pacto, & debitor ſtatuto tempore non ſolvat?

Quid, ſi in pignoratione cautum ſit, quod pignus non diſtrahatur, etiam ſolutione debito tempore non ſecuta?

Annotatione 185.

Quid, ſi quis ſciens ſe nihil debere, nihilominus aliquid ſolvat tamquam debitum, poterit ne ſolutum condicere, ſeu repetere?

Quid, ſi ſolvat dubitans, an ſolutum ſit debitum nec ne: poterit ne cognita veritate ipſum repetere?

Quid interim agam, ſi creditori meo ſolvam pecuniam, quam poſtmodum recordor jam fuiſſe ſolutam?

Annotatione 199.

An hæres teneatur ad vota defuncti?

Annotatione 201.

Quid, ſi reliquam Sejo centum ſolvendos poſt decem annos a tempore mortis meæ, & hæres tempus ſolutionis præveniat?

Quid, ſi quis per fraudem induxit me, ut, cum deberem ſibi decem tantum, viginti caverim in Inſtrumento me ei debere, & poſtea illud plus etiam a me petierit, & litem conteſtatus fuerit?

Annotatione 218.

Quænam ſunt eæ Literæ Apoſtolicæ, de quibus Innocentius III. cap. 7. Extra *de crimine falſi*?

An pœnis, de quibus in eod. capite, obnoxius ſit, qui una tantum vice deliquit, & non amplius?

Quot modis Literæ Apoſtolicæ poſſint falſificari?

Annotatione 219.

Tempore contractus erat in uſu quædam ſpecifica moneta, quæ lapſu temporis interdicta fuit, aut deterior effecta: Fieri ne debet ſolutio ſecundum æſtimationem, quam habebat moneta illa tempore contractus, vel ſecundum eam, quam habet tempore ſolutionis?

Quid ſignificet Synodaticum, de quo Innocentius III. cap. *Olim* Extra *de cenſibus*?

An, dum quis teſtamento legavit in perpetuum quaſdam monetas ſpecificas, debeat attendi valor ipſarum prout erat in uſu, quando conditum fuit teſtamentum?

Annotatione 221.

An ludus alearum ſit peccatum, & quale?

Annotatione 223.

An mutuo dans pecuniam luſoribus, ut ſecum ludant, poſſit eam repetere?

Annotatione 226.

An

An abſolvi poſſint, qui tenent domos paratas ad ludendum?
Annotatione 230.
Quum Alex. III. in cap. *De hoc* Extra *de Simonia* decreverit, quod Simoniace accepta in caſu, de quo agebat, Eccleſiæ Exonienſi, cui injuria facta fuerat, reſtituerentur: inquiritur, an ſic turpiter accepta ſemper ſint Eccleſiis reſtituenda?
Annotatione 231.
An Simonia crimen ſit mere Eccleſiaſticum, cujus cognitio ad ſolum pertineat Eccleſiæ forum?
Utrum conferens bona ſua Eccleſiæ cum pacto, quod recipiatur in Canonicum, & ea ſibi retineat pro Præbenda, committat Simoniam?
An liceat vendere juſpatronatus alicujus rei ſpiritualis, puta Beneficii, Canonicatus &c.
An ſine vitio Simoniæ liceat dare, vel promittere alteri aliquid temporale, ut faciat aliquod opus ſalutare in ſui utilitatem: puta audiat ſacrum, ſuſcipiat Sacramenta, oret pro ipſo?
An ante ſententiam Judicis dimittere quis debeat, quod Simoniace accepit?
An hoc locum habeat in eo, qui Beneficium Simoniace obtinuit ipſo inſcio?
An ſic proviſo faveat Regula Cancellariæ Apoſtolicæ de triennali poſſeſſione ad præſcribendum?
An obligatio ſtatim dimittendi &c. locum itidem habeat in eo, qui conſulto prohibuit, ne aliquid daretur a quoquam?
An, ſi inimicus conſulto pecuniam daret, vel promitteret, ut alterius electionem inficeret, electus fraude cognita teneatur dimittere Beneficium?
Quis diſpenſare poteſt cum eo, qui Beneficium conſecutus eſt Simoniace?
An ſit Simonia alicui conferre, vel procurare Beneficium ratione conſanguinitatis, affinitatis, vel amicitiæ?
An Epiſcopus ſine Simonia poſſit alicui conferre Beneficium intuitu obſequii ſibi præſtiti?
An Simoniacum ſit aliquid accipere ob ingreſſum in Religionem?
Annotatione 232.
An in mutuo pœna civilis, eaque conventionalis, poſſit apponi?
Annotatione 235.
An, & quæ ignorantia impediat, vel efficiat præſcriptionem?
Quæ poſſeſſio requiratur ad præſcriptionem?
An ſufficiat poſſeſſio, quæ dicitur civiliſſima?
Quum inter præſentes præſcriptio rerum immobilium decennio compleatur: inquiritur, quid juris, ſi præſcribens quibuſdam annis præſens ſit, abſens vero cæteris?
Annotatione 237.
Quum S. Bernardinus &c., inquiri poteſt, an ad reſtitutionem quoque tenea-

neatur, qui legitime citatus a Judice fugam arripit, ne teſtimonium ferat: itemque ille, qui fuga ſe ſubtrahit, antequam citetur a Judice?

An teſtis legitime interrogatus teneatur revelare ea, quæ ſibi ſub ſecreto commiſſa ſunt?

An idem teſtis teneatur revelare, quod jurejurando promiſit ſe non revelaturum alicui?

An idem teſtis aperire veritatem teneatur, ſi teſtis unicus ipſe ſit, & res, de qua agitur, alteri non ſit nota?

An teſtis, qui ex malitia, vel culpabili inadvertentia falſum teſtimonium dixit, teneatur illud revocare cum pari damno, &. periculo, ſi opus eſſet, etiam propriæ vitæ?

Ad quid teneatur teſtis, qui memoria deceptus, debita licet adhibita diligentia, teſtatus eſt falſum?

Utrum quis in cauſa propria aſſumi poſſit in teſtem?

Annotatione 244.

Utrum Judex ſententiam ferre poſſit injuſtam, ſi agatur de reo condemnando ſecundum allegata, & probata, dum ipſe privata ſcientia cognoſcit eum eſſe innocentem?

Quid interim aget Judex in hiſce anguſtiis conſtitutus?

Quid aget Miniſter, cui executio ſententiæ demandatur, ſi Judex innocentem condemnet?

Annotatione 253.

Utrum accedente Domini conſenſu poſſit quis inquirere theſaurum in alienis terrulis: & quid juris, ipſo invento?

Annotatione 258.

Super Dubio Authoris, dum fit aliqua ſpecies ex materia aliena, inquiritur: Quid juris, ſi res non immutetur, ſed alienam duntaxat meæ conjungam?

Quid, ſi duæ materiæ duntaxat mutuo confundantur?

Quid, ſi duæ materiæ duntaxat invicem admiſceantur?

Annotatione 261.

An Beneficiarii teneantur erogare pauperibus, vel in alia pia opera impendere reditus, quos ultra honeſtam ſuſtentationem ab Eccleſia percipiunt, ita ut graviter peccent eos impendentes in convivia &c., aut eos conſanguineis non tamquam pauperibus elargientes?

An Clerici Beneficiarii eoſdem reditus impendentes in uſus profanos &c., aut ad ditandos conſanguineos, rei fiant violatæ juſtitiæ, & teneantur ad reſtitutionem?

An Beneficiarii teſtari poſſint de fructibus Beneficii?

An Beneficiarii, qui habent unde vivant ex bonis ipſorum patrimonialibus, poſſint licite vivere ex reditibus, & fructibus Beneficii?

Utrum Beneficiarii, qui non faciunt expenſas proprio ſtatui convenientes,

ſint

Digitized by Google

ſint Domini illius, quod ſubtrahunt propriæ ipſorum ſuſtentationi, ut de his parſimoniis poſſint pro libito diſponere, eaſque conſanguineis, amiciſve donare?

Annotatione 262.

Quid importet reſidentia Beneficiariorum?

Quinam Beneficiarii teneantur ad reſidentiam?

Utrum hujuſmodi reſidentia debeat eſſe continua, ut hiſce Beneficiariis nunquam liceat abeſſe?

Utrum requiratur cauſa, ut Beneficiarius frui poſſit abſentia per Concilium permiſſa?

An pro eadem Concilari abſentia neceſſaria ſit Superioris licentia, Summi ſcilicet Pontificis quoad Epiſcopos, & Epiſcopi quoad Canonicos, & Parochos?

An Epiſcopi, itemque Canonici indigeant licentia Superioris, ut abſint ultra menſes iiſdem a Concilio permiſſos?

Quænam ſint cauſæ, ob quas Epiſcopi, itemque Parochi legitime, & licite poſſunt abeſſe?

Utrum Epiſcopi trimeſtrem abſentiam unius anni iiſdem a Concilio permiſſam poſſint conjungere cum trimeſtri abſentia ſequentis anni, & ſic abeſſe per ſex menſes continuos?

Quantum temporis permittatur Epiſcopis, quod immorentur in Urbe poſt ipſorum promotionem: Quantum item temporis iiſdem concedatur pro viſitandis ſacris liminibus Apoſtolorum?

An in caſu, in quo tenentur ad reſtitutionem, ad eandem teneantur ipſo facto, ante quamcumque Judicis declarationem?

Annotatione 264.

Quid juris, ſi pecunia patris, cum qua unus ex filiis negotiatur, & lucrum percipit, otioſa omnino ſit, & veluti mortua?

Annotatione 282.

Quænam ſunt juſtæ cauſæ exhæredandi filios?

Annotatione 283.

An filius uxorem habens & filios, in æquali neceſſitate conſtitutis parentibus, uxore, & propriis filiis, teneatur prius ſuccurrere parentibus, quam uxori, & filiis?

Annotatione 325.

An compoſitio ſuper incertis fieri etiam poſſit ab Epiſcopis in ipſorum Diœceſi, vel ad ſolum pertineat Romanum Pontificem?

*F I N I S.*

INCI-

Digitized by Google

# INCIPIT

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PRologus in Tractatum Reſtitutionum editum per Venerandum Patrem Fratrem Angelum de Clavaſio Ordinis Minorum.

Etſi neſcius non ſim, aliqualem notam præſumptionis apparenter incurrere, qui poſt luculentiſſimos Tractatus Reſtitutionum magnorum, & excellentiſſimorum virorum alium voluerit ordinare, cum ſufficientiſſime per ipſos dictum ſit, & ſuperfluitatem ſolum videatur continere. Attamen cogitans naturam, quæ nihil agit fruſtra, (ut dicit Philoſophus primo de Cœlo & mundo, & primo Politicorum) ſemper deproperare novas edere formas juxta dictum L. 2. §. *ſed quia divinæ* C. *de veteri jure enucleando*, ob hanc niſi fallor cauſam, ut diverſitati intellectuum magis ſatis faciat diverſitas ordinis: decrevi ego Frater Angelus de Clavaſio Ordinis Minorum minimus, licet inſufficiens, cum Dei adjutorio & alium Tractatum ordinare multorum rogatu: ut



Digitized by Google

qui forte ex uno ordine parvitate ingenii profunditatem reſtitutionum attingere non poſſunt, diverſitate Tractatuum comprehendant: Et ut etiam qui diverſos Tractatus eorum habere non poſſunt, hunc unum compendioſum habentes clare cognoſcant quod a diverſis eſt ordinatum: Et ſic mihi mea præſumptio proſit, qui cum veritate nunc ago juxta determinationem L. *Cum quidam* ff. *de adquirenda vel omittenda hæreditate*: & religioſa Confeſſorum ſolicitudo augeatur, ſicuti fieri debet juxta illud L. 1. C. *Pro quibus cauſis ſervi*.

(1) En teſtum L. 2. C. *de veteri jure enucleando* §. 18 – *Sed quia divinæ quidem res perfectiſſimæ ſunt, humani vero juris conditio ſemper in infinitum decurrit, & nihil eſt, quod ſtare perpetuo poſſit: multas enim formas edere natura novas deproperat: non deſperamus, quædam poſtea emergi negotia, quæ adhuc legum laqueis non ſunt innodata. Si quid igitur tale contigerit, Auguſtum imploretur remedium: quia ideo imperialem fortunam rebus humanis Deus præpoſuit, ut poſſit omnia, quæ noviter contingunt, & emendare, & componere, & modis & regulis competentibus tradere.*

En textum L. *Cum quidam* ff. *de adquirenda vel omittenda hæreditate* §. 4. – *Toties igitur ei ſua præſumptio proficit, quoties concurrit cum veritate.*

En denique textum L. 1. C. *Pro quibus cauſis ſervi* – *Quoniam religioſa ſolicitudo ad augendam, provocandamque fidei obſervationem, juris præmio adfici debet.*

Qui Tractatus tribus Conſiderationibus erit diſtinctus; Conſiderationes vero Articulis; Articuli autem Dubiis, ſeu Quæſtionibus declarabuntur. Et quoniam tertius Articulus primæ Conſiderationis multas quæſtiones declarare requirit: ut facilius inveniatur quod quæritur, in ipſo Titulos appoſui, quilibet de ſua materia continens ſuas pertinentes quæſtiones. Quarum Conſiderationum prima erit: quis reſtituere teneatur: ſecunda, quomodo: tertia, quando. Explicit Prologus.

INCI-

# INCIPIT.

PRima Conſideratio, in qua declaratur, quis reſtituere teneatur.

Circa primam Conſiderationem, in qua quis reſtituere teneatur, declarari debet, notandum eſt pro Regula: quod quilibet reſtituere tenetur quidquid habet de alieno, & quidquid eſt alienum vel ad alium ſpectat, & quidquid alteri debet ex contractu vel quaſi, ex maleficio vel quaſi, ſive ex teſtamento, vel ex quacumque alia cauſa honeſta. Arguitur cap. *Si res* 14. q.6., & L.*Juſtitia* §.*Juris præcepta* ff.*de juſtitia & jure*. Sive obligetur jure naturali, & civili, ſive naturali tantum, ſive tantum civili, ſcilicet quando eſt per ſententiam condemnatus. Item tenetur talis non tantum ad principale, ſed ad ſequens, videlicet fructus rei. Item ad omne intereſſe. Item ad omne damnum, quod ipſe dedit per ſe, vel per alium: & quod occaſione ſui datum eſt, quod alias datum non fuiſſet. Item ad omne damnum datum a ſubditis propter ejus negligentiam. Item ex omiſſione.

(1) IN cap. *Si res aliena* ita ſcriptum eſt — *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur, non agitur poenitentia, ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum: ſed, ut dixi, cum reſtitui poteſt* — Hoc caput Auguſtini eſt Ep.54. ad Macedonium.

Lex *Juſtitia* ita habet — *Juris præcepta ſunt hæc, honeſte vivere, alterum non lædere, ſuum cuique tribuere* —

Plurimæ fuerunt allatæ definitiones reſtitutionis. Theologi Scotiſtæ dixerunt, quod — *reſtitutio eſt redditio æquivalentis pro æquivalente alias indebiti* —, ex Scoto in 4. diſt. 15. q. 1., & ex Eminentiſſ. Card. de Lauraea Tom. 2. de virtutib. in gen. diſp. 23. num. 3., ubi num. 6. probat reſtitutionem rerum alienarum præcipi de jure naturali, divino, gentium, Canonico, & Civili. Thomiſtæ ſcripſerunt — *reſtitutionem eſſe actum juſtitiæ commutativæ, quo damnum proximo datum reficitur ad æqualitatem* — ex S. Thoma 2. 2. q. 62. art. 1. & ex Eminentiſſ. Card. de Lugo Tom. 1. de juſtit. & jure diſp. 8. num. 17. Theologi Morales aſſeruerunt eam eſſe — *actum juſtitiæ, quo cuique redditur quod ab eo ablatum, vel acceptum eſt* — Ita ex Eminentiſs. Card. Tolet. in Summ. lib. 5. cap. 17. num. 1. Canoniſtæ reſponderunt, quod — *reſtitutio eſt condigna ſatisfactio juxta facultates pro damno contra juſtitiam irrogato* — ex cap. *In Litteris*, *de Raptoribus*, & ex Card. Cavalier. deciſ. 651. num. 4. Alii tandem notarunt — *eſſe actum juſtitiæ commutativæ reddentis unicuique debitum ſuum* —, ex Rebell. de oblig. juſtit. lib. 2. q. 1. num. 3. Sive quod ſit — *redditio rei acceptæ, vel damni illati compenſatio* —, ex Tamburin. in Decal. lib. 8. Tract. 3. Reſtit. cap. 1. num. 1. Aut — *damni injuſte dati ſecundum æqualitatem arithmeticam reſtauratio* — ex Layman lib. 3. Tract. 2. cap. 1. num. 1. Omnes quidem optime. Hactenus Joannes Clericatus Præpoſitus in ſuis Deciſionibus Miſcellaneis Deciſ. 79. num. 2. Appoſite iccirco idem Author Tom. 3. cap. 75. num. 1. reſtitutionem exponens inquit — *Eſt actus juſtitiæ, quo reparatur damnum illatum proximo per injuriam ad æqualitatem rei*. Dicitur *actus juſtitiæ*, quia hæc eſt radix reſtitutionis, & ideo damna illata contra charitatem non obligant ad reſtitutionem, ſed quæ inferuntur contra juſtitiam, ſcilicet violando jus, quod proximus habet in re, vel ad rem. Item dicitur *per injuriam*, quæ eſt duplex: aut materialis tantum, ut ſi quis domum deſtruat, rem auferat, credens id ſibi licere: aut formalis, cum quis mala fide rem alienam ſurripit, vel damnum infert. Vel dici poteſt culpabiliter, vel inculpabiliter. Dicitur — *ad æqualitatem rei*: quia ſi quis damnificavit in centum, debet ea centum reſtituere: Hæc ille. Appoſite pariter Regula 4. Juris in Sexto: *Peccatum non dimittitur, niſi reſtituatur ablatum* —, quam Anacletus in ſuo Tractatu de Regulis Juris cap. 2., ubi de eadem Regula, ſic exponit num. 2. Eam non de quovis, ſed de ſolis peccatis contra juſtitiam, injuſte auferendo, retinendo, vel injuſte damnificando commiſſis intelligi, quæ non dimittuntur, niſi injuſte ablatum vel retentum reſtituatur, vel, ſi phyſica aut moralis impoſſibilitas intervenit, id, quamprimum fuerit poſſibile, præſtandi ſeria habeatur voluntas. Ratio in textu citato (nempe cap. *Si res* ſupra producto) allegatur — *quia ſi reddi poteſt, & non redditur, non agitur poenitentia, ſed fingitur* — Quod item intellige de eo, cui quidem hic & nunc moraliter vel phyſice impoſſibile eſt reſtitue-

ſtituere, vel damnum reſarcire, voluntas tamen id faciendi deeſt, quando poterit: quia præſens phyſica vel moralis impoſſibilitas juxta communem tam Juriſtarum quam Theologorum ſententiam non extinguit, ſed tantum ſuſpendit obligationem reſtituendi, quamdiu impoſſibilitas durat: cum res ſemper clamet ad Dominum ſuum — Hactenus Anacletus. Appoſite demum S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 1. — *Dicendum, quod reſtituere nihil aliud eſſe videtur, quam iterato aliquem ſtatuere in poſſeſſionem, vel dominium rei ſuæ —*, quem præivit L. *Plus* ff. *de verborum ſignificatione* inquiens — *Plus eſt in reſtitutione, quam in exhibitione. Nam exhibere eſt præſentiam corporis præbere: reſtituere eſt etiam poſſeſſorem facere, fructuſque reddere: pleraque præterea reſtitutionis verbo continentur —*, & L. *Reſtituere* ibidem, quæ eſt in ordine 75. — *Reſtituere is videtur, qui id reſtituit, quod habiturus eſſet actor, ſi controverſia ei facta non eſſet —*.

Reſtitutio diſtinguitur a ſolutione, & ſatisfactione. A prima quidem, quia reſtitutio præſupponit rem fuiſſe in poteſtate illius, cui reſtituitur; ſolutio autem eſt collatio, ſeu datio rei, quæ ab eo, cui datur, nondum habetur. A ſatisfactione autem diſtinguitur ex triplici capite. Primo, quia ſatisfactio magis ample ſignificat quam reſtitutio, eo quod omnis reſtitutio ſit ſatisfactio, non vero omnis ſatisfactio reſtitutio: puta qui ſolvit pretium anuli ſatisfacit, ſed non reſtituit niſi in improprio ſenſu. Secundo, quia ut docet S. Thomas in 4. diſt. 15. q. 1. art. 5. ad 1. — *Reſtitutio eſt reparatio inæqualitatis in rebus: reparatio autem inæqualitatis exiſtentis in actionibus, & paſſionibus, ſatisfactio nominatur —*. Satisfactio itaque refertur ad perſonam, cui ſatisfit, tametſi non fiat æqualitas, ut patet in ſatisfactionibus noſtris Deo oblatis: reſtitutio autem efficit æqualitatem rei ad rem. Tertio, quia ſatisfactio proprie accepta præſupponit injuriam perſonalem, pro qua compenſationem offert, quod non præſupponitur a reſtitutione proprie accepta: puta dum quis reddit mutuum, reſtituit commodatum, in quibus intervenit reſtitutio abſque ſatisfactione. Ita Cuniliati de ſeptimo Decalogi præcepto cap. 4. §. 1. num. 1.

Super reſtitutione ſequentes habemus Propoſitiones a Summis Pontificibus Alex. VII., & Innoc. XI. proſcriptas, quas in unum congeſſit Daniel Concina de juſtitia & jure Diſſert. 2. cap. 1. §. 1.

1. *Quando litigantes habent pro ſe opiniones æque probabiles, poteſt Judex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio.* Eſt 26. Alexandro VII.

2. *Licitum eſt mutuanti aliquid ultra ſortem exigere, ſi ſe obliget ad non repetendam ſortem uſque ad certum tempus.* Eſt 42. Alex. VII.

3. *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.* Eſt 36. Innocentii X.

4. *Famuli & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.* Eſt 37. Innocentii.

5. Non

Digitized by Google

5. *Non tenetur quis ſub poena peccati mortalis reſtituere quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcumque ſit magna ſumma totalis*. Eſt 38. Innocentii.

6. *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati*. Eſt 39. Innocentii.

7. *Contractus Mohatra licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævia inito cum intentione lucri*. Eſt 40. Innocentii.

8. *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem exigere, & eo titulo ab uſura excuſari*. Eſt 41. Innocentii.

9. *Uſura non eſt, dum ultra ſortem aliquid exigitur tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolum ſi exigatur tamquam ex juſtitia debitum*. Eſt 42. Innocentii.

Adjici poteſt hæc propoſitio num. 50. improbata a Clero Gallicano anno 1700.

Etiamſi Donatario perſpectum ſit, bona ſibi data a quopiam ea mente, ut creditores fruſtrentur, non tenetur reſtituere, niſi eam donationem ſuaſerit, vel ad eam induxerit.

Item hæc alia num. 9. ab eodem Clero eo tempore proſcripta — Uſura, etſi eſſet prohibita Judæis, non tamen Chriſtianis, lege veteri in judicialibus præceptis aboleta per Chriſtum.

Et quoniam quodcumque damnum omnium iſtorum modorum, quo homo proximo ſatisfacere obligatur, ad triplex ſecundum Scotum, & Ricardum, in 4.diſt.15. poteſt reduci, ſcilicet ſpirituale, corporale, & temporale: ideo ut clarius, non ſolum quis, verum etiam quantum, & quid reſtituere teneatur, percipiatur, præſens hæc prima Conſideratio tribus Articulis declarabitur, Articuli vero quæſtionibus, ſeu dubiis, dilucidabuntur.

PRI-

PRIMUS ARTICULUS primæ Conſiderationis, ſpiritualis læſionis manifeſtativus.

Primus igitur Articulus erit ſpiritualis offenſionis declarativus, pro cujus expeditione undecim quæruntur dubia.

PRIMUM DUBIUM. Utrum quis poſſit damnificari in bonis animæ?

Reſpondeo ſecundum Scotum in 4. diſt. 15. q. 3., quod duplex eſt bonum animæ, ſcilicet naturale, & accidentale. Bona igitur naturalia, quum ſint incorruptibilia ſicut & ipſa anima, non poſſunt lædi directe: & talia ſunt illa, ſine quibus non contingit animam eſſe, ut eſt intellectus, liberum arbitrium, voluntas, & hujuſmodi. Indirecte autem poteſt quis in talibus bonis alium lædere ſecundum Bonaventuram in 2. diſt. 25. art. 1. q. 4. primæ partis, ſcilicet uſu talium privando: ſicuti ſi quis poculum daret, vel aliud faceret, quo amentem aliquem redderet.

(1) ACcipe verba Sancti Cardinalis loco indicato — Ad prædictorum intelligentiam eſt notandum, quod eſt loqui de libero arbitrio quantum ad actum exteriorem, & quantum at interiorem, ſive quantum ad actum proprium, & quantum ad actnm alienum. Si loquamur de libero arbitrio quantum ad actum exteriorem, ſic reſpectu talium actuum poteſt inveniri coactio; poteſt enim quis compelli, ut genua coram idolo flectat, & ut manibus propriis thura altaribus imponat, vel incendat. Si autem loquamur quantum ad actum interiorem, qui ſcilicet eſt velle, vel eligere, aut conſentire, ſic reſpectu talis actus poteſt liberum arbitrium aliquo modo induci: poteſt & impediri; ſed nullo modo poteſt compelli. Induci quidem poteſt, quando amat aliud a ſe, & quod intra ſe eſt. Unde per oblationem alicujus rei amatæ, vel ablationem pôteſt induci ad conſentiendum in aliquid multum efficaci perſuaſione, per quem modum idololatræ tentabant Sanctos Martyres conſentire in idololatria, modo promittendo delectabilia, modo infligendo triſtia. Iſta tamen inductio longe diſtat a coactione, ſicut probat ipſe exitus, quia nec blandimentis allici, nec tormentis terreri adeo potuerunt,

runt, ut a veritate juſtitiæ mutarentur: & ſic liberum arbitrium induci poteſt, quia amat aliquid intra ſe, utpote vitam temporalem, vel aliquid conſimile, quod poteſt agens creatum conferre, vel auferre. Poteſt etiam impediri propter inclinationem, & conjunctionem ſui ad corporalem naturam, quæ ſubeſt virtuti creaturæ: unde bene poſſet aliquis alium ita lædere, quod uſum liberi arbitrii amitteret; ex hoc tamen liberum arbitrium non cogeret. Coactio enim ponit liberi arbitrii actum, & uſum, ſed ligatio, vel impeditio tollit — Hæc ille.

In bonis autem accidentalibus animæ, cujuſmodi ſunt bona gratiæ, morum, & virtutum tam acquiſita, quam acquirenda, poteſt quis ſecundum Scotum ubi ſupra indirecte aliquem lædere, & diſpoſitive, ſcilicet inducendo ad actus vitioſos, quibus talia corrumpuntur. Directe autem non: quoniam talia non corrumpuntur niſi per peccatum, & peccatum oportet ſit voluntarium, ut ſit peccatum 23. q. 4. cap. *Nabuchodonoſor*.

(2) Caput *Nabuchodonoſor* Auguſtini eſt in lib. de prædeſtinatione & gratia cap. 15., & ita habet — *Nabuchodonoſor poenitentiam meruit fructuoſam. Nonne poſt innumeras impietates flagellatus poenituit, & regnum quod perdiderat, rurſus accepit? Pharao autem ipſius flagellis eſt durior effectus, & periit. Hic mihi rationem reddat qui divinum conſilium nimirum alto, ſapientique corde dijudicat, cur medicamentum unius medici manu confectum, alii ad interitum, alii valuerit ad ſalutem: niſi quia Chriſti bonus odor aliis odor mortis in mortem? Quantum ad naturam, ambo homines erant. Quantum ad dignitatem, ambo Reges. Quantum ad cauſam, ambo captivum populum Dei poſſidebant. Quantum ad poenam, ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit eſſe diverſos, niſi quod unus manum Dei ſentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei miſericordiſſimam veritatem pugnavit arbitrio?*

*Eadem* exhibent cap. *Non eſt* 15. q. 1. — *Non eſt, quod cuiquam noſtram adſcribamus ærumnam, niſi noſtræ voluntati. Nemo tenetur ad culpam, niſi voluntas propria deflexerit. Non habent crimen quæ inferuntur reluctantibus. Voluntaria tantum commiſſa ſequitur delictorum invidia, quam in alios derivamus. Voluntarium ſibi militem legit Chriſtus: voluntarium ſervum ſibi Diabolus auctionatur.*

SECUNDUM DUBIUM. Utrum lædens aliquem in bonis animæ naturalibus, licet indirecte, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpo-

Reſpondeo, quod ſic. Et quoniam nullus tali læſo dignam recompenſationem facere poteſt, & multo magis ſi in perpetuam amentiam deduxit illum; ideo arbitrio boni viri ſatisfaciet: qui bonus vir judicabit primo, ut petat veniam per ſe, vel, ſi non poteſt, per interpoſitam perſonam: deinde ut ſatisfaciat ſecundum poſſe plus vel minus ſecundum malitiam offendentis, & damna, quæ læſo, & aliis evenerunt, ut infra dicetur de vulnerante, & occidente, in dubio primo, & ſecundo ſecundi Articuli. Pro Regula a Ricardo in 4. diſt. 15. art. 5. q. 3., & communiter a Doctoribus tenetur, quod, quando reſtitutio non poteſt fieri ſecundum damnum, arbitrio boni viri relinquatur. Ideo notanda eſt. Item eſt alia Regula ſecundum Ricardum ubi ſupra, nempe quod, quando res male ablata non poteſt reſtitui, reſtitutio debet fieri in æquivalenti (ſi poſſibile eſt) Extra *Ut lite pendente nihil innovetur* cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ* (ſecundo videlicet ita incipiente).

(5) Inquirunt Morales Theologi, quænam ſint, & quot radices reſtitutionis, ſeu ex quibus oritur obligatio reſtituendi. Et quamvis alii plures, alii pauciores adſignent, omnes tamen in idem recidunt. Placet cum communiori eas ex quatuor capitibus repetere, ex re videlicet accepta; ex injuſta acceptione, & detentione, ex damno injuſte illato, & ex contractu. Ex re inquam accepta: puta cum quis rem alterius bona fide accipit, vel poſſidet, qui, ſtatim atque cognoſcit eſſe alterius, tenetur eam Domino reſtituere: quia, uti ſancitur Regula 48. Juris in Sexto — *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura* —. Ex injuſta acceptione, culpabili puta rei alienæ ablatione vel retentione, de qua dicitur cap. *Si culpa* Extra *de injuriis, & damno dato* — *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem forte tuliſti, aut hæc imperitia tua, ſive negligentia evenerunt: jure ſuper his ſatisfacere te oportet, nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam*. Ex damno injuſte illato: puta quum quis nihil alterius accipiens, aut detinens, eidem damnum infert, comburendo domum, devaſtando ſegetes, vel doloſe impediens, ne bonum aliquod quis conſequatur. Ex contractu demum tum explicito, tum implicito; tenetur enim quis reſtituere pecuniam mutuo acceptam, etiamſi eam fortuito caſu amiſerit. Hæc pene omnia complectitur S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 6. in cor-

pore ſcribens — *Dicendum, quod circa illum, qui rem alienam accepit, duo ſunt conſideranda, ſcilicet ipſa res accepta, & ipſa acceptio. Ratione autem rei tenetur eam reſtituere, quamdiu eam apud ſe habet: quia quod habet ultra id, quod ſuum eſt, debet ei ſubtrahi, & dari ei, cui deeſt ſecundum formam commutativæ juſtitiæ. Sed ipſa acceptio rei alienæ poteſt tripliciter ſe habere. Quandoque enim eſt injurioſa, ſcilicet contra voluntatem exiſtens ejus, qui eſt rei Dominus, ut patet in furto & rapina, & tunc tenetur ad reſtitutionem non ſolum ratione rei, sed etiam ratione injurioſæ actionis, etiamſi res apud ipſum non remaneat. Sicut enim qui percutit aliquem, tenetur recompenſare injuriam paſſo, quamvis apud ipſum nihil maneat; ita etiam qui furatur, vel rapit, tenetur ad recompenſationem damni illati, etiamſi nihil inde habeat: & ulterius pro injuria illata debet puniri. Alio modo aliquis accipit rem alterius in utilitatem ſuam abſque injuria, cum voluntate ſcilicet ejus, cujus eſt res. Et tunc ille, qui accipit, tenetur ad reſtitutionem ejus, quod accepit, non ſolum ratione rei, ſed etiam ratione acceptionis, etiamſi rem amiſerit: tenetur enim recompenſare ei, qui gratiam fecit; quod non fiet, ſi per hoc damnum incurrat. Tertio modo aliquis accipit rem alterius abſque injuria, non pro ſua utilitate, ſicut patet in depoſitis. Et ideo ille, qui ſic accepit, in nullo tenetur ratione acceptionis; quin immo accipiendo impendit obſequium: tenetur autem ratione rei. Et propter hoc ſi ei ſubtrahatur res abſque ſua culpa, non tenetur ad reſtitutionem. Secus autem eſſet, ſi cum magna ſua culpa rem depoſitam amitteret* — .

Porro plurimi intereſt ſcire (Egregie Petrus Colletus ſuis in Inſtitutionibus de juſtitia & jure cap. 3. art. 1.) quo ex titulo teneatur quis ad reſtituendum. Si enim tenetur quia rem alterius inique poſſidet, perſeverat reſtituendi obligatio, re etiam deſtructa, vel ſublata; licet non inde ditior factus ſit: quia iniqua damnificatio fundat reſtitutionis obligationem, quæ ſubſiſtit donec realis ponatur damni reparatio. Si vero teneatur ad reſtituendum abſque prævia injuſtitia, tunc ſi abſque ipſius culpa pereat res, quam reſtituere debebat, non tenetur niſi quantum ex ea factus eſt ditior, quia totum obligationis ejus fundamentum inde eſt, quod habeat rem alterius vel in ſe, vel in aliquo, quod ei ſuccedat. Eſt autem differentia inter rem ipſam ſecundum ſe, & id quod loco ejus ſuccedit, quod res ipſa ſemper clamat Domino, eique ſecundum ſe debeatur quamdiu ſupereſt, excepto præſcriptionis caſu; id vero, quod loco rei ſuccedit, tunc ſolum Domino debetur, quando & quantum bonæ fidei poſſeſſor factus eſt locupletior — . Hæc ille.

Quatuor radicibus ſupra enarratis nonnulli duas alias adjiciunt, ex lege ſcilicet poſitiva, & ex juſta ſententia. Ex lege quidem; hæc enim quandoque obligat ad reſtitutionem, tametſi in eo caſu non habeatur res accepta, nec injuſta acceptio, nec damnum injuſte illatum, nec contractus. Exemplum eſto quod ſancitur L. *Præter* ff. *de his, qui effuderint* — *Unde*

in

Digitized by Google

*in eum locum, quo vulgo inter ſiet, vel in quo conſiſtetur dejectum vel effuſum quid erit, quantum ex ea re damnum datum, factumque erit, in eum, qui ibi habitaverit, in duplum judicium dabo. Si eo ictu homo liber periiſſe dicitur, quinquaginta aureorum judicium dabo. Si vivet, nocitumque ei eſſe dicetur, quantum ob eam rem æquum Judici videbitur, eum, cum quo agetur, condemnari, tanti judicium dabo. Si ſervus inſciente Domino feciſſe dicetur, in judicio adjiciam, aut noxam dedere jubebo* — (Utor Corpore Juris Civilis impreſſo Auguſtæ Taurinorum anno 1757.) Ex ſententia pariter, quippe contingere poteſt, quod Judex ſententiam reſtitutionis ferre debeat non ob aliquam ex memoratis radicibus, ſed vel ad puniendam contumaciam, vel ob aliam juſtam cauſam.

Caſus, de quo Author, reducitur ad damnum injuſte illatum, quod ad æqualitatem compenſari nequit: quoniam, ſi — *in homine libero nulla corporis æſtimatio fieri poteſt* —, uti habet lex nunc producta §. 5., multo minus fieri poterit æſtimatio mentis liberæ, quæ ob inductam amentiam impotens facta eſt regendi tum familiam, tum proprios animi motus. In eo igitur fieri debet compenſatio arbitrio boni viri, penſatis prius omnibus damnis inde ſecutis, quæ varia quidem erunt juxta perſonarum varietatem, ſed tamen ſemper graviſſima.

Tertium Dubium. Utrum lædens in bonis animæ accidentalibus, licet indirecte, ſicuti faciunt qui docent peccata, vel provocant alios ad peccata, contaminantes eos ſuo malo exemplo, ſuadentes, blandientes, rogantes ut talia faciant, & hujuſmodi, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Aſtenſem lib. 5. tit. 29., quod ſic. Et multo magis quam damnificantes in bonis temporalibus 6. q. 1. cap. *Deteriores*. Et ideo tenetur doctrina, conſilio, auxilio, oratione, & hujuſmodi, quantum poteſt, & in ſe eſt, per ſeipſum, & per alios, dummodo peccatum occultum non pandat, eum ad bonum reducere. Concordant Scotus, & Ricardus in 4. diſt. 15., & Girardus Obdonus. Et nota ſecundum Scotum ubi ſupra q. 3., quod licet quis digne non poſſit ſatisfacere, tamen non eſt dimittendus ſine aliqua ſatisfactione: quoniam plus tenetur quam ille, qui damnum dedit in temporalibus.

(6) Agunt hac de re nedum Aſteſanus noſter, Scotus, aliique ab Authore laudati, ſed inſuper S. Antoninus in ſumma par. 2. tit. 2. cap. 2. §. 1., S. Ber-

S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 36. art. 1. per totum, Gennettus Tom. 7. Tract. 8. cap. 5. q. 5., Daniel Concina lib. 2. de juſtitia & jure Diſſert. 2. cap. 9. §. 1., aliique. Memento propoſitionis damnatæ ad Innoc. XI., videlicet — *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati* —. Vere etenim ſcriptum eſt cap. *Deteriores* 6. q. 1. — *Deteriores ſunt, qui Doctorum vitam, moreſque corrumpunt, his, qui ſubſtantias aliorum, prædiaque diripiunt* —: quia, ut ait Gloſſa ibidem — *pejus eſt perſuadere quam facere*: quod probari poteſt L. *Ait Prætor* ff. *de ſervo corrupto* ſub initio — *Qui ſervum, ſervam, alienum, alienam recepiſſe, perſuaſiſſeve quid ei dicitur dolo malo, quo eum, eam deteriorem faceret, in eum, quanti ea res erit, in duplum judicium dabo* —; & ibidem §. 3. — *Perſuadere autem plus eſt, quam compelli, atque cogi ſibi parere* —; & ibidem L. *Ut tantum* §. 6. — *Si ſervo meo perſuaſeris, ut Titio furtum faciat, non ſolum in id teneris, quo deterior ſervus effectus eſt, ſed & in id, quod Titio præſtaturus ſim* —; & cap. *Tanta* diſt. 86. — *Tanta nequitia ad aures meas de tua ſenectute pervenit, ut eam niſi adhuc humanitus penſaremus, fixa jam maledictione feriremus. Dictum quippe mihi eſt, quod Dominico die, priuſquam Miſſarum ſolemnia celebrares, ad exarandum meſſem laboris præſentium perrexiſti, & poſt exarationem ejus, Miſſarum ſolemnia celebraſti: poſt Miſſarum ſolemnia etiam terminos poſſeſſionis illius eradicare minime timuiſti. Quod factum quæ poena debeat inſequi, omnes, qui audiunt, ſciunt. Dubii autem de tanta hac perverſitate fueramus, ſed filius noſter Cyriacus Abbas a nobis requiſitus, dum eſſet Caralis, ita ſe cognoviſſe perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur, ut aliquando reſipiſcas miſer ſenex, atque a tanta te levitate morum, & operum perverſitate compeſcas. Quanto morti vicinior efficeris, tanto fieri ſolicitior, atque timidior debes. Et quidem poenæ ſententia in te fuerat jaculanda; ſed quia ſimplicitatem tuam cum ſenectute novimus, interim tacemus. Eos vero, quorum conſilio hæc egiſti, in duobus menſibus excommunicatos eſſe decernimus: ita tamen ut ſi quid eis intra duorum menſium ſpatium humanitus advenerit, benedictione viatici non priventur* Docte quapropter more ſuo Scotus in 4. diſt. 15. q. 3. §. *Reſpondeo* — Sed aliquis poteſt alium indirecte damnificare inducendo eum ad peccatum, & actus vitioſos, quibus virtutes corrumpuntur, & vitia generantur, & iſta inductio poteſt eſſe multiplex, ſcilicet conſulendo, perſuadendo, & rogando &c. De iſto dico, quod tenetur modo ſibi poſſibili reſtituere ſibi damnum, ſcilicet inducendo eum efficaciter ad poenitentiam, & ad actus virtuoſos: Et, ſi ſola inductio non ſufficiat, qua facilius eſt pervertere quam convertere, tenetur & per ſe orando, & per orationes aliorum procuratas impetrare ſibi converſionem, & per alios perſuaſores efficaces, dum tamen illis non prodat peccatum occultum illius alterius. Et ex hoc patet quantum periculum eſt alium ſolicitare, & inducere ad peccatum: quia vix

poteſt

poteſt digne reſtituere, cum voluntatem illam allectam ad peccata vix poſſit perſuaſionibus, & aliis multis viis reducere ad virtutem. Ratio hujus ſatis patet, quia cum virtutum bona ſint maximam ſecundum Auguſtinum primo retractationum, plus damnificat, qui in iſtis damnificat, quam qui in quibuſcumque aliis: & per conſequens plus ſecundum juſtitiam tenetur ad reſtituendum proximo tale bonum, quantum ſibi poſſibile eſt —. Hactenus Scotus.

Dubium nunc remanet: an qui malo ſuo exemplo cauſſa eſt, ut alii malum perpetrent, teneatur ad reſtitutionem? Negative reſpondet Concina loco ſupra citato num.17., niſi id animo iniquo intendat. En ipſius verba — Reſpondeo. Plures videntes Sempronium furantem, alterius vineam devaſtantem, adulterantem &c. moventur hoc exemplo ad hæc mala patranda. Tenetur ne Sempronius, qui ſuo iniquo exemplo illos excitavit, hæc reſarcire mala? Negat communis, & vera ſententia: quia exemplum pravum, licet occaſio illis ſit, cauſa tamen influens in ejuſmodi mala non eſt. Porro ſola cauſa, quæ in damnum illatum influit, debitum infert reſtituendi. Ergo cum exemplum pravum nullo modo influat in hæc damna, nullum ex eo oritur reſtitutionis debitum. Peccat quidem Sempronius contra charitatem, qui malo ſuo exemplo alios excitat ad mala perpetranda, ſecus contra juſtitiam. Addunt plures Sempronium non teneri ad reſtitutionem, etiamſi animo iniquo voluiſſet ſuo pravo exemplo provocare alios ad malum: quia reſtitutio fundatur in actione injuſta externa: quæ doctrina abſolute ſpectata vera eſt. At ſupra diximus actionem externam, quæ ex ſe non eſt abſolute cauſa efficax damni, junctam animo pravo fieri efficacem poſſe, & inducere reſtitutionis debitum. Dicetur fortaſſe, exemplum pravum nullo modo cauſam eſſe, ſed ſolum occaſionem aliis mali committendi; & ideo nullum ex eo prodire reſtitutionis onus. At communi proverbio fertur,, exempla pluſquam verba movere ..... Quare ſi quis animo pravo intenderet alios excitare ſuo externo exemplo ad malum inferendum, ego ſecurum hunc aſſerere non auderem a reſtitutionis debito — Hæc ille. Generatim tamen, & indiſtincte ad reſtitutionem eos omnes teneri, qui malo exemplo alios excitant ad mala patranda, docet S. Antoninus loco ſupra laudato ſcribens — *Quantum ad tertium, ſcilicet damnificando alios ſuo malo exemplo, ſicut ſcandalizant Prælati Subditos pompis, & laſciviis, & aliis malis moribus ſuis: Mulieres ſuis ſuperfluis ornatibus, & fucis, & tripudiis: & alii manifeſte peccantes: & præcipue* (Nota particulam non excludentem caſus, in quibus hoc non intenditur) *quando hoc intendunt, vel contemnunt, ſeu parvipendunt ſcandalum aliorum, propter quod alii ruunt in diverſa vitia: tales tenentur ad ſatisfaciendum bonis exemplis manifeſtis; non autem tenentur propter hoc ad aliquam publicam poenitentiam, ut dicit Albertus, ſed ad ædificandum alios bonis moribus manifeſtis, ſicut ſcandalizaverunt per mala manifeſta* Ejuſdem ſententiæ fuit S. Bernardi.

nardinus loco ſuperius indicato cap. 3., ubi poſtquam enumeravit multos, varioſque modos, quibus poteſt quis aliis eſſe ſcandalo, ita concludit — Omnes autem ſupradicti, & conſimiles eis, qui per opera avaritiæ, luxuriæ, & ſuperbiæ proximum ſcandalizant, tantum bonum exemplum de ſua converſione perhibere tenentur, quod qui de eorum malis exemplis ſcandali habuerunt occaſionem, de eorum converſione ſumant contrariam ædificationem. Nam ſicut dicitur Extra *de poenitentiis & remiſſionibus* cap. 1. — *Manifeſta peccata non ſunt occulta correctione purganda* —: immo ſecundum Gloſſam ibi — *Qui publice peccant, publice corrigantur* —, & 2. q. 1. cap. *Si peccaverit*, & *de conſecratione* diſt. 2. cap. *Ego Berengarius* in fine: & hoc ſive ſint gravia, ſive levia, ut ſedetur ſcandalum populorum, publice fieri debet — Hactenus Sanctus Doctor. Conſulto igitur, & opportune Summus Pontifex, ſecuta pallinodia; & confeſſione fidei facta a Berengario Andegavenſis Eccleſiæ Diacono, eam — *miſit Papa Nicolaus per Urbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & ad quæcumque loca fama pravitatis ejus pervenire ante potuit: ut Eccleſiæ, quæ prius doluerant de averſo, atque perverſo, poſtea gauderent de reverſo atque converſo* —, ſicuti legitur cap. *Ego Berengarius* modo laudato. Placet ſummopere judicium, quod ſuper hac re tulit Gennettus loco ſupra memorato ſcribens — Si autem inductus ſolummodo fuit proximus ad peccandum per pravum exemplum, aut alias ſine fraude, vel violentia: tunc cum non ita certum ſit, quod juſtitia fuerit violata, obligatio reſarciendi damnum non eſt ita ſtricta, ſed ex caritate obligatur quis pro poſſe ad medendum malo, cujus particeps fuit. Et ideo debet quis procurare omni meliori modo, ut hi, qui ex pravo ſuo exemplo, aut conſilio ſine ulla fraude dato, inducti ſunt ad peccandum, vere convertantur ad Deum —. Hæc ille. Jure idcirco Concilium Tridentinum ſeſſ. 24. *de reformatione* cap. 8. conſtituit — *Apoſtolus monet publice peccantes palam eſſe corripiendos. Quando igitur ab aliquo publice, & in multorum conſpectu crimen commiſſum fuerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe non ſit dubitandum: huic condignam pro modo culpæ poenitentiam publice injungi oportet, ut quos exemplo ſuo ad malos mores provocavit, ſuæ emendationis teſtimonio ad rectam revocet vitam.*

QUARTUM DUBIUM. Utrum damnificans aliquem in bonis animæ ex fraudolento conſilio teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Ricardum in 4. diſt. 15. art. 5. q. 2., quod ſic. Et etiam ſi damnificaverit in bonis corporis, vel fortunæ, dando fraudolentum conſilium. Comprehende etiam conſilium malum datum ex ignorantia, quæ

quæ proveniat ex eo quod non adhibuit debitam diligentiam ad ſciendum: quia negligentia craſſa prope dolum eſt 50. diſt.cap. *Sæpe*, & de hoc conſilio, quando quis teneatur, vide fuſius infra in tertio Articulo hujus Conſiderationis Tit.12. Dubio 18.

(5) Aptiſſimum eſt Caput *Sæpe* ab Authore indicatum ad probandum, quod negligentia venit loco culpæ. Ipſum igitur accipe — *Sæpe contingit, dum quis operi neceſſario inſiſtens arborem inciderit, ut aliquis ſubtus ipſam veniens deprimatur. Et idcirco, ſi voluntate, vel negligentia incidentis factum eſt, ut homicida poenitentiæ debet omnino ſubmitti. Quod ſi non voto, non incuria illius, non denique ſcientia contingit, ſed, dum ille operi neceſſario fortaſſis incumberet, iſte inſperatus occurrens ſub arbore improviſus devenit, & ſub ipſa oppreſſus eſt, inciſor arboris non tenetur pro homicida* —.

Caſus, de quo Author, eſt ille ipſe, quem S. Antoninus jam laudatus primo exponit ſcribens *Primo, verbo ſuo inducendo alium ad peccatum. Et ſic qui inducit alium ad malum ſuadendo, conſulendo, præcipiendo quod eſt mortale, eſt occaſio perditionis illius, quia per hæc auferuntur ei gratia, & virtutes ab anima* —. Merito igitur ſcriptum eſt *de poenitentia* diſt.50.cap.*Noli*— *Noli putare, te non eſſe homicidam, quando fratri tuo mala perſuades. Si fratri tuo mala perſuades, occidis* (intellige quoad animam). *Et ut ſcias, quia occidis, audi Pſalmum* (50) — *Filii hominum dentes eorum arma, & ſagitta, & lingua eorum machæra acuta* — (Vulgata legit — *gladius acutus* —). De damno ab iniquis conſiliariis illato in bonis corporis, vel fortunæ, erit alibi ſermo.

Quintum Dubium. Utrum retrahens aliquem ab ingreſſu Religionis, vel aliquem extrahens nondum obligatum per profeſſionem expreſſam, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Scotum in 4. diſt. 15. q. 3., quod aut hoc fecit animo conſulendi propriæ utilitati, puta quia filius, & ſuſtentabat eum, vel quia intrans dabat omnia ſua Religioni, quæ alias dimittebat ſibi, & hujuſmodi: & tunc non tenetur Religioni, ſi hoc fecit ſine fraude, vel ſuggeſtione alicujus falſitatis. Si vero hoc fecit animo nocendi Religioni, tunc tenetur etiam Religioni, ſed ad aliqualem inductionem alterius aliqualiter æquivalentis ingreſſui Religionis: quia intereſt inter habere, & prope eſſe.

Perſo-

Perſonæ autem retractæ in primo caſu, & ſecundo tenetur perſuaſionibus, & aliis bonis ſpiritualibus ad æquivalentiam bonis illis, in quibus illum damnificavit. Concordant Franciſcus de Mayronis in 4., Ricardus ibidem art. 5. q. 4., Girardus Obdonis, & Aſtenſis in ſumma lib. 5. Tit. 29.

Peccare læthaliter eum, qui abſque juſta cauſa aliquem impedit a Religioſi habitus ſuſceptione, id invicte probat Natalis Alexander in ſua Morali Theologia lib. 3. cap. 6. art. 9. Regula 18. Vetitum hoc eſt per Canones nedum ſimpliciter, ſed etiam ſub graviſſima pœna —. *Puella* (Ira 20. q. 3. cap. 2.) *ſi ante duodecim annos ætatis ſponte ſua ſacrum ſibi velamen aſſumpſerit poſſunt ſtatim parentes ejus, vel tutores, id factum irritum facere, ſi voluerint. At ſi annum, & diem id diſſimulando conſenſerint, ulterius nec ipſi, nec ipſa mutare hoc poterunt. Si vero in fortiori ætate adoleſcentula, vel adoleſcens ſervire Deo elegerit, non eſt poteſtas parentibus prohibendi* —. In præſenti aliter ſermocinandum eſt propter Decretum Concilii Tridentini ſeſſ. 25. *de Regularibus* cap. 15. ita conceptum — *In quacumque Religione tam virorum quam mulierum, profeſſio non fiat ante decimum ſextum annum expletum, nec qui minori tempore quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probatione ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem antea facta ſit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſervationem, aut alios quoſcumque effectus* —. *Si quis vero* (Ita Conc. Toletanum 3. can. 10.) *propoſitum caſtitatis Viduæ, vel Virginis impedierit, a Sacra Communione, & a liminibus Eccleſiæ habeatur extraneus* —. *Simili quoque anathemati* (Ita Conc. Tridentinum modo laudatum cap. 18.) *ſubjicit eos, qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquomodo ſine juſta cauſa impedierint* —.

An autem ita impediens teneatur inſuper ad reſtitutionem, inquiritur a pluribus. Vide S. Antoninum loco ſuperius laudato, S. Bernardinum jam citatum cap. 2., Roſellam verbo *Reſtitutio ſecundo* num. 1., Authorem in Angelica verbo *Religioſus* num. 64., Gennettum jam laudatum quæſt. 6., Aſteſanum lib. 5. tit. 29. art. 2., alioſque. Et quoniam pene omnes innituntur teſtimonio, & auctoritati Scoti in 4. diſt. 15. q. 3., non erit abs re exſcribere quod in eodem legitur. En iccirco objectum — *Item retrahens hominem a Religionis ingreſſu damnificat illum in bonis animæ, quæ eſſet habiturus in Religione, & damnificat Religionem ſubtrahendo illi talem perſonam; nec tamen tenetur ad reſtitutionem illorum bonorum illi, quia non poteſt: nec ad reſtituendum Religioni perſonam illam, vel æquivalentem illi perſonæ, quia tunc teneretur ipſe intrare Religionem pro eo, ſi non poſſet inducere alium æquivalentem* —. En reſponſum Scoti — *Ad ſecundum dico, quod,*

*ſi ex-*

Digitized by Google

*ſi extraxit de Religione aliquem jam obligatum ad Religionem obligatione profeſſionis, tenetur agere ad reſtitutionem, ut ſcilicet ille redeat ad Religionem. Sed ſi aliquem diſpoſitum ad intrandum retraxit, ne intraret, quia intereſt inter habere, & prope eſſe, non tenetur ad tantam reſtitutionem Religioni, ad quantam ſi fuiſſet in Religione, ſed tenetur ad aliquam reſtitutionem, puta ad aliqualem inductionem alterius aliqualiter æquivalentis ad ingreſſum illius Religionis. Et hoc intelligendum eſt, ſi illum retraxit intentione damnificandi Religionem. Si autem intentione conſulendi utilitati propriæ ſine fraude, non tenetur Religioni. Sed in primo caſu, & in ſecundo tenetur perſonæ, quam retraxit, ut in perſuaſionibus, & aliis bonis ſpiritualibus ad æquivalentiam bonis illis, in quibus illum retrahendo damnificavit* --. Fuſius S. Antoninus, cujus verba plurimum conferunt ad rem hanc magis magiſque enucleandam. Ea igitur habeto -- *Quantum ad ſecundum, ſcilicet revocando aliquem a meliori bono, hoc fit damnum alteri, cum revocat eum a Religione, in qua perfectius vivitur quam in ſæculo: & taliter damnificans tenetur, ipſum revocatum ab eo reducere ad ingreſſum, vel reverſionem ad Religionem. Nam ſecundum Petrum de Palude in 4. non ſolum ille, qui inducit profeſſum ad egreſſum Religionis, tenetur ipſum inducere ad revertendum ad Religionem, ſed etiam qui retrahit eum, qui volebat ingredi, nec tamen intraverat, tenetur illum inducere ad ingrediendum. Quod ſi ille nolit intrare, tenetur alium æque idoneum procurare. Quod ſi non poſſit, tenetur ipſe intrare. Quod intelligens Magiſter Raymundus Magiſter poſtea Ordinis Prædicatorum, qui averterat quemdam ab ingreſſu Religionis, poſtea pro eo intravit. Ratio eſt, quia abſtulit Domino ſervum ſuum Novitium, vel intraturum. Hæc Petrus. Sed Scotus dicit hoc eſſe verum de obligato ad Religionem obligatione profeſſionis, & ſi ſit perſona idonea, & habilis ad intrandum; non autem de eo, qui erat diſpoſitus ad intrandum, necdum intraverat. Ratio diverſitatis eſt, quia intereſt inter habere, & prope eſſe habere. Unde non tenetur ad tantam reſtitutionem Religioni ad quantam teneretur, ſi ingreſſus fuiſſet in Religionem; ſed tenetur ad aliqualem reſtitutionem, ſcilicet aliqualem inductionem illius, vel alterius æquivalentis ad ingreſſum Religionis. Hæc Scotus. Idem videtur dicendum de eo, qui avertit Novitium jam Religionem ingreſſum animo permanendi, ſicut & de profeſſo. Nam talis obligatur Religioni ſaltem in genere: & hoc intelligendum, ſi retraxit illum intentione damnificandi Religionem; tunc enim tenetur Religioni. Si autem hoc fecit intentione conſulendi propriæ utilitati ſuæ ſine fraude, quoad eum, qui nondum intravit, non tenetur Religioni, ſed ipſi perſonæ, quam retraxit, perſuaſionibus, & aliis bonis ſpiritualibus ad æquivalentiam eorum, in quibus damnificavit. Si autem quis averteret aliquem a Religionis ingreſſu non ſimpliciter, ſed ab ea, ubi diſſolute vivitur, intendens providere ſaluti illius, in nullo tenetur.* Animadvertendum hic eſt, quemcumque privatum hominem non eſſe idoneum ad judicandum de communi vita hujus, vel alterius Religionis,

laudabilis an ipſa ſit, vel vituperatione digna: an reſpondeat nec ne ſolemnibus votis, quæ in Religione fiunt. Virum hoc poſtulat prudentem, pium, rectum, qui ſciat leges Religioſorum, earumque naturam, & indolem perfecte diſtinguat. Animadvertendum pariter eſt, alicujus Religionis depravationem inferendam non eſſe ex hujus vel alterius Religioſi particularis vita legibus ſui Ordinis non conſentanea. Nemo prudens eſt qui non ſciat, vitia nonnullorum non eſſe toti Corpori adſcribenda: quia dum pauculi propriæ Profeſſionis immemores vitam ducunt irreligioſam, cæteri in puritate, & ſimplicitate Domino ſerviunt. Tunica Religioſorum eos non reddit a peccatis immunes, & expertes illius legis, quam menti repugnantem ſentiebat Apoſtolus etiam poſtquam raptus fuerat in Cœlum. Vitium igitur hujus, vel alterius Religioſi non eſt plenis buccinis evulgandum, neque ex eo inferre quis debet, Religionem, cui filius improbus eſt addictus, ſanctis legibus valedixiſſe, atque ex illis eſſe, de quibus locutus eſt S. Antoninus. Sancta ſit Religio, ſit ipſa coram Deo & hominibus morigera; Superiores illius candide fateri debent cum Auguſtino cap. *Quantumlibet* diſt. 47. *Quantumlibet vigilet diſciplina domus meæ homo ſum, & inter homines vivo: nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior ſit, quam area Noe, ubi tamen inter octo homines unus reprobus inventus eſt: aut melior ſit, quam domus Abrahæ, ubi dictum eſt — Ejici ancillam, & filium ejus — aut melior ſit quam domus Iſaac, cui de duobus geminis dictum eſt — Jacob dilexi, Eſau autem odio habui —.*

Sextum Dubium. Utrum retrahens obligatum alicui Religioni, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Scotum ubi ſupra, quod tenetur laborare, ut ille ad Religionem redeat. Secundum vero alios, ſi non poteſt eum inducere, tenetur ipſe, ſi eſt perſona idonea, & habilis Religioni, intrare, ut ſic ſatisfaciat Religioni bene vivendo, & inſuper orare pro converſione averſi, ut fecit Raymundus. Concordant Petrus de Palude in 4., & Gerardus Obdonus.

(9) Raymundus, de quo hic ſermo, eſt S. Raymundus de Pennafort Juriſconſultus celeberrimus Ordinis Prædicatorum. Factum hoc evulgavit Pater Leander Albertus ejuſdem Ordinis in Vita Sancti Raymundi ab ipſo edita, quam exhibet Joannes Bollandus die 7. Januarii Tomo primo. In ea ita ſcriptum lego —. *Hanc autem ob cauſam togam induit Religionis. Forte diſſuaſerat cuidam ſcholaſtico adoleſcenti plurimis rationibus ſanctæ converſationis ingreſſum. Quapropter deinde conſcientia exagitatus, quod illi diſſuaſerat, ipſe amplexus eſt, videlicet relictis mundi illecebris, favore, & gloria, cum omnium admiratione Ordinem Prædicatorum ingreſſus eſt —.*

Non

Non te pigeat Lector audire annotationem Patris Bollandi ſuper hac re — *Alii dicunt eum ingreſſum, quod Novitio ſuaſiſſet egreſſum. Ita Petrus de Palude in* 4. diſt. 15. q. 2. art. 2. *quibus de rebus facienda reſtitutio. Qui etiam a Religione retraxit, tenetur inducere ad ingreſſum, vel regreſſum Religionis. Si autem ille nolit intrare, vel redire, tenetur æque idoneum procurare. Quod ſi non poſſit, tenetur pro eo intrare. Quod fecit Magiſter Raymundus, quia dederat conſilium, quod Novitius exiret, & exigit: de quo poenitens intravit. Diagus* lib. 2. cap. 9. *citans Paludanum, ait eum ſcribere, adoleſcentem illum, quem ab ingreſſu Religionis vel avertit, vel revocavit Raymundus, fuiſſe ejus conſobrinum. Sed fefellit Diagum memoria, ut ex allatis Paludani verbis patet. In Collegio Societatis Jeſu Antuerpiæ exemplar eſt Paludani, in quo ad citatum articulum manu Wilhelmi de Alis Ordinis Prædicatorum Conventus Katherienſis, hæc adſcripta ſunt — Sic fecit etiam Magiſter Theodorus, quia retraxit Friſonem nobilem, cujus fuit Pædagogus: factus eſt autem poſtea hujus Conventus Colonienſis Prior* —.

Arbitrari forſan quis poterit, Authorem mutaſſe ſententiam: quia in Summa loco ſupra memorato ita concludit — *Ego tamen credo, quod, ſi nollet intrare, non propterea eſſet in ſtatu damnationis, ſed ſufficeret ei, quod pro poſſe alio modo ſatisfaceret Religioni, & etiam ei, quem pervertit* —. Secus tamen opinatur Editor annotationum ſuper hunc locum, qui mentem Authoris interpretatur inquiens — *Opinio Scoti videtur tutior, quam ſimpliciter ſequitur Roſella Reſtitutio ſecundo* §. 1., *& Archidiaconus Florentinus. Et intellige Angelicam loqui in caſu, quo eſſet magna difficultas ei intrandi Religionem vel propter ætatem, vel aliquam rationabilem cauſam: puta quia magis eſſet damnoſus Religioni, vel ſibi ipſi, ingrediendo Religionem* —.

Non deſunt aliter opinantes, inter quos Gabriel Antoine de juſtitia & jure par. 2. cap. 1. q. 3. ſcribens — *Talis tamen ſeductor non tenetur ipſe Religionem ingredi. Tum quia forte non eſt aptus: tum quia ſtatus Religionis, cum ſit ſtatus perfectionis, requirit Dei vocationem; & nullus ad illum niſi ſponte volens admitti debet* —. Idem jam ſcripſerat Maſtrius in ſua Theol. Morali diſp. 8. q. 1. art. 2. in fine hiſce verbis — *Non tamen qui impedit, pro tali ſatisfactione tenetur ipſe ingredi Religionem, ut quidam dixerunt: quia hic ingreſſus omnino voluntarius eſſe debet, & ex divina vocatione, non ex neceſſitate, quamvis, ſi vocatus a Deo ingrederetur, ut eſſet Religioni æqualiter utilis, ac ille, quem impedivit, ſufficienter ſatisfaceret* —.

Septimum Dubium. Utrum ſeducens, vel ſtuprans virginem, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Hoſtienſem in ſumma tit. de Matrimonio ſub Rubrica = *qualiter contrahitur* =. quod, ſi non

 ani-

animo decipiendi eam, ſed dumtaxat habendi copiam ab ipſa, eam induxit, tenetur eam ducere in uxorem, & dotare, ſi pater puellæ voluerit ei eam dare. Aut ſi nolit, tenetur eam ſaltem dotare juxta ipſius ſtupratoris facultates, & puellæ dignitatem, habita conſideratione quantum plus ratione deſlorationis datura eſt alteri viro. Concordant Alexander parte 2. de ſtupro membro 4., Ricardus in 4. diſt. 15. q. 2., & Scotus. Et nota, quod, licet hæc pœna ſit legis veteris Exodi 22.; tamen quia iſta eſt in Decretalibus tit. *de adulteriis*, *&* *ſtupro* cap. 1., ideo eſt ſervanda. Ubi pro Regula eſt notandum ſecundum Scotum in 4. diſt. 15. q. 3., quod quotieſcumque lex Evangelica, vel canonica, vel municipalis ſtatuit aliquid, vel in ſuis Statutis interſerit quod eſt de Lege Moyſis, illud obligat non prout lex Moyſis, ſed prout lex illa, in qua imponitur. Et cum hoc concordat Panormitanus in cap. 1. *de homicidio* allegans L. 1. C. *de veteri jure enucleando*, & cap. *Si Apoſtolicæ*, *de Præbendis* lib. 6. nam noſtra omnia facimus, quibus auctoritatem impartimur. Doctores autem dicunt in foro conſcientiæ hoc non habere locum, quando voluntariam ſtupravit, licet ſemper præſumatur extra forum conſcientiæ ſeductam fuiſſe, & deceptam: nam, ſi non eſſent hominis inſidiæ, tantum facinus non perpetraret, ut dicit textus L. unica C. *de raptu Virginum*. Si vero invitam, vel ſeductam deſloravit, dicit, quod ei injungendum eſt, ut ſatisfaciat pro injuria ſecundum quod debitum eſt, vel componat cum ea, & ſufficit ei. Intellige de compoſitione, quæ procedat a libera voluntate; alias non. Arguitur L. 1. §. *quæ onerandæ* in fine ff. *Quarum rerum actio non datur*; quæ opinio ſatis poteſt teneri. Secus ſi contraxit cum ea ante deflorationem: quia tunc pater tenetur eam dotare, nam mulier poteſt contrahere matrimonium ſine conſenſu patris de jure divino, & canonico 27.

q. 2.

q. 2. cap. *Sufficiat* : & pater tenetur dotare filias ſuas L. *Qui liberos* ff. *de ritu nuptiarum* , & L. finali C. *de dotis promiſſione* . Item tenet Gloſſa 36. q. 1. cap. *de raptoribus* , niſi eligat ſibi ſponſum ſuo generi , vel moribus indignum ; quia tunc non tenetur pater ſecundum Gloſſam prædictam. Bartolus in L. *Obligamur* ff. *de obligationibus* , *&* *actionibus* dicit , quod , ſi puella contraxit nulla dote promiſſa , tunc pater non tenetur eam dotare ; quia ceſſat ratio , ob quam debet eam dotare , ex quo invenit virum ſine dote . Nam eo in caſu vir videtur tacite ſe obligare ad ſubeundum onera matrimonii , quod notat L. *Si cum dotem* ff. *ſoluto matrimonio* . Si vero puella conſtituit ſibi certam dotem puta quia vir nolebat aliter contrahere cum ea , tunc pater tenetur eam dotare , quod bene nota ad limitationem Gloſſæ . Concordat Panormitanus in dicto cap. 1. *de adulteriis* , *&* *ſtupro* .

(10) Super hac re videre potes S. Thomam 2. 2. q. 154. art. 6. , S. Antoninum 2. parte tit. 5. cap. 6. , Alexandrum de Ales parte 2. q. 167. Aſteſanum lib. 2. tit. 46. art. 3. , Authorem in ſumma ver. *Stuprum* per totum , Scotum in 4. diſt. 15. q. 3. , Roſellam ver. *Adulterium* num. 9. & ſeq. , Gennettum de ſexto præcepto Decalogi cap. 1. q. 8. , Concinam lib. 2. de juſtitia & jure Diſſert. 3. cap. 2. , Cuniliati Tract. 9. de 7. præcepto Decalogi cap. 6. §. 1. , Ferraris ver. *Dos* art. 2. num. 14. & ſeq. , alioſque . Stuprum definitur a S. Thoma proxime laudato — *Illicita defloratio virginum exiſtentium ſub cura parentum* : vel — *actus venereus* , *quo virgo defloratur* — . Duplicem injuriam adnexam habet , ut Sanctus Doctor ibidem ſcribit in reſp. ad tertium — Unam quidem ex parte virginis , quam etſi non vi corrumpat , tamen eam ſeducit , & ſic tenetur ei ſatisfacere . Unde dicitur Exodi 22. v. 16. , & 17. — *Si eduxerit quis virginem nondum deſponſatam* , *dormieritque cum ea* , *dotabit eam* , *&* *habebit eam uxorem* . *Si autem pater virginis dare noluerit* , *reddet pecuniam juxta modum dotis* , *quam virgines accipere conſueverunt* — , Aliam vero injuriam facit patri puellæ , dicitur enim Deuter. 22. *Si invenerit vir puellam virginem* , *quæ non habet ſponſam* , *&* *apprehendens concubuerit cum illa* , *&* *res ad judicium venerit* , *dabit qui dormivit cum ea patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti* , *&* *habebit eam uxorem* : *&* *quia humiliavit illam* , *non poterit dimittere eam cunctis diebus vitæ ſuæ* , Et hoc ideo , ne videatur ludibrium feciſſe , ut Auguſtinus dicit — . Hæc S. Thomas . Animadvertendum tamen eſt , quod ad ſtuprum verum proprium-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

priumque requiritur deſloratio violenta, nempe quod puella invita ſit, & per vim coacta, ut opportune adnotant Clericatus Tom. 3., libro ſcilicet ſeptimo cap. 68. num. 1. & Ferraris ver. *Stuprum*: quoniam ſi ipſa conſentit, potius eſt ſimplex fornicatio, quam ſtuprum ſtricte ſumptum, verum, & proprium. Adverſus ſtupratores ita conſtituit Jus Civile Inſtitut. *de publicis judiciis* §. 4. — *Sed eadem lege Julia etiam ſtupri flagitium punitur, cum quis ſine vi vel virginem, vel viduam honeſte viventem ſtupraverit. Poenam autem eadem lex irrogat ſtupratoribus, ſi honeſti ſunt, publicationem partis dimidiæ bonorum: ſi humiles, corporis coercitionem cum relegatione* —. Si autem ſtuprator violentiam inferat puellæ, eamque vi opprimat, poena mortis tunc is puniendus eſt ibidem §. 8. — *Sin autem per vim raptus virginis, vel viduæ, vel Sanctimonialis, vel alterius fuerit perpetratus: tunc & raptores, & ii, qui opem huic flagitio dederunt, capite puniuntur ſecundum noſtræ Conſtitutionis definitionem* —. Et Jus Canonicum gravibus pœnis obnoxium vult eſſe ſtupratorem Extra *de adulteriis & ſtupro* cap. 1., & 2. — *Si ſeduxerit* (ita cap. 1.) *quis virginem nondum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, & habebit uxorem. Si vero pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt* —. *Pervenit ad nos* (ita cap. 2.), *quod Felix quandam virginem ſtupro decepit: quod ſi verum eſt, quamvis eſſet de lege poena plectendus, nos aliquatenus legis duritiem mollientes hoc modo diſponimus, ut aut, quam ſtupravit, uxorem habeat, aut ſi renuendum putaverit, corporaliter caſtigatus excommunicatuſque in Monaſterium, in quo agat poenitentiam, detrudatur, de quo nulla ſit egrediendi ſine præceptione licentia* —.

Quum in capite 1. nunc recitato ſcriptum ſit — *dotabit eam, & habebit uxorem* —, inquirunt Doctores, an ſtuprator teneatur hæc duo executioni mandare, aut dumtaxat unum vel alterum, ſcilicet aut dotare eam, aut eam in uxorem accipere. Author tum hic, tum in ſumma loco laudato arbitratur cum Panormitano ſtupratorem teneri ad utrumque. Ferraris autem ubi ſupra cum aliis compluribus pro virili parte tuetur oppoſitum, contendens particulam *&*, quæ habetur tum Exodi 22., tum cap. 1. modo recitato, ſumendam eſſe pro *vel*: quod probat tum ex recepta Tribunalium praxi, & conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres; *Forum quippe civile*, ſcribit Concina loco ſupra indicato num. 2., *defloratorem cogit vel dotare, vel ducere in matrimonium ſtupratam virginem* —. tum quia in jure ſæpe copulativum accipitur pro disjunctivo L. *Sæpe* ff. *de verborum ſignificatione* — *Sæpe ita comparatum eſt, ut conjuncta pro disjunctis accipiantur, & disjuncta pro conjunctis* —, & L. *Conjunctionem* ibidem — *Conjunctionem enim nonnunquam pro disjunctione accipi Labeo ait* —. Accedit, quod capite ſequenti, ſecundo ſcilicet nunc prolato, uſurpatur particula *aut*, & pœna defloratori ſub alternatione imponitur — *aut .... uxorem habeat, aut ſi ....* Porro in alternativis ſufficit adimplere alterutrum ex 70. Regula Juris in

Sexto

Digitized by Google

Sexto — *In alternativis electoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri* — *Sapienter igitur S. Antoninus, de quo ſupra* — *In foro judiciali Eccleſiæ videtur teneri ad alterum horum conſtuprator, ſcilicet aut ſumere in uxorem, aut maritare, ideſt dotem dare* — Id præſertim locum habere debet, dum virgo ſtuprata plebeja eſt, & vilis, ſtuprator autem nobilis, & potens; & idcirco Concina ibidem num. 2. prudenter addit — Quare cauti ſint Confeſſarii, ne ejuſmodi defloratores abſolvant, niſi prius virginibus defloratis providerint. Si ſint diſparis ſtatus, expeditior, & ſecurior via erit, defloratorem eidem dotem præbere, qua vel matrimonium contrahere poſſit, vel ſe in aliquem pium locum (quod tutius ſane erit) recipere — Hæc ille.

Author excipit caſum, in quo puella ſponte conſentit in copulam. Et quidem jure optimo: quia ex Regula 27. Juris in Sexto — *Scienti, & conſentienti non fit injuria, neque dolus* —. Prudenter idcirco idem Author in Angelica citata num. 2. de hoc caſu loquens ſcribit — *In conſcientia ſufficit, quod quærat eam in bono ſtatu reducere quantum in ipſo eſt* —: & Concina ibidem num. 1. — *Quando virgo ſponte conſentit, nullum eſt reſtitutionis debitum, ut communiter Auctores docent; quoniam Domina eſt ſuæ integritatis violandæ aut copula matrimoniali, aut coitu flagitioſo, quantum attinet ad juſtitiæ forum. Quare nec ipſi puellæ, nec ejuſdem parentibus quidquam reſtituendum eſt in conſcientiæ foro* —. Summe tamen placet doctrina S. Antonini eo loci ſcribentis — *In foro autem conſcientiæ ſic agendum videtur ſecundum Gulliel-mum. Si deflorat eam voluntariam, non tenetur ei; patri autem tenetur, quia injuriatus eſt ei; unde in aliquo ſatisfaciat, vel ſaltem eum placet* —. Hoc intellige in caſu, quo ex publicatione criminis aut eſſet augenda dos, aut nubere non poſſet: quia horum damnorum ſtuprator eſt cauſa realis, & ea prævidere debuit, nec his virgo cedere potuit utpote juribus ſuorum cuſtodum, quorum violationem remittere non eſt puellæ: ſicuti monet Cuniliati §. 1. n. 1. Dixi in foro conſcientiæ; forum enim fori eam ſemper præſumit ſeductam juxta illud, quod habetur L. unica §. 2. C. *de raptu virginum* — *quia hoc ipſum velle mulierum ab inſidiis nequiſſimi hominis, qui meditatur rapinam, inducitur. Niſi etenim eam ſollicitaverit, niſi odioſis artibus circumvenerit, non faciet eam velle in tantum dedecus ſe prodere* —. Reſiſtere tamen debet mulier omnibus, quibus poteſt modis, & vicinorum opem clamoribus implorare: memor illius, quod de puella non clamante ſancitum erat Deuter. 22. v. 23., & ſeq. — *Si puellam virginem deſponderit vir, & invenerit eam aliquis in Civitate, & concubuerit cum ea: educens utrumque ad portam Civitatis illius, & lapidibus obruentur. Puella, quia non clamavit, cum eſſet in Civitate. Vir quia humiliavit uxorem proximi ſui* —. Immo, ſi opus erit, ſi poterit, arma ſumat, & ſe tueatur; ſubdit enim S. Antoninus — *Si ſe defendendo, ne violetur, ſive nupta, ſive innupta, caſu occideret eum impetentem, non ob vindictam, nec homicidium intendens, ſed ſuam defenſionem: puta vibrat gladium contra eum, ne ipſam capiat: credo non peccaret, quia vim vi repellere eſt de jure naturæ diſt. 1. cap. Jus naturale.*

*Et*

Digitized by Google

*Et si licet non ſolum ſe, ſed & bona ſua defendere ne capiantur a latronibus: quare etiam, ne pudicitiam, & honorem ſuum amittat, & ne maximæ tentationi exponatur* —. Cave, ne credas, rem eſſe inconcuſſam, quod quiſque tueri poſſit & propriam pudicitiam, & bona ſua temporalia magni momenti cum occiſione aggredientis, ſicut inconcuſſa res eſt, quod licite poſſit quis vitam propriam defendere cum occiſione injuſte aggredientis, ſervato moderamine inculpatæ tutelæ. Id quidem ſenſit S. Antoninus cum aliis bene multis. Sed non deſunt Theologi aliter ſtatuentes, & horum opinio plauſibilior eſt, nec non Evangelio magis conſentanea. Præſertim quum Clerus Gallicanus anno 1700. damnaverit hujuſmodi propoſitionem — *Non ſolum vitam, ſed etiam bona temporalia, quorum jactura eſſet damnum graviſſimum, licitum eſt defenſione occiſiva defendere. Fatemur rarius licitum eſſe Eccleſiaſticis. Si tamen aliquando contingat futurum tale malum, ideſt graviſſimum damnum, etiam ipſis licitum erit bona iſta cum occiſione furis defendere* —: & Benedictus XIV. Conſtitutione incip. *Deteſtabilem* anno 1752. inter alias hanc proſcripſerit propoſitionem in ordine primam — *Vir militaris, qui, niſi offerat, vel acceptet duellum, tamquam formidoloſus, timidus, abjectus, & ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo ſe, ſuoſque ſuſtentat, privaretur: vel promotionis, alias ſibi debitæ ac promeritæ, ſpe perpetuo carere deberet, culpa & poena vacaret, ſive offerat, ſive acceptet duellum* —: & hanc aliam in ordine — *Licitum eſt in ſtatu hominis naturali acceptare, & offerre duellum, ad ſervandas cum honore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulſari nequit* —.

Poſtulabis hic — An qui ſolis precibus, munuſculis, & ſuaſionibus virginem pertrahit in conſenſum, teneatur ad pœnas in Canone præſtitutas? Negative reſpondet Ferraris jam laudatus num. 37. cum aliis compluribus, quia munuſcula, & his ſimilia libertatem non adimunt, Affirmative reſpondet Concina ibidem num. 5. ſcribens — *Utique hæc non tollunt libertatem abſolute; at, ſpectata maxima virginis fragilitate, & imbecillitate, adeo extenuatur libertas ejus, & tam vehementi tentationum impetu obſidetur, ſtimuliſque urgetur illius animus, ut portentum redoleat ..... niſi labatur ..... Quare neminem ego iſtorum ab onere compenſationis abſolverem* —. Æquior tamen mihi videtur ſententia Cuniliati num. 1. ita definientis —. *Demum si deflorator ſolis precibus, & quidem urgentibus ſtuprum obtinuiſſet, tunc vel eſt vir magnæ auctoritatis, gravitatis, aliarumque circumſtantiarum, quæ quamdam ſpeciem vis precibus addere conſueverunt, puellaſque aliquo modo perterrefacere, ut non plena voluntate aſſentiantur; & in hoc caſu non eſt eximendus ab obligatione compenſationis ob injuriam plene voluntarii ab eo violati. Si autem fuerit homo nullam valens puellæ ſubjectionem incutere, neque alicujus mali metum injicere, cum preces hujuſmodi in nullo minuant voluntarium, videtur reſpondendum ſicut in primo caſu* — videli-

delicet quod ſtuprator non teneatur eam in foro interno dotare, nec in uxorem ducere, & quod puella ſtuprata habenda ſit in hoc caſu tamquam ſponte conſentiens.

Si ex virgine corrupta filius naſcatur, Doctores unanimi conſenſione ſtatuunt quod tradit Concina ibidem num. 11. hiſce verbis — Si vi, aut fraude in flagitium ſtupri virginem homo pertraxit, tenetur expenſas ventris ſolvere, omnia ſecuta damna reparare, & filium nutrire ex juſtitia uſque ad tempus, quo filius aptus ſit, neceſſarium ſibi alimentum comparare. Si virgine, ſeu vidua conſentiente, copula peracta fuerit, mater tribus primis annis alere filium debet, poſtea vir, uſque dum filius queat ſibi de neceſſariis providere — Hæc ille.

Uſque adhuc de virgine ſtuprata ſine promiſſione matrimonii. Quod ſi promiſſio hæc accedat ſive vera, ſive ſimulata, quum tranſeat in verum contractum oneroſum, tene quod docuit S.Antoninus loco ſupra indicato inquiens -- *Et ſi promiſiſſet eam ducere in uxorem, ut copulam ab ea extorqueret, ſervet promiſſum, & multo magis juramento firmatum. Et hoc niſi nimis diſtans eſſet eorum conditio, puta mulier plebeja, vir nobilis & potens; non enim mulier præſumitur fraudem ignoraſſe. Vel etiam ſi magnum aliquod ſcandalum inde creditur proventurum: & tunc petat remiſſionem promiſſi, & aliter ſatisfaciat ſecundum ſuam facultatem, & mulieris indigentiam* --. Non diſplicet, quod ſuper hac re adjicit Colletus in ſuis Inſtitut. de Decalogo cap.6. art.2. Concl. 2. -- *Unum hic addam, nempe ſi aliquo in loco puellæ ſub promiſſione matrimonii facile ſeducerentur, melius futurum eſſe, ut eæ promiſſiones, forte etiam juramento confirmatæ, nihili ducerentur ab Epiſcopis utpote totidem libidinis incentiva* —.

Cætera, quæ hic adjicit Author, adeo certa ſunt, nihil ut magis. Textu ſiquidem aperto docemur, ad matrimonium ſufficere conſenſum contrahentium -- *ſufficiat ſecundum leges ſolus eorum conſenſus, de quorum conjunctionibus agitur. Qui conſenſus ſi in nuptiis ſolus forte defecerit, cætera omnia etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur* —. Hoc caput ab Authore laudatum Nicolai eſt Summi Pontificis ad conſulta Bulgarorum cap. 3. Docemur item, patrem teneri dotare filias ſuas — *Qui liberos* (ait Lex ab Authore citata, quæ eſt in ordine 19.), *quos habent in poteſtate, injuria prohibuerint ducere uxores, vel nubere, vel qui dotem dare non volunt: ex Conſtitutione Divorum Severi & Antonini per Proconſules, Præſideſque Provinciarum coguntur in matrimonium collocare, & dotare* —; pertinet enim hoc ad officium Patris, ut in laudata L. finali ſcriptum eſt — *Neque enim leges incognitæ ſunt, quibus cautum eſt, omnino paternum eſſe officium, dotem vel ante nuptias donationem pro ſua dare progenie* —. Et hoc, etiamſi filia nupſerit Patre inſcio, & invito: quia pater, licet ægre ferre poſſit tale matrimonium ſecundum modum, ex quo ipſo inſcio fuit contractum, non poteſt tamen rationabiliter illud ægre ferre ſecundum ſubſtantiam, quum

ipſe teneatur providere filiæ de viro digno, & ei congruam dotem tradere, ſicuti ſcribit Ferraris ver. *Dos* art. 2. num. 5. Gloſſa ab Authore indicata hoc limitat ad caſum, in quo filia ſponſum dignum ſibi eligit inquiens — *Sed ſi filia invito patre adhæſerit alicui matrimonialiter, dummodo dignum eligat, pater tenetur eam dotare* — : quia, ſi nuberet indigno, pater non teneretur ad eam dotandam, quemadmodum ſubdit Ferraris ibi num. 6. ſcribens — Limitatur tamen Concluſio in caſu, quo filia ante annum 25. inſcio patre, & invito, nupſit indigno moribus, aut genere. Tunc enim cogi non poteſt pater ad plene dotandum talem filiam, ſed ſolum ad alimenta neceſſaria præſtanda, quæ pater liberis ſuis indigentibus, etiam ingratis, & immorigeris, naturali jure dare tenetur. Arg. cap. *Cum haberet* Extra *de eo, qui duxit* —. Hæc ille.

Super filiis, & filiabus matrimonio ſe jungentibus ſine conſenſu parentum, attendendæ ſunt leges patriæ, ſi quæ reperiantur. Penes nos ſancitum lego in Conſtitutionibus Victorii Amedei Regis Sardiniæ lib. 5. tit. 3. num. 8. & 9. — *I figliuoli, che ſi mariteranno ſenza il conſenſo de' loro aſcendenti, non potranno coſtringere li medeſimi a maggiore preſtazione, che degli alimenti meramente neceſſarj, riſervato però a ſuo tempo il diritto della Legitima. Le figliuole però, le quali avanti l'età d'anni venticinque ſi mariteranno come ſopra, non potranno coſtringere i loro aſcendenti alla preſtazione di detti alimenti, ſe non ſuſſidiariamente, e nel caſo, che le facoltà de' mariti non ſieno ſufficienti per mantenerle, ſalva ad eſſe ragione di conſeguire una dote congrua dopo la morte di detti aſcendenti* —.

OCTAVUM DUBIUM. Utrum Sacerdos abſolvens aliquem a quo non poteſt abſolvere, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Doctores, quod non, ſed tenetur ei notificare, quod non potuit eum abſolvere, & peccat mortaliter ſecundum Ricardum in 4. diſt. 18. art. 5. q. 2.

(11) Præſens caſus intelligi poteſt & de Confeſſario abſolvente a peccatis, a quibus abſolvendi poteſtatem non habet: & de eodem deobligante pœnitentem a reſtitutione, ad quam reipſa tenetur, vel obligante ad eam, ad quam non tenebatur. Si de primo ſermo ſit, egregie reſpondet S. Antoninus part. 3. tit. 17. cap. 12. ſcribens — *Nota, quod quicumque abſolvit aliquem ab aliquo peccato in caſu, in quo non poteſt, ſive quia reſervatus eſt Epiſcopo, ſive quia nullam habet poteſtatem, vel auctoritatem: quamvis graviter peccet, præcipue quando abſolvit ſcienter, vel etiam ex ignorantia juris craſſa, non tamen cenſuram aliquam, ſeu excommunicationem ex hoc incurrit, ſive ſit Clericus ſæcularis, ſive Religioſus dictus abſolvens.... Sed tenetur illum, quem ſic abſolvit, avviſare de errore ſuo, ſi cognoſcit, vel poteſt invenire. Ille tamen quoad Deum excuſatur dum hoc ignorat.*

*rat. Et quod dictum eſt, quod Confeſſor debet illum avviſare, quem abſolvit cum non poſſet, intelligitur quando fieri poteſt ſine ſcandalo notabili. Unde in Concilio Baſileenſi quidam multum periti habita ſuper hoc collatione dixerunt, quod talis Confeſſor petat auctoritatem a Superioribus ſuper hoc caſu, a quo non potuit abſolvere, & tamen abſolvit: qua habita vocet illum, quem abſolverat cum non poſſet, & per aliquem modum coopertum interroget de aliquibus, quæ ſibi confeſſus eſt, quaſi melius volens informari ac ſi non plene intellexiſſet, & ſi quæ alia commiſit crimina poſtea, & ſic abſolvat ab omnibus iterum & tunc, & prius alias auditis. Vel, ſi magnum ſcandalum ex hoc timeretur, quia prædictus modus ſervari non poſſet, abſolvat abſentem, ſi ab ultima Confeſſione adhuc creditur perſeverare in gratia. Aut, ut aliis placet, cum ex hoc timeretur notabile ſcandalum evenire, remittat Summo Sacerdoti: ſcilicet Chriſto, præſertim quando multitudo eſt ſic neglecta, vel multum diſtant a loco, ubi eſt Confeſſor* —. Eadem repetit Sanctus Doctor ibidem cap. 21. §. 3. Præclara ſunt, & diligenter conſideranda, quæ ſuper hoc eodem caſu perhibet Aſteſanus noſter in ſua ſumma lib. 5. tit. 39. — Circa tertium reſpondeo, quod abſolvens aut hoc facit ex ignorantia juris, aut ſciens jus, quod hoc facere ſibi non licet. Si ſecundo modo, & hoc faciat ex deliberatione, mortaliter peccat; ſcienter enim, & ex deliberatione, conceſſa ſibi poteſtate abuti in præjudicium animæ alterius, eſt mortaliter peccare. Sed ſic abſolvens poteſtate ſibi conceſſa abutitur in præjudicium animæ illius, quem ſic abſolvit: quia dat ei intelligere, quod abſolutus ſit, & tamen non eſt: & quantum eſt in ſe, ipſum ponit in errorem. Unde ſuper ſic abſolventem cadit illa maledictio ſcripta Deuter. 27. — *Maledictus qui errare fecerit coecum in itinere* —. Si autem ex ignorantia juris faciat, & ſit ignorantia affectata, adhuc mortaliter peccat, quamvis non ita graviter ſicut ille, qui hoc facit ſcienter. Si autem ignorantia craſſa, adhuc credo, quod mortaliter peccet: quamvis non ita graviter ſicut faciens hoc ex ignorantia affectata. Sacerdotibus enim ſuum officium ignorare non licet; ad ipſos enim pertinet ſubditos ſuos in lege inſtruere juxta illud Aggæi 2. — *Interroga Sacerdotes legem* —. Unde ſic abſolvens exponit ſe ſimili maledictioni illi, quæ venit ſuper filios Heli de quibus dicitur 1. Regum 2. — *quod erant filii Belial, neſcientes Deum, nec officium Sacerdotum ad populum* —. Sic etiam abſolventi, & abſoluto tali abſolutioni innitenti, niſi per ignorantiam invincibilem, ſeu probabilem excuſentur, dici poteſt illud Matth. 15. — *Si cæcus cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt* —. Nec ille per ignorantiam excuſatur, qui magis ſollicitus eſt de quærendo conſilium pro emptione unius bonæ robæ, quam pro ſalute animæ ſuæ. Hæc Riccardus 4. diſt. 18. q. 2. — Hactenus Aſteſanus. Ad mala hæc graviſſima declinanda multum prodeſſet pium Colleti deſiderium ſuis in Inſtitut. de pœnitentia cap. 9. §. 5. q. 9. — *Optandum quidem res ita ab Epiſcopis conſtitui, ut nullus bonæ fidei pœnitens ob Confeſſarii oſcitantiam, vel malitiam, hac reſervatorum caſuum occa-*

*occaſione æternæ damnationis periculum nunquam ſubeat* —. Placet autem ſummopere modus, quo quæſtionem hanc ſuam idem Colletus abſolvit inquiens —. Si id præſtare nequit (commonere nempe pœnitentem &c.), ſeu quia pœnitentem a cæteris ſecernere non poteſt, ſeu quia prævidet eum inde graviter commotum iri: hinc quidem Deum ſupplex deprecari debet, ne quid alter ex errato ſuo patiatur detrimenti: inde vero pœnitentem bonæ ſuæ fidei dimittere ſub ſpe juſtificationis ab eo in ſequenti Confeſſione obtinendae. In hac enim pœnitens & a non reſervatis, quæ deponet, directe abſolvetur, & indirecte a reſervatis, quæ vel oblitus eſt, vel invalide confeſſus fuit. Ita habet communis ſententia, cui eo ipſo conſentire cenſentur Superiores, quo ei non contradicunt, cum eam ignorare non poſſint. Addit Henno Confeſſarium, qui male abſolvit pœnitentem a cenſura reſervata, poſſe, obtenta ad id licentia ſpeciali, ipſum neſcientem, immo abſentem abſolvere: quia abſolutio hæc pœnitentis præſentiam non requirit, ſicut Sacramentalis abſolutio —. Hæc Colletus. An abſolutio in caſu Sacramentalis reipſa non ſit, & iccirco abſolvi poſſit abſens, ſicuti poſt peritos a S. Antonino memoratos hic docet Henno, quem laudat, & non carpit Colletus: viderint alii. Certo certius eſt abſentem non poſſe Sacramentaliter abſolvi, & præſertim poſt Decretum Clementis VIII. latum anno 1602. die 20. Julii, quod fuit hujuſmodi — *Sanctiſſimus D. N. D. Clemens VIII. &c. Auditis votis Patrum Theologorum, & re cum Illuſtriſſimis, & Reverendiſſimis Dominis Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Inquiſitoribus mature, ac diligenter conſiderata, hanc propoſitionem, ſcilicet per litteras, ſeu licere per internuntium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ad minus uti falſam, temerariam, & ſcandaloſam damnavit, ac prohibuit. Præcepitque ne deinceps iſta propoſitio publicis, privatiſque lectionibus, Concionibus, & congreſſibus doceatur, neve unquam tamquam aliquo caſu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur* —. Eo vel maxime, quod idem Clemens VIII. in Congregatione Romanæ Inquiſitionis declaravit, ſe damnaſſe recitatam propoſitionem tum diviſive, tum collective, nempe & confeſſionem factam abſenti per litteras, & internuntium, & abſolutionem datam abſentibus, & utramque ſimul, ſicuti teſtatur Petrus Lombardus Archiepiſcopus Armacanus Epiſtola data ad Ægidium Coninc die 6. Junii an. 1624. Quæ declaratio iterum facta eſt a Paulo V. die 14. Julii 1605. uti refert Honoratus Tournely de Sacramento Pœnitentiæ art. 4. ubi de Confeſſione per litteras Concluſione quarta.

Si poſtmodum ſermo inſtituatur de ſecundo Confeſſario, reſponſum Gabrielis Antoine de pœnitentia art. 3. q. 10. mihi videtur numeris omnibus abſolutum. Ipſum igitur accipe. R. primo. Si ſine tua culpa deobligaſti pœnitentem a reſtitutione, ad quam tenebatur, vel obligaſti ad quam non tenebatur teneris ex juſtitia errorem dedocere. Nam quiſque tenetur ex juſtitia impe-

Digitized by Google

impedire, ne ſua actione etiam inculpabili pariat alteri damnum .... R. ſecundo. Si ex malitia, vel ignorantia vincibili, aut gravi negligentia conſiderandi, dixiſti pœnitenti eum non teneri ad reſtitutionem, ad quam reipſa tenetur, teneris errorem dedocere. Quod ſi non dedoces, vel ſi pœnitens interea factus eſt impotens ad reſtituendum, qui alioqui reſtituiſſet, teneris ipſe reſtituere illi tertio. Nam violaſti jus, quod ille habebat, ne impedires reſtitutionem ei debitam, & conſilio tuo es cauſa efficax ejus damni. Si vero pœnitens poſſit adhuc reſtituere, ſufficit, quod eum moneas de ejus obligatione: nam tua monitione ſufficienter tollis cauſam damni inferendi, quam poſueras..... R. tertio. Si ex ignorantia, vel negligentia culpabili omiſiſti ſolum admonere pœnitentem de obligatione reſtituendi, teneris eum poſtea admonere. Sed juxta multos non teneris ipſe reſtituere, ſi pœnitens ſit interea factus impotens ad reſtituendum; immo etiamſi non moneas eum de reſtitutione facienda, ſaltem niſi ex officio habeas curam animarum. Quia Confeſſarius præciſe ut Confeſſarius non tenetur ex juſtitia impedire damnum ejus, cui debetur reſtitutio; ac proinde omittendo monitionem non peccat contra jus creditoris, ſed tantum contra bonum ſpirituale pœnitentis.... Dixi, ſaltem niſi ex officio habeas curam animarum, ut ſunt Epiſcopi, & Parochi, quos teneri tunc ad reſtitutionem valde probabile eſſe cenſet Leſſius. Quia quum iſti ſint Superiores, ex officio tenentur regere ſubditos, & pro modo ſuæ gubernationis impedire ne aliis damnum inferant .... R. quarto. Si pœnitentem culpabiliter, hoc eſt ex malitia, vel ex ignorantia vincibili, vel gravi negligentia conſiderandi, obligaſti ad reſtitutionem, ad quam non tenebatur, teneris ex juſtitia errorem retractare. Quod ſi jam reſtituit, teneris damnum illud reſarcire. Nam illius fuiſti cauſa efficax, & injuſta tuo falſo conſilio ex cap. ultimo *de injuriis*. Item teneris pœnitenti de damno, ſi tua omiſſione culpabili fuiſti cauſa, cur ipſe reſtitueret id, ad quod non tenebatur: nam tale damnum oritur ex omiſſione monitionis ei ex officio erga eum, ideoque ex juſtitia debitæ. Hactenus Antoine.

En caput *de injuriis & damno dato* nunc indicatum, quod habetur in Decretalibus, quodque eſt inconcuſſum principium, cui innituntur pene omnia ſuperius producta — *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem forte tuliſti, aut hæc imperitia tua, ſive negligentia evenerunt: jure ſuper his ſatisfacere te oportet, nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veroſimiliter poſſe contingere, vel jacturam* —.

Author, ut puto, unice loquitur de primo caſu, quem ipſemet in Angelica fuſius exponit ver. *Confeſſio quinto* num. 13., eandem doctrinam tradens, quam S. Antoninus exhibuit.

NONUM

NONUM DUBIUM. Utrum obligatus ad Officium recitandum, quando illud prætermittit, teneatur ipſum redicere?

Reſpondeo ſecundum Hoſtienſem, quod non ex neceſſitate, licet alii contrarium dixerint. Debet tamen ei imponi ex pœnitentia, ut redicat, ſi non eſt multum. Concordant Innocentius *de celebratione Miſſarum* cap. 1., & Aſtenſis lib. 6. tit. 1. art. 6. in Summa.

(11) Septem ſunt horæ Canonici Officii, Matutinum, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Veſperæ, & Completorium, ut merito cum Propheta dicamus — *Septies in die laudem dixi tibi* —. Diverſis Paſſionis Chriſti horis ſignificandis ſunt accomodatæ, ut Clerici quotidianum iſtud ſervitutis ſuæ Officium perſolventes, ea, quæ Redemptor noſter pro nobis paſſus eſt, in memoriam revocent, ac meditentur. Quod indicant verſus in Gloſſa cap. *Presbyter* Extra *de celebratione Miſſarum*, relati.

Hæc ſunt ſeptenis propter quæ pſallimus Horis:
Matutina ligat Chriſtum, qui crimina purgat:
Prima replet ſputis, cauſam dat Tertia mortis:
Sexta cruci nectit, latus ejus Nona bipertit:
Veſpera deponit, tumulo Completa reponit.

Ita Natalis Alexander lib. 2. Theol. Dogmaticæ, & Moralis in Appendice ad Tractatum de Ordine cap. 8. art. 1. Quando hujuſmodi horæ Canonicæ primum fuerint inſtitutæ, expendit Concina lib. 2. in Decalogum Diſſert. 2. cap. 2. num. 6.: & relatis variis Auctorum opinionibus, necnon productis complurium Sanctorum Patrum, & Conciliorum teſtimoniis, in hunc modum concludit — Igitur ſi ſubſtantiam ſpectes Officii divini, origo illius Apoſtolica dici poteſt: legitur quippe Act. 3. v. 1. *Petrus autem, & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam* —. Si modum, formamque conſideres, inſtitutio Eccleſiaſtica eſt — Hæc ille. Æqua eſt ergo definitio ipſius tradita a Cardinali Bellarmino lib. 1. de bon. oper. cap. 10. — *Divinum Officium eſt certa ratio publice laudandi, precandique Deum mente ſimul, & voce, auctoritate Præſulum inſtituta* —.

Super divini Officii recitatione nonnullas habemus propoſitiones a Summis Pontificibus merito proſcriptas, videlicet ab Alex. VII. anno 1665.

Reſtitutio a S. Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in coſcientia ante ſententiam declaratoriam Judicis, eo quod ſit pœna. 20.

Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Eccleſiaſti-

ſiaſticum, ſi ſtudio litterarum vacet, ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi officium per alium recitet. 21.

Ab eodem Summo Pontifice anno 1666.

Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea Beneficiarius de fructibus ſui Beneficii fecerit. 33.

In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto. 34.

Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino. 35.

Ab Inno. XI. anno 1679.

Qui non poteſt recitare Matutinum, & laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur: quia major pars trahit ad ſe minorem. 54.

Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, Regulares profeſſos Choro addictos, & Beneficiarios teneri ſub mortali ad perſolvendum qualibet die divinum Officium, nemo unus eſt qui dubitet. Definitum id habemus cap. *Presbyter* Extra *de celebratione Miſſarum — Septies in die laudem dixi tibi, qui ſeptenarius numerus a nobis impletur, ſi Matutini, Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, Veſperae, & Completorii tempore, noſtrae ſervitutis officia perſolvamus —*. Et fortius ibidem cap. *Dolentes — Haec igitur, & ſimilia ſub poena ſuſpenſionis penitus inhibemus, diſtricte praecipientes in virtute obedientiae, ut divinum Officium nocturnum pariter, & diurnum, quantum eis dederit Deus, ſtudioſe celebrent pariter, & devote —*. Jure igitur S. Carolus Borromæus in primo Con. Mediol. part. 2. cap. 21. — Qui vero Sacris initiati Beneficium Eccleſiaſticum non habent, ſi divinum prætermiſerint Officium, præter grave peccatum, quod committunt, graviter etiam ab Epiſcopis in eos animadvertatur —; & Gloſſa ſuper cap. *Dolentes*, quod eſt Inno. III., nunc recitato — Ad quod etiam ſine iſto præcepto tenentur ſupra eod. cap. *Presbyter*: & ita qui contra hoc præceptum faciunt, inobedientiam incurrunt. Unde videtur, quod ſint ſuis Beneficiis privandi propter inobedientiam: arg. ſupra *de majoritate & obedientia* cap. *illud*: quia peccatum paganitatis incurrit quiſquis Sedi Apoſtolicæ obedire contemnit 81. diſt. cap. *Si qui ſunt Presbyteri*, & infidelis eſſe convincitur, etiamſi fidelis eſſe videatur 8. q. 1. cap. *Sciendum*. Hactenus Gloſſa.

Caſum noſtrum quod reſpicit, placet recitare quod ſcribit S. Antoninus part. 3. tit. 13. cap. 4. §. 6. — *Reſpondeo ſecundum Thomam in quodlibet.*, *ſicut in Officiis divinis exolvendis obſervanda eſt congruitas loci, ita etiam congruitas temporis, quæ obſervari non poſſet, ſi oporteret injungere omittenti, quod horas diceret quas omiſit; forte enim in Completorio diceret: Jam lucis orto ſydere, & in tempore Paſchali officium Dominicæ paſſionis, quod videtur abſurdum. Et ideo non videtur injungendum, quod eaſdem horas repetat, ſed aliquid ad laudem divinam pertinens; hoc eſt enim commune in omni Officio divino laus Dei, & ſuffragium fidelium: puta quod dicat ſeptem Pſalmos poenitentiales, vel unum*

*Pſal-*

*Pſalterium, vel aliquid amplius ſecundum delicti qualitatem* — . Recitatio divini Officii eſt obligatio affixa diei, & ita affixa, ut tranſacta illa die non amplius poſſit perſolvi juxta mentem præcipientis, & Clericus jam habeatur, & ſit violator præcepti. Ergo poſt illam diem ea præciſa obligatio non amplius ſupereſt, ſed alia conſurgit, & enaſcitur, quod nempe teneatur violator dignam ſuæ tranſgreſſionis agere pœnitentiam. Appoſite idcirco Author ipſe in Angelica ver. *Hora canonica* num. 8., quaſi exponens quod hic dixerat de pœnitentia imponenda, nempe ut repetat, quod omiſit, ſcribit — *Sed hoc tene de bono conſilio: & quod Confeſſor poſſit ei imponere aliud, quod ſit ad laudem Dei, puta ſeptem Pſalmos, & hujuſmodi, tenet Thomas in Quolibet., & Petrus de Palude in 4. diſt. 15. etiamſi dimiſit voluntarie* — .

Quod ſi Officium prætermittens Beneficio affectus ipſe ſit, præ oculis tunc habeas Canonem nonum Concilii Later. IV., quem profert, & exponit Pius V. Conſtitutione ſua 186. anno vulgata 1571., quæ eſt hujuſmodi — *Ex proximo Lateranenſi Concilio ea ſalubris ſanctio emanavit, ut quicumque habens Beneficium Eccleſiaſticum cum cura & ſine cura, ſi poſt ſex menſes, quam illud obtinuerit, divinum Officium, legitimo ceſſante impedimento, non dixerit, Beneficiorum ſuorum fructus, pro rata omiſſionis Officii, & temporis, ſuos non faciat: ſed eos tamquam injuſte perceptos, in Fabricas ipſorum Beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas, erogare teneatur. Verumtamen multorum animi ſuſpenſione tenentur, cujuſmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda. Nos huic rei evidentius, atque expreſſius providere volentes ſtatuimus, ut qui horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes Beneficii, ſeu Beneficiorum ſuorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur: qui vero Matutinum tantum, dimidiam: qui ceteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejuſdem diei amittat: tametſi aliquis Choro addictus non recitans omnibus horis Canonicis cum aliis præſens adſit, fructuſque, & diſtributiones forte aliter aſſignatas, ſola præſentia juxta ſtatuta, conſuetudinem, fundationem, vel alias ſibi lucrifeciſſe prætendat, etiam præter fructuum, & diſtributionum amiſſionem. Item ille, qui primis ſex menſibus Officium non dixerit, niſi legitimum impedimentum ipſum excuſaverit, grave peccatum intelligat admiſiſſe. Declarantes præſtimonia, præſtimoniales portiones, & qualiacumque alia Beneficia, etiam nullum omnino ſervitium habentia obtinentes, cum prædictis pariter conveniri. At quicumque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas ut Clericus percipit, eum modo prædicto ad dicendum Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis decernimus obligatum, & penſionum, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxium* — . Placet adjicere quod ad rem ſcribit Cuniliati de primo præcepto Decalogi cap. 11. §. 6. num. 2. Circa illum, quem Conſtitutio eximere videtur a reſtituendo, qui primis ſex menſibus horas omittit, jam certum eſt ſingulis diebus peccaſſe mortaliter: & inſuper notant doctiſſimi noſtri Sotus lib. 10. de juſt. q. 5. art. 7., & Bartholom. de Medina in ſumma cap. 12. §. 11., quos ſecutus eſt Suarez cap. 29. num. 7.

Digitized by Google

num. 7., afferens inſuper quindecim graves Auctores partim Theologos, partim Juriſtas, quod non teneatur reſtituere fructus ex vi hujus Conſtitutionis; teneatur tamen jure naturali: eo quod Beneficium ſit ſtipendium ab Inſtitutoribus datum propter Officia Beneficio adnexa, inter quæ vel præcipuum, vel inter præcipua reputatur horarum perſolutio. Qui igitur omittit ſine juſta cauſa, violat juſtitiam commutativam. Tenebitur ergo reſtituere vel omnes fructus ſex menſibus correſpondentes, ſi alia onera Beneficium non habeat; ſi autem alia onera habeat, eademque impleverit, reſtituet quod correſpondet omiſſioni horarum, retentis aliis correſpondentibus adimpletioni cæterorum onerum. Addit tamen Suarez num. 11., & 12., hanc reſtitutionem poſſe fieri etiam in bonis ſpiritualibus, nempe vel recitando per ſex menſes bis in die horas, vel alias preces horis duplicatis æquivalentes: quia quamvis non ſine peccato diſtulerit, ſecundum hanc opinionem, reſtitutionem, reſtituitur tamen demum quantum debebatur quoad damnum illatum — Hæc ille. Quod hic addit Suarez, cave ne extendas ad eum, qui poſt ſex menſes ab accepto Beneficio Horas Canonicas non perſolvit. De hoc ſancitum tuit expreſſim tum Canone, tum Conſtitutione prædictis; & iccirco velit nolit tenetur reſtituere ad mentem ipſorum, & hujuſmodi reſtitutio aliter ſuppleri nequit, ſicuti ſancivit Alexander VII., damnando propoſitionem 33. ſupra relatam ſecus edocentem.

Decimum Dubium. Utrum faciens pœnitentiam ſibi injunctam exiſtens in peccato mortali, teneatur eam iterato facere?

Reſpondeo ſecundum Ricardum in 1. Quolibet. q. 20., quod non de neceſſitate. Concordat Scotus in 4. diſt. 15: & hæc eſt verior opinio, licet alii contrarium dixerint. Suadeo tamen Confeſſoribus, ut talem dent, quam pœnitentes poſſint facere in gratia: & poſtea aliam addant, quam in mortali forte faciendo reiterare non teneantur.

(13) Doctores ſuper hac re adeo digladiantur inter ſeſe, ut nulla invicem poſſint felicitate componi. Nonnulli apud Barboſam in Collect. ad Concilium Tridentinum ſeſſ. 13. cap. 8. num. 6. arbitrantur, pœnitentem in mortale relapſum adimplendo pœnitentiam ſibi prius injunctam peccare mortaliter, non ſatisfacere, & teneri ad ipſam iterato faciendam. Putant alii cum Diana par. 4. Tract. 4. reſolut. 241., & Cuniliati Tract. 14. cap. 4. §. 5. num. 9. eum peccare venialiter, ſed ſatisfacere, & non teneri ad pœnitentiam in ſtatu gratiæ iterandam. Placet aliis cum Cardinali de Lauræa de Pœnitentia diſp. 22. num. 178., & Clericato de Sacramento Pœnitentiæ Decif. 34. num. 21., hunc pœnitentem nullo modo peccare, immo recte agere, & con-



Digitized by Google

ſequi remiſſionem pœnæ temporalis: quia, ut ajunt, ſi quis inimicus Principis eidem ſolvit, quod debet, valet hæc ſolutio, & per hanc deletur debitum, pro quo debitor ſolvit. Ad S. Thomam quod ſpectat, ipſe in ſupplem. q. 14. art. 2. totus eſt, ut oſtendat per pœnitentiam in mortali peractam non remitti pœnam temporalem, inquiens — *Dicendum, quod quidam dixerunt, quod poſtquam omnia peccata per præcedentem contritionem remiſſa ſunt: ſi aliquis ante ſatisfactionem peractam in peccatum decidat, & in peccato exiſtens ſatisfaciat, ſatisfactio talis ei valeat, ita quod si in peccato moreretur, in inferno de illis peccatis non puniretur. Sed hoc non poteſt eſſe: quia in ſatisfactione oportet, quod, amicitia reſtituta, etiam juſtitiæ æqualitas reſtituatur, cujus contrarium amicitiam tollit. Æqualitas autem in ſatisfactione ad Deum non eſt ſecundum æquivalentiam, ſed magis ſecundum acceptationem ipſius. Et ideo oportet, etiamsi offenſa sit dimiſſa per præcedentem contritionem, quod opera ſatisfactoria sint Deo accepta, quod dat eis caritas; & ideo sine caritate opera facta non ſunt ſatisfactoria* — Pro hac ſententia ſtetit Alexander de Ales part. 4. q. 85. membro 2. art. 1., itemque S. Bernardinus Senenſis Tom. 1. Serm. 15. art. 4. Scotus ex adverſo in 4. diſt. 15. q. 1. §. *De quarto*, cui ſuffragantur Clericatus jam laudatus, Cardinalis de Lugo, Juveninus, Tournely de Sacram. Pœnit. q. 7. art. 2. quæres 6. obſervat. 3., aliique, pro virili parte tuetur, ſatisfactionem Sacramentalem, quæ fit in ſtatu peccati mortalis, ſuum effectum conſequi ex opere operato tamquam partem integrantem Sacramenti, ut per ipſam pœnitens ſolvat debitum, nec iterum teneatur ad eam in ſtatu gratiæ adimplendam. S. Antoninus tandem part. 3. tit. 14. cap. 20. §. 2. materiem hanc fuſe pertractans, poſtquam ſcripſit — *quod ſatisfactio facta in mortali, sicut nec alia opera valent in foro Dei ad tollendum, vel minuendum debitum poenæ pro peccatis, ad quod ordinatur omnis ſatisfactio: quia, cum non sit in amicitia cum Deo, non poteſt Deo eſſe acceptum tale opus* —: inquirens, an pœnitentia ſic peracta valeat in foro Eccleſiæ, iterari ipſa debet nec ne, reſpondit — *Thomas cum Alberto Magno diſtinguit de ſatisfactione. Dicit enim, quod ſunt quædam ſatisfactiones, ex quibus remanet aliquis effectus in ſatisfacientibus etiam poſtquam actus ſatisfactionis tranſiit, sicut ex jejunio remanet corporis debilitatio, ex eleemoſyna diminutio ſubſtantiæ. Et tales ſatisfactiones in peccato factæ, non oportet, quod iterentur, quia quantum ad illud, quod de eis manet, per poenitentiam ſequentem acceptæ fiunt. Aliæ ſatisfactiones ſunt, quae non relinquunt effectum in ſatisfaciente poſtquam actus tranſiit, sicut in oratione, & hujuſmodi. Actus autem interior, qui totaliter tranſiit, nullo modo vivificatur; unde tales oportet, quod iterentur.*

Quum Author & hic, & in Angelica ver. *Poenitentia* num. 14., opinionem Scoti præ cæteris adamaverit, placeat audire Scotum ipſum refellentem ſententiam, quæ docet pœnitentem, de quo ſermo, non ſatisfacere, nec ipſi remitti pœnam temporariam —. *Sed iſta ſententia videtur nimis dura contra peccatores, & occasio majoris obſtinationis. Si enim iſte hodie vere poeni-*

poenitens, & humiliter recipiens ſatisfactionem, eſto jejunium trium dierum, eras recidivat in peccatum mortale, & de illo non poenitens ſecundo die jejunat, quia ſibi fuit impoſitum. Si dicas quod illud jejunium ſecundae diei non eſt aliqua ſatisfactio exterior, magis occaſio eſt inducendi iſtum jam lapſum, ut tertio die non jejunet: & per conſequens ad novum peccatum mortale: quia tranſgrediendo iſtam poenam injunctam a Sacerdote, & receptam, videtur eſſe peccatum mortale, cum ſit tranſgreſſio praecepti Eccleſiae, & Vicarii Dei in illo actu. Ex iſto poteſt formari talis ratio. Si poſt lapſum, & ante poenitentiam novam non exequatur quis ſatisfactionem priſtinam ſibi impoſitam, peccat mortaliter novo peccato. Ergo, ſi exequatur, bene facit: quia actum obedientiae facit. Sed non facit actum obedientiae niſi in quantum illud eſt ſibi impoſitum tamquam pars ſatisfactionis. Dico ergo ſine praejudicio, quod qui ſemel vere poenitet, & recipit ſatisfactionem, vel poenitentiam condignam ſibi impoſitam ab Eccleſia, clave non errante, quantumcumque poſtea recidivet, numquam tenebitur niſi ad illam unicam ſatisfactionem adimplendam. Et ſi eam impleat in charitate, melius eſt: quia non tantum ſolvit poenam, ſed meretur. Sed ſi adimpleat eam voluntarie extra charitatem, ſolvit quidem poenam, ſed non meretur gratiam. Si autem ipſa ab eo extra charitatem exigitur, ſolvitur poena, licet ipſe non ſolvat. Et in primo eſt ſatisfactio ſimpliciter, quia reconcilians, & placans. In ſecundo eſt quidem ſatisfactio quia voluntaria redditio, ſed nec reconcilians, nec placans. In tertio autem eſt ſatisfactio, ultra quam non exigetur poena ulterior. Ex ſecundo membro ſequitur, quod ſi magnam partem ſatisfactionis ſibi impoſitae explevit in peccato mortali, et poſt iterum poenitet de peccato novo, non eſt ſibi iterato poenitentia imponenda pro peccato, de quo ſatisfecit, licet extra charitatem, ſed tantum de novis peccatis, quae fuerunt cauſa, quare illa ſatisfactio fuit mortua. Et ſi arguas; mortua eſt; ergo non eſt ſatisfactio. Non ſequitur, niſi quod non eſt ſatisfactio placans, nec reconcilians in amicitiam.

Et ſi dicitur: ergo non eſt ſatisfactio. Non ſequitur, quia ſufficit Deo, quod quis voluntarie ſolvat poenam debitam ad punitionem peccati commiſſi: quia etiam, quod minus apparet, ſufficit ſatiſpaſſio. Patet in actibus humanis. Si enim alicui offenſae in Regem correſpondeat praeciſe ſecundum legem abſciſſio manus: ſi iſti etiam invito abſcinditur manus, ſatiſpatitur, et intantum ſufficit Regi, quod ſecundum legem, et juſtitiam non debet ab eo poenam ulteriorem exigere: et tamen non recipit eum in gratiam, vel amicitiam. Multo magis ergo poſſet ſufficere pro punitione culpae, ſi aliquis ſibi poenam debitam infligeret, licet non eſſet in gratia, vel amicitia ipſius Judicis offenſi.

Ex tertio membro poteſt elici, quod talis, ſi propter novum peccatum, in quod recidivat, damnaretur, antequam compleret totam poenam ſibi impoſitam, puniretur in inferno temporaliter poena correſpondente illi, quae non fuit hic ſoluta, & illa ſoluta poſt tempus aliquod, non puniretur amplius illa poena, ſicut et de veniali: quia moriens in peccato veniali ſimul cum mortali non puni-



Digitized by Google

*retur aeternaliter pro veniali, ut dicetur inferius: et eodem modo in propoſito. Ex quo enim ſecundum plenam juſtitiam punitivam ſemel impoſita eſt poena temporalis illi pro peccato, de quo vere poenituit, numquam iſti pro illo debebitur, niſi poena temporalis, et illa ſoluta nulla alia* –.

Si quis opponat cap. *Si quis autem* de pœnitentia diſt. 3., in quo ſcriptum eſt – *Haec propter charitatem dicta ſint, ſine qua in nobis non poteſt eſſe vera poenitentia*; recolat is quod legitur immediate antea – *Nihil prodeſſe intelligitur ad regnum Coelorum obtinendum, non ad extremi judicii tolerabilius ſupplicium ſubeundum*. Utique Gloſſa ſuper hoc loco adnotat – *Infert Gratianus ex ſupradictis, quod poenitentia nulli perſeveranti in peccato utilis eſt* –. Sed eadem Gloſſa paullo poſt ſeipſam exponit inquiens –. *Quoad poenam aeternam vitandam, vel quoad vitam aeternam obtinendam; ſed utilis eſt quoad poenam temporalem: quia Eccleſia iterum ei non imponet ſatisfactionem pro illo peccato, nec ille tenetur amplius confiteri* –.

Idem reſponderi poteſt, quum in medium profertur quod docet Catechiſmus Romanus part. 2. cap. 5. Sect. 73. – *Sed duo praecipue in ſatisfactione requiruntur. Primum eſt, ut is, qui ſatisfacit, juſtus ſit, ac Dei amicus. Opera enim, quæ ſine fide, & caritate fiunt, nullo modo Deo grata eſſe poſſunt. Alterum &c.* –: ipſum nempe locutum fuiſſe de ſatisfactione reconciliativa, & de condigno meritoria vitæ æternæ; non autem de eadem, ut eſt ſolutio pœnæ peccato debitæ, & vindicativa peccati, quæ ſatiſpaſſio vocari poſſet, ut ait Scotus ſupra laudatus. Et reipſa ſatisfactionem reconciliativam, placantem, & vitæ æternæ meritoriam reſpexit idem Catechiſmus ſectione præcedenti ſcribens – *Atque ita fit, ut juſtis nihil deeſſe videatur, cum operibus, quæ Dei virtute efficiunt, divinæ legi pro humana mortalique conditione ſatisfacere, & vitam æternam, quam ſcilicet, ſi Dei gratia ornati e vita deceſſerint, conſequentur, mereri poſſint*.

Hæc pro Auctoris doctrina, & ſententia. Cæterum laudo Monitum Claudii Fraſſenii *de ſatisfactione Sacramentali* q. 2. quæres 3. in fine – Nihilominus quamquam hæc forte vera ſint quantum ad ſpeculationem: attamen ſi praxim attendas, tutius eſt ſuadere pœnitentibus, ut omni ſtudio incumbant injunctas ſibi ſatisfactiones implere in ſtatu gratiæ ſecundum prudentem eorum exiſtimationem, hoc eſt quando non ſunt conſcii alicujus peccati mortalis: quia ſatisfactio in eo ſtatu exhibita non ſolum eſt ſolutiva pœnæ debitæ, ſed etiam promeritoria ulterioris gradus gratiæ, ſicut & novi juris ad augmentum gloriæ – Hæc ille.

Singularis eſt opinio Nicolai de Auximo in Supplemento ad Piſanellam ver. *Satisfactio* in fine. Eam accipe, &, ſi placet, ſequere – *A voluntate Confeſſoris dependet, utrum ſatisfactio extra caritatem facta debeat iterari, vel non. Et ſi de ejus voluntate conſtat, ſtamus illi. Quod ſi non conſtat, recurrimus ad conjecturas. Unde ſi injuncta poenitentia non relinquit poſt ſe aliquem effectum, ſicut eſt oratio, non praeſumitur impoſita ad ſatis-*

*factio-*

*facticnem poenae , ſed ad impetrationem reconciliationis , ſeu gratiae remi
ſivae , quae haberi non poteſt niſi per opera facta in caritate . Ideo hujuſmo-
di poenitentia debet tamquam invalida quoad hoc iterari .... Si vero injuncta
poenitentia relinquit poſt ſe aliquem effectum rerum , ſeu corporis diminuti-
vum , praeſumitur injuncta ad ſatisfactionem poenae , quae poteſt etiam extra
caritatem fieri , ut dicit Scotus . Ideo non eſt neceſſe iterari ſecundum eun-
dem , et Thomam , niſi poenitentia hujuſmodi eſſet valde parva reſpectu per-
ſonae poenitentis , et peccatorum ab ea commiſſorum . Nam tam parva poe-
nitentia non videtur injuncta ad ſatisfactionem pœnæ , ſed ad impetrationem
gratiæ remiſſivæ , quæ extra caritatem haberi non poteſt . Propterea illam ne-
ceſſe eſt iterari* — Ad me quod attinet : laudo quidem ingenium Scriptoris ;
ſed adhuc diluendum ſupereſt : an per pœnitentiam in ſe inſpectam , &
in mortali peractam ſolvatur debitum , remittatur pœna temporalis debi-
ta , nec ne . Et iccirco vel negans cum Divo Thoma , vel ſententia ad-
firmans cum Scoto amplectenda eſt , & ſequenda .

Undecimum Dubium . Utrum Officiales , qui occidunt malefactores ſine perceptione Sacramentorum , teneantur ad reſtitutionem ?

Reſpondeo , quod non , ſed mortaliter peccant per Clementinam *de pœnitentiis , & remiſſionibus* , & anima eorum erit pro illis . Intellige , ſi petebant Sacramenta .

(14) Turpiter erravere VValdenſes , vulgando Principibus ſuprema
poteſtate pollentibus conceſſam non eſſe facultatem extrema mortis pœna
plectendi facinoroſos homines ; ſcriptum eſt enim Exodi 22. v.18. , & ſeq. —
*Maleficos non patieris vivere . Qui coierit cum jumento morte morietur . Qui
immolat Diis occidetur , præterquam Domino ſoli* — : & ad Romanos 13. v.4.
*Si autem malum feceris , time* (Principem) : *non enim ſine cauſa gladium por-
tat . Dei enim miniſter eſt , vindex in iram ei , qui malum agit* — Jure ic-
circo S. Antoninus part. 2. tit. 7. cap. 8. §. 1. — *Quantum ad ſecundum , cum
Judex habens legitimam auctoritatem , ſeu poteſtatem ſervato ordine judicia-
rio reum condemnat ad mortem , quam meruit , ex zelo juſtitiæ , non pec-
cat ; immo meretur ſervando quod Dominus mandat Exodi 22. Maleficos non
patieris vivere . Unde non eſt homicida , etſi ſanguinem fundat , nec ipſe , nec
lictor , nec aliquis eorum , qui cooperantur ad mortem ejus , ut aſſeſſor , te-
ſtis , accuſator , aſſociantes , & capientes , & hujuſmodi* — Idem jam ſcrip-
tum erat cap. *Miles* 23. q. 5. — *Miles , cum obediens Poteſtati , ſub qua legi-
time conſtitutus eſt , hominem occidit , nulla Civitatis ſuæ lege reus eſt homi-
cedii ; immo niſi fecerit , reus eſt imperii deſerti , atque contempti . Quod ſi
ſua ſponte , atque auctoritate feciſſet , in crimen effuſi humani ſanguinis inci-
diſſet . Itaque unde punitur , ſi fecerit injuſſus , inde punietur , niſi fecerit
juſſus .*

Digitized by Google

*juſſu.* . Idem quoque docuerat Scotus *de ſecundo* in 4. diſt. 15. q. 3. ſcribens – Hoc ergo, quod dictum eſt ibi, eſt dictum de injuſte occidente. Sed quis eſt juſtus occidens? Reſponſio habetur 23. q. 5. *Si non licet*, & intitulatur ibi Aug. 1. de Civitate Dei – *His*, inquit, *exceptis*, *quos lex juſta generaliter*, *vel Deus ſpecialiter jubet occidi*, *quiſquis hominem occidit*, *criminis reus erit* – Quæ autem ſit lex juſta, ipſe determinat de libero arbitrio lib. 1. breviter – *Nulla niſi quæ vel deſcendit a lege divina*, *ſicut concluſiones practicae a principiis practicis vel quae concordat legi divinae, ad minus quae non diſcordat* –. Hæc ille. Appoſite igitur Maſtrius in ſua Theologia Morali diſput. 8. art. 1. q. 2. num. 19. – Et plane miror Molinam, Bannes, Bonacinam, Amicum, & alios Scoto impingere, quod loco citato id neget, nempe licitum eſſe publica auctoritate malefactores occidere, eo quia quinto Decalogi præcepto prohibetur ſimpliciter, & abſolute omnis hominis occiſio, cum ſimpliciter dicatur – *Non occides* –. Quapropter Scoti ſententiam dicunt eſſe temerariam, periculoſam in fide, & praxi totius Orbis Chriſtiani contrariam. Miror, inquam, adeo temere, ac temerarie hoc Scoto impingi, cum expreſſe lit. G. *Sed quis eſt juſtus occiſor* oppoſitum doceat; inquit enim ibi præcepto illo *Non occides* prohiberi occiſionem cujuſvis hominis ſine legitima auctoritate, & juſta lege, & hanc ex D. Auguſtino lib. 1. de libero arbitrio ait eſſe, quæ vel deſcendit a lege divina, ſicut concluſiones practicæ a principiis practicis, vel quæ concordat legi divinæ, vel ad minus quæ non diſcordat. Non ergo negat ibi ſimpliciter, & abſolute loquendo licitum eſſe publica auctoritate malefactores occidere, ut ei Recentiores impingunt; ſed tantum ait nullam legem juſtam eſſe poſſe, qua ſtatuatur furem propter furtum ſimplex eſſe morte afficiendum; ideoque negat Principibus licere ſimplex furtum, quod annexam non habeat aliam circumſtantiam prohibitam, pœna mortis punire. Hactenus Maſtrius. Attente lege, ſi placet, Scotum ipſum loco laudato, & certe invenies eundem ita docuiſſe, & non aliter. An poſtmodum recte ſenſerit nec ne, adſerendo quod non licet pro furto ſolo, & ſimplici, non nocturno, non aliis gravantibus circumſtantiis fœdato, pœnam mortis conſtituere: aliorum eſto judicium.

Ex hac legitima, qua Supremi Principes pollent, auctoritate plectendi pœna mortis homines maleficos, ſponte fluit quod hic docet Author, videlicet nec ipſos, nec ipſorum Miniſtros teneri ad reſtitutionem, quum nihil agant injuſtum, immo juſte ſe gerant: nam, ut optime S. Thomas 2. 2. q. 64. art. 2. in corpore – *Quælibet perſona ſingularis comparatur ad totam communitatem ſicut pars ad totum*; *& ideo*, *ſi aliquis homo ſit periculoſus communitati*, *& corruptivus ipſius propter aliquod peccatum*, *laudabiliter*, *& ſalubriter occiditur ut bonum commune conſervetur* –. Subdit Author eos peccare mortaliter, ſi non ſinant, quod homines occidendi Sacramenta percipiant, dum ea petunt. Et hoc ſancitum legimus in Clementina *de poenitentiis*, *& remiſſionibus* cap. 1. – *Cum ſecundum ſtatuta canonica ultimo deputandis ſupplicio negari* (*ſi petant*) *non*

*debeat*

*debeat poenitentiæ Sacramentum, abuſum damnabilem in quibuſdam partibus contra hoc introductum aboleri omnino volentes, Juſtitiarios omnes, & Dominos temporales, ut ab hujuſmodi deſiſtant abuſu, hortamur in Domino, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Jeſu Chriſti: locorum Ordinariis nihilominus injungentes, ut eos ad hoc, cum primum commode poterunt, diligenter monere, & (ſi neceſſe fuerit) Eccleſiaſtica cenſura compellere non omittant* —. Non te moveat phraſis deprecatoria, & emolliens, qua utitur Summus Pontifex, ad rem quippe Gloſſa ſuper hoc loco — *Nota, quod aliquando verba exhortativa, & deprecativa imponunt neceſſitatem: quia habemus concilium reverentiæ, quod obligat ſicut præceptum, quando materia eſt neceſſaria, ſcilicet ob reverentiam perſonarum, quibus Papa ſcribit verbis deprecativis, & exhortativis, ut hic* —. Præſertim quum Pontifex hic injungat Epiſcopis, ut moneant Dominos temporales, eoſque, ſi opus erit, Eccleſiaſtica cenſura compellant. Eo non proceſſiſſet certe Summus Pontifex, ſi unice voluiſſet hortari, non autem præcipere. In hac Clementina poſtmodum ſermo dumtaxat fit de pœnitentia; ſed intellige etiam Euchariſtiam cum eadem Gloſſa ſcribente — *Idem dic de Euchariſtia, quamvis non loquatur textus Clementinæ formaliter. Nec valet conſuetudo contraria* —. Non audeo tamen adſerere id eſſe præceptum de Euchariſtia, quum in Gallia hoc non ſit in more poſitum teſte Colleto in ſuis Inſtitutionibus de quinto Decalogi præcepto art. 2. ſect. 1. quæres 1. — Moris eſt Romæ (inquit ille), & pluribus in locis, ut Euchariſtia reis morte damnatis ipſa etiam ſupplicii die adminiſtretur, & id fieri poſſe abſque eo quod ii jejuni ſint, docent complures: quia tunc datur per modum viatici. Alia eſt Galliæ praxis, eaque improbari nequit: quia Chriſtus hanc Eccleſiæ poteſtatem conceſſit, ut in Sacramentorum diſpenſatione ſalva eorum ſubſtantia, id ſtatueret, quod Sacramentorum venerationi judicaret expedire. Hac fretus poteſtate S. Cyprianus ſanxit in Concilio Epiſcoporum, peccatorem, qui nonniſi in mortis articulo cœpiſſet veniam deprecari, Communione ſacra prorſus eſſe privandum. Quanto plus ſervari id debet erga eos, qui ad mortem uſque impœnitentes eſſe ſolent, & crimina ſua, etiam prævio veritatis aperiendæ juramento, conſtanter negare? — Hactenus Colletus. Etſi in re non præcepta, ſicuti eſt hæc, de qua agitur, ſervari poſſit cujuſque Eccleſiæ diſciplina: placet tamen doctrina Patris Concinæ de Euchariſtia Diſſert. 1. cap.8. num. 5. — *Laudabilior tamen videtur, & magis pia diſciplina, quæ omnibus morituris rite diſpoſitis, etiam extremo ſupplicio percutiendis, vel poenitentiam agentibus, in ipſo mortis exitu Euchariſtiam impertitur. Olim lapſis in extremo mortis articulo communio denegata fuit. Sed Concilium Nicaenum indulſit, ut omnibus in mortis exitu poſcentibus Communionem adminiſtraretur, ſi digni reputati eſſent a ſacris Paſtoribus* — Egregia ſunt, quæ hac de re ſcribit Benedictus XIV. de Synodo Diœceſana lib. 7. cap. 11. num. 3. In hac eadem mate-

ria, nimirum adminiſtrationis ſacratiſſimæ Euchariſtiæ, non abs re erit aliquid dicere de eo, quod alicubi in dubium revocatur, an ſcilicet concedenda, vel deneganda ſit Communio Corporis Chriſti iis, qui ob grave delictum ultimo ſupplicio damnati ſunt. De hac quæſtione fuſe egimus in noſtro Tractatu *de Sacrificio Miſſæ* ſect. 2. §. 175., ubi, indicatis variis locorum conſuetudinibus, eam ſequendam eſſe inſinuavimus, quæ in unoquoque loco reſpective obtinere dignoſcitur, tametſi innuere non omiſimus, Chriſtianæ pietati magis conforme eſſe, ut vivifici Sacramenti participatio iis etiam, qui ob grave delictum ſententia capitali damnati ſunt, petentibus, & alioquin recte diſpoſitis, non denegatur. Nunc autem addendum merito cenſemus, Epiſcoporum partes eſſe, hanc diſciplinam in ſuis Diœceſibus invehendam curare, ut delinquentibus ultimo ſupplicio afficiendis Euchariſtia præbeatur, idque in Synodalibus Conſtitutionibus inſerere; auctore nimirum immortalis memoriæ Pontifice S. Pio V., qui in Epiſtola ad Archiepiſcopum Roſſanenſem ſuum in Hiſpaniis Nuntium, quam videre licet inter collectas a Franciſco Goubau lib. 2. num. 2.. id ipſum ab eo cum Catholico Rege agendum, eique ſuadendum mandat. Quodque earum regionum Judices prohibere ſolebant, ne graviorum criminum reis capite damnatis Communio miniſtraretur, id aperte improbat ſequentibus verbis — *Id nos*, Sacramentum nempe Euchariſtiæ, *minime eſſe denegandum cenſemus; cum Chriſtianae caritati magis conveniat, eos, ad reſiſtendum tali tempore fortius diabolicis tentationibus, ſacra Communione muniri, ut, perituro corpore, ſaluti animae, quantum fieri poteſt, ſubveniatur* — Hactenus ſapientiſſimus Pontifex.

SECUN-

## Secundus Articulus primæ Conſiderationis, corporalis læſionis manifeſtativus.

Secundus Articulus corporalis læſionis manifeſtativus continet ſex Dubia.

Primum Dubium. Utrum vulnerans aliquem remediabiliter tantum, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Scotum in 4. diſt. 15., quod tenetur ad tria. Primo ad placationem læſi de injuria data, petendo veniam, & hujuſmodi ad arbitrium boni viri. Secundo ad expenſas in Medicos cap. 1. Extra *de injuriis, & damno dato*, & Exodi 21. Tertio ad lucrum, quod amiſit ob illam vulnerationem ſecundum Gloſſam in dicto cap. 1. Concordat Ricardus ubi ſupra.

(15) En quod legitur cap. 1. *de injuriis, & damno dato — Si rixati fuerint homines, & percuſſerit alter proximum ſuum lapide, vel pugno, & ille mortuus non fuerit, ſed jacuerit in lecto, qui percuſſerit, operas ejus, & impenſas in Medicos reſtituat* — Concinit lex civilis; ſcriptum eſt enim L. *Ex hac lege* ff. *ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur — Ex hac lege jam non dubitatur, etiam liberarum perſonarum nomine agi poſſe, forte ſi patrem familias, aut filium familias vulneraverit quadrupes. Scilicet ut non deformitatis ratio habeatur, cum liberum corpus æſtimationem non recipiat, ſed impenſarum in curationem factarum, & operarum amiſſarum, quaſque amiſſurus quis eſſet, inutilis factus* —. Et L. *Qua actione* ff. *ad legem Aquiliam — Qua actione patrem conſecuturum ait, quod minus ex operis filii ſui propter vitiatum oculum ſit habiturus; & impendia, quæ pro ejus curatione fecerit* —. Item L. *Cum liberi* eodem titulo — *Cum liberi hominis corpus ex eo, quod dejectum effuſumve quid erit, læſum fuerit, Judex computat mercedes Medicis præſtitas, cæteraque remedia, quæ in curatione facta ſunt. Præterea operarum, quibus caruit, aut cariturus eſt ob id, quod inutilis factus eſt. Cicatricum autem, aut deformitatis nulla fit æſtimatio: quia liberum corpus nullam recipit æſtimationem* —.

Utique cap. primum *de injuriis, & damno dato* modo recitatum depromptum eſt ex cap. 21. Exodi v. 18. 19. Fallitur tamen quiſquis inde

inſert, vel Chriſtianos homines nonnullis Moſaicis legibus adhuc eſſe devinctos: vel eoſdem judaizare, dum eas exequuntur. Scotum ſuper hac re jam produxit Author Dubio 7. articuli proxime præcedentis. Ipſum igitur audiamus in 4. diſt. 15. q. 3. §. *De ſecundo* rem hanc mirifice declarantem — Si objicitur: ergo lex Moſaica judicialis remaneret, & tunc in lege nova liceret judaizare quantum ad judicialia. Reſpondeo: lex aliqua poteſt habere robur ut a legislatore in communitate, ubi ſtatuitur, & tunc; undecumque accipiatur ratio ſtatuendi, non habet robur ut ſtatuta ab alio, ſed ut ab iſto: & hoc modo judicialia multa legis Moſaicæ poſſent a Papa, & ab Imperatore ſtatui a Chriſtianis obſervanda: nec obſervarentur ut a Moyſe ſtatuta, ſed ut a legislatore Evangelico. Nec hoc eſſet judaizare: quia non ſervatur lex judicialis quia Moſaica, ſed quia eadem ſtatuitur a Principe, qui poteſt ſtatuere leges in lege Chriſtiana. Iſtud probatur primo de facto: quia multa talia in Decretalibus ſumuntur ex judicialibus legis Moſaicæ, ut patet Extra *de injuriis & damno dato* cap. 1. & ſequentibus, quæ omnia ſumuntur ex Exodo 21. 22. 23., & ſervanda ſunt hodie ut jura Canonica, non ut in lege Moſaica — Hactenus Scotus. Si plura cupis, eundem adeas, quum ibi hoc idem pluribus argumentorum generibus evidenter uſque confirmet.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum vulnerans irremediabiliter, puta qui abſcindit membrum, & hujuſmodi, teneatur ſicut ille, de quo dictum eſt in præcedenti dubio?

Reſpondeo ſecundum Scotum ubi ſupra, quod ſic: & ultra hoc tenetur alere truncatum, ſi alimoniis indiget, & ſatisfacere illis, qui vivebant de artificio truncati, ſi taliter membrum abſcidit, quod laborare amplius non poſſit. Concordant. Ricardus, & Landulphus in 4., & Speculator tit. *de injuriis*, & Aſtenſis in ſumma lib. 5. tit. 29. & ſecundum Panormitanum in cap. *Cum illorum non poſſit* L. *Idem O Filius* ff. *de ædilitio edicto*: & notat Bartolus in L. 2. in fine ff. *de publicis judiciis*. Truncare enim eſt de toto abſcindere. Mutilatus dicitur, quando officio alicujus membri non poteſt quis uti propter percuſſionem; truncatus vero, quando membrum illud habet in totum abſciſſum.

(16) Egregie Scotus loco ſupra memorato §. *ad propoſitum* in fine — De alia autem damnificatione in corpore, ſcilicet mutilatione enormi vel non enormi communiter non eſt ſtatuta in Eccleſia reſtitutio niſi pecuniaria, & illa debet reſpon-

reſpondere non ſolum damno, quod incurrit quis per mutilationem pro toto tempore futuro, quo uſurus eſſet quis membro abſciſſo, ſed etiam expenſis appoſitis in curatione: & hoc dicit Capitulum allegatum Extra *de injuriis & damno dato*. Et ultra hoc placationi ipſius læſi, quæ requireretur etiamſi non eſſet talis mutilatio, & conſolationi ipſius afflicti: quia perpetua eſt ſibi deſolatio de tali mutilatione. Plus etiam eſt ponderanda mutilatio pauperis quam divitis, ſi magis egebat parte abſciſſa ad victum neceſſarium: quia uſus fuiſſet parte illa ad procuranda neceſſaria. Licet ex alia parte ſit quædam conditio præponderans, ſcilicet dignitas perſonæ; hoc tamen parum eſt reſpectu primæ conditionis — Hæc ille. Eadem habent S. Antoninus in ſumma part. 2. tit. 2. cap. 2. §. 2., S. Bernardinus Senenſis Tom. 1. ſerm. 36. art. 2. cap. 2., Gennettus de ſeptimo Decalogi præcepto cap. 5. q. 20., qui omnes recitata Scoti verba in medium protulerunt tamquam aptiſſima ad rem hanc eliquandam. Quum præcedenti annotatione leges protulerim ſtatuentes, cicatricum, & deformitatum nullam fieri æſtimationem, nollem crederes, nunquam propter eas aliquid eſſe reſtituendum. Opportune Gennettus nunc laudatus — Quantum vero ad deformitatem injuſte cauſatam, debent enim æſtimari damna, quæ inde ſecuta ſunt: ſi v. g. juvenis matrimonium brevi contracturus, & a fortiori virgo, non poteſt ſponſum æque divitem, aut nobilem invenire, quia ratione alicujus mutilationis, aut cicatricis, quam injuſte paſſa eſt, facta eſt deformis. In hujuſmodi caſibus augenda ita eſt dos, ut, ſuppleto deformitatis defectu, matrimonium inire facile poſſit cum viro æqualis ponderis. Sed nihil expreſſe reſtituendum videtur propter ſolam deformitatem, & dolorem inde provenientem, ſi nullum aliud temporale damnum ſequatur — Hæc Gennettus. Non deſunt opinantes etiam propter ſolam mutilationem, aut vulnerationem aliquid eſſe reſtituendum. Audias quæſo S. Thomam 2. 2. q. 62. art. 2. ad primum — *Ad primum ergo dicendum, quod in quibus non poteſt recompenſari æquivalens, ſufficit quod recompenſetur quod poſſibile eſt, ſicut patet de bonoribus, qui ſunt ad Deum, & ad parentes: ut Philoſophus dicit in 8. Ethicorum. Et ideo quando id, quod eſt ablatum, non eſt reſtituibile per aliquid æquale, debet fieri recompenſatio qualis poſſibilis eſt, puta cum aliquis alicui abſtulit membrum, debet ei recompenſare vel in pecunia, vel in aliquo bonore, conſiderata conditione utriuſque perſonæ ſecundum arbitrium boni viri* —.

Bona naturalia in triplici ordine collocantur: in ſupremo nempe vita, membra, ſanitas, virginitas, & libertas: in medio honor, & bonum nomen, ſeu fama: in infimo vero bona fortunæ, divitiæ ſcilicet, & res pecunia æſtimabiles. Bona ſuperioris ordinis compenſari non poſſunt ad æqualitatem per bona ordinis inferioris. Sed quum nihilominus per bona inferioris ordinis aliqua compenſatio poſſit fieri in bonis ordinis ſuperioris, non video, cur ad id non teneatur mutilans, aut vulnerans. Hanc ſen-

F 2 ten-

tentiam probabiliorem arbitrantur Colletus in ſuis Inſtitut. de juſtitia, & jure cap. 3. art. 4. quæres quarto, & Gabriel Antoine de juſtitia & jure part. 2. cap. 6. q. 6., qui huic controverſiæ in hunc modum finem imponit — Prior ſententia videtur probabilior. Ad fundamentum oppoſitæ reſpondeo. Quamvis vita, & membra hominis liberi non ſint pretio æſtimabilia, nec bona ſuperioris, & inferioris ordinis ſint commutabilia ad æqualitatem; tamen damnum in bonis ſuperioris ordinis illatum poteſt aliquo modo, nempe in ordine ad uſus humanos, compenſari pecunia, quæ non datur ut pretium vitæ, vel famæ, ſed ut compenſatio damni vitæ, membri, vel famæ, & ut tollantur effectus hujus damni nempe mœror, dolor animi, & alii. Et quamvis bonum ſuperioris ordinis non poſſit reddi in æquivalenti etiam ex parte, ſi ſecundum ſe ſpectetur; tamen ejus carentia poteſt aliquo modo compenſari quoad uſus humanos. Sic defectus formæ, vel nobilitatis compenſatur divitiis: ſic libertas pecunia venditur. Juſtitia autem obligat ad compenſandum damnum eo modo, quo fieri poteſt, ſaltem quoad uſus humanos, ſi non poſſit quoad bonum ablatum. Et vero æqualitas non conſiſtit in ipſis naturis rerum, ſed in rationabili æſtimatione rerum ſecundum quod uſui humano deſerviunt — Hactenus Antoine. Si ſecus eſſet, pejor certe foret conditio hominis, qui læſus eſt in bonis ordinis ſuperioris, quam illius, qui in bonis inferioribus fuit læſus, ut recte monet Collectus ibidem: prior enim plus paſſus eſſet damni, & nullatenus compenſaretur; poſteriori vero, etſi minus paſſo, reſtitutio fieret ad æqualitatem: quod non videtur æquum, nec juſtitiæ commutativæ conſentaneum.

Tertium Dubium. Utrum Medicus, qui cauſa lucri in longum trahit curationem infirmitatis, teneatur reſtituere?

Reſpondeo, quod ſic; immo non ſolum expenſas, verum etiam operas perditas, ſicut Judex, & Advocatus indebite prorogantes cauſam.

(17) Hic Medicus doloſe agit in damnum tertii; & iccirco jure optimo S. Antoninus part. 3. cap. 2. ſub initio — *Tertio debet Medicus quamcitiſſime poteſt curare infirmum. Unde ſi ex induſtria omittit debitam medicinam, & cito curativam ut dimittendo eum in infirmitate, ut amplius lucretur, graviter peccat, & furatur quod ſibi lucratur* — Addit Author, ipſum inſuper teneri ad compenſandas tum expenſas, tum operas perditas: & quidem merito, quum horum omnium injuſta cauſa ſit. Super hac re delinquunt præſertim complures Chirurgi, Advocati, & Procuratores, ſeu Patroni Cauſarum. Præcipua Medicorum peccata in curandis infirmis enumerat S. Antoninus ibidem §. 7. ſcribens — *Nota breviter peccata gravia Medicorum. Primo, ſi ignorantes notabilem exercent artem medicinæ; imputatur*

*tatur enim eis mors infirmorum, vel aggravatio. Arg. Extra de injuriis & damno dato cap. Si culpa. Secundo, cum ſint periti, vel propter negligentiam, vel alias occupationes non aſpiciunt libros, nec diligenter provident bis, quæ providenda ſunt, ut in dicto cap. Tertio, quando dant medicinas, & remedia contra ſalutem animarum: ut procurando abortum, vel aliud malum ſuadendo Extra de poenitentiis, & remiſſionibus cap. Cum infirmitas. Quarto, quando non inducunt infirmum ad vocandum Sacerdotem ad faciendam Confeſſionem, ut in dicto cap. Cum infirmitas. Quinto, cum non viſitant infirmos pauperes, quos noverint: quia eis non ſolvunt, cum non poſſint diſt.83. §.1. Sexto, cum Medicus præcognoſcens mortem infirmi ſecundum artem medicinæ, non eum, vel parentes, vel Confeſſorem aviſat, ut ſibi provideant de Sacramentis, vel de teſtamento ſi expedit, & hujuſmodi: timens, ne ex hoc deterius ſe habeat, vel diſpliceat ſibi, vel ſuis ſecundum Joannem Neapolitanum in quodlibet. Septimo, cum non adhibet diligentiam in medicinarum confectione, niſi ſit certe expertus de ſolertia, & fidelitate aromatariorum, qui multa ſophiſtica aliquando in eis ponunt. Octavo, cum detinent infirmum in infirmitate diutius, ut plus ex frequentatione lucrentur, cum æque bene citius poſſent liberare. Nono, quando ſine cauſa rationabili inducunt debiles ad frangendum jejunia Eccleſiæ, vel comedendum carnes diebus prohibitis: & multo magis cum ipſi ea faciunt obloquentes de jejuniis Eccleſiæ, & abſtinentiis. Decimo, de æmulationibus eorum ad invicem, ex quibus ſe jactant de aliquibus curis ſuperbiendo, & ſocios deprimunt vituperando curas eorum.*

QUARTUM DUBIUM. Utrum Medicus, qui ex imperitia, vel alia culpa ſua dat damnum corporale: puta quia infirmus moritur, vel remanet viribus deſtitutus, & hujuſmodi, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Hoſtienſem in titulo *de homicidio*, quod ſic, ſive ſit in culpa ante factum, puta quia idiota intromittit ſe de medicina: ſive in facto, ſcilicet quia, quamvis peritus, noluit tamen procedere ſecundum artem, ſed pro arbitratu: ſive poſt factum, videlicet quia non adhibuit debitam diligentiam circa infirmum, aut eum dereliquit, antequam eſſet plene liberatus ab infirmitate: cap. *Ad aures* Extra *de ætate & qualitate & ordine præficendorum*, & cap. *Tua* Extra *de homicidio*. & L. *Illicitas* §. *Sicut Medico* ff. *de officio Præſidis*, & L. *Idem juris* ff. *ad*

legem

*legem Aquiliam*, & Inſtitut. *de lege Aquilia* §. *Imperitia*, nam imperitia Medici culpæ adnumeratur L. *Si quis domum* §. *Celſus* ff. *Locati conducti*, & L. *Imperitia* ff. *de diverſis regulis juris antiqui*, & Gloſſa 1. q. 1. cap. *Non eſt putanda* in fine, & diſt. 29. cap. finali. Hoc credo verum de eo, qui ex officio, vel ex ſua aſſertione oſtendit ſe peritum. Secus tamen tenendum eſt de illo, qui candide diceret ſe eſſe imperitum, & ſolum in defectu aliorum peritorum adhiberet aliqua alias experta, ſicuti faciunt multi: quia tunc non credo, quod teneatur, ſi bona fide hoc facit, ſed ſibi imputet qui talem elegit.

(18) Perſpicua eſt lex — *Sicut Medico* — ab Authore laudata — *Sicut Medico imputari eventus mortalitatis non debet: ita quod per imperitiam commiſit, imputari ei debet* — Perſpicuus pariter paragraphus — *Imperitia* — hic memoratus — *Imperitia quoque culpæ adnumeratur: veluti ſi Medicus ideo ſervum tuum occiderit, quia male eum ſecuerit, aut perperam ei medicamentum dederit* —. De Medicis nedum, ſed etiam de aliis compluribus, qui ex officio tenentur ſcire quid agendum ſit, quid omittendum, ſcribit S. Bernardinus ibidem cap. 4. — *Medici & corporum, & animarum, & maxime Confeſſores ignari, & negligentes: Notarii, qui neſciunt condere Inſtrumenta; unde multi perdunt jura ſua: Judices, & Aſſeſſores, qui ex ignorantia, vel incuria injuſtas proferunt ſententias: Procuratores, & Advocati, qui ex eiſdem cauſis amittunt cauſas juſtas: atque conſilia dantes his etiam poſſunt annumerari: Inſuper nautæ, et Architectores, et conſimiles omnes. Tales inquam, ſi ex eorum imperitia, vel negligentia quidam damnificantur, ſatisfacere debent. Cujus ratio triplex eſt. Prima, quia tenentur talia præcavere. Secunda, quia unuſquiſque tenetur ſufficienter ſcire, et exequi diligenter artem, quam profitetur: maxime quando vergit in periculum alterius error ſuus. Tertia, quia eorum imperitia, et negligentia habent quandam efficacem cauſalitatem damnificationis illorum, juxta modum, quo privatio eſt cauſa privationis* —. De Medici ſcientia, & diligentia, itemque de ipſius ignorantia, & negligentia perbelle S. Antoninus cap. modo indicato ſub initio — Primo ergo requiritur, quod Medicus ſit peritus in arte, ita quod a peritis talis facultatis communiter reputetur idoneus. Nec ſufficit, quod ſit doctoratus: cum multi hodie in omni facultate magiſtrentur, & doctorentur indigni in damnationem ſui, & promoventium eos. Alias ubi ex ignorantia notabili in curis ſuis nocent infirmis, ſemper peccant mortaliter, facientes contra iſtud præceptum — *Non occides* — *de poenitentia* diſt. 1. cap. *Homicidium*

*ctum* . Nec excuſantur ex hoc, quod illud non intendunt, quia voluntarie ponunt ſe ad illud , unde hoc ſequitur . Arg. 15. q. 1. cap. *Merito* , & cap. ſeq. §. *Sed objicitur de Lamech* . Immo etiamſi ſequatur ſanitas, non excuſantur a peccato: quia exponunt ſe periculo peccati mortalis, ei ſcilicet operi, unde poteſt ſequi notabile nocumentum proximo. Secundo debet Medicus adhibere debitam diligentiam : unde , quantumcumque ſit peritus , ſi committat notabilem negligentiam in revidendo libros , in viſitando infirmum, in qualitate medicinalium rerum, & hoc unde ſequitur mors, peccat mortaliter , & eſt irregularis. Si etiam ſequatur magna aggravatio infirmitatis ex hoc, etſi non mortis, non excuſatur a mortali. Et ideo , ut dicit Antonius de Butrio ſuper cap. *Tua nos* Extra *de homicidio* , debet adhibere in hujuſmodi omnem diligentiam : quod tunc dicitur facere, quando ſequitur traditiones artis, & quod infirmum viſitet perſonaliter, & quod dietam ſuam & regimen dictet ſibi. Nec tenetur ei ad cuſtodiam perſonaliter continuam , ut dicit Hoſtienſis . Quod ſi dubitet de medicina, quia non conſtat ei ſecundum artem medicinæ , utrum debeat ei nocere, vel prodeſſe , male facit dando: quia, ut dicit Innocentius , in dubio potius debet dimittere infirmum in manu Creatoris , quam exponere medicinæ , de qua neſcit Extra *de homicidio* cap. *Petitio* —. Hactenus S. Antoninus.

*Si tamen* , appoſite Hoſtienſis ab Authore laudatus , *neque ante factum, neque in facto, neque poſt factum in culpa deprehendebatur, non imputatur, ſi infirmus vel fatuitate ſua, vel avaritia , vel in caſu fortuito moriatur. Recurrat ergo quilibet Medicus ad conſcientiam ſuam, ut ſupra de ætate et qualitate cap. Ad aures*. In hoc Capitulo ſcriptum eſt -- *Ad aures noſtras te ſignificante pervenit, quod cum in arte phyſica eruditus ſis, pluribus juxta ipſius artis traditionem exhibuiſti cum diligentia medicinam, licet pluries in contrarium ſucceſſerit: et quibus putabas adhibere medelam, medicinis perceptis mortis periculum incurrerunt. Verum quia ad ſacros Ordines deſideras promoveri, ſuper eo nos conſulere voluiſti. Tibi breviter reſpondemus, quod, ſi ſuper praemiſſis conſcientia tua te remordeat, ad majores ordines de noſtro conſilio non aſcendas* —.

Quintum Dubium . Utrum occidens hominem , teneatur ad reſtitutionem ?

Reſpondeo ſecundum Scotum ubi ſupra , quod tenetur totam vitam ſuam conſumere contra Infideles , vel hæreticos in ſatisfactionem occiſi : vel in orationibus , jejuniis , & hujuſmodi . Quod ſi non poteſt , aut non vult , ſaltem tenetur ad aliquam reſtitutionem arbitrio boni viri . Et ultra hoc , ſi occiſus aliquos ſuſtentabat , tenetur illis

illis ad tantam ſatisfactionem, quantam utilitatem dediſſet eis occiſus: & hoc pro eo tempore, quo occiſus veroſimiliter fuiſſet victurus, & operaturus, ſicuti ſancitur L. *Computationi* ff. *ad legem Falcidiam*, & L. *Cum hi* ff. *de tranſactionibus*. Conſiderentur ergo ars, quam faciebat occiſus, qualitas perſonæ, ætas, lucrum, quod acquirebat, & hujuſmodi, ut eiſdem digna fiat reſtitutio. Concordant Ricardus, Landulphus in 4., Speculator, Aſtenſis ubi ſupra, & Girardus Obdonus.

(19) Super hac re tum S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 2. §. 2., tum Aſtenſis in ſumma lib. 5. tit. 29. circa primum, tum S. Bernardinus To. 1. ſerm. 36. art. 2. cap. 3., recitant verba Scoti in 4. diſt 15. q. 3. §. *de ſecundo*, iiſque ſolis arbitrantur, ſe cumulate poſtulationi feciſſe ſatis. Et ipſe igitur verba Scoti exſcribam, quæ ſunt hujuſmodi — Reſpondeo, pro primo damno, & maximo, ſcilicet vitæ ablatione, regulariter in multis Communitatibus ſtatuta eſt lex talionis, ſcilicet ut homicida moriatur: & rationabiliter, quia ſcilicet non ſolum hoc competit legi Moſaicæ, ſed etiam legi naturali, & approbatum & confirmatum eſt in lege Evangelica a Chriſto Math. 26. — *Omnis, qui gladio occidit, gladio peribit* —: & per conſequens ubicumque lex talis de vita pro vita reddenda ſtatuta eſt, juſte debet homo patienter ſolvere iſtam pœnam, quæ ſi alicubi non ſit ſtatuta, nullus debet eam ſibi inferre: quia nullus debet eſſe homicida ſui ſine ſpeciali præcepto Dei; ſed expedit ſibi, quod exponat vitam ſuam in cauſa juſta, ut pote contra inimicos Eccleſiæ pro reſtitutione facienda illi, cujus vitam abſtulit. Qui ſi nec tantam reſtitutionem velit facere, non poteſt omnino eſſe immunis a reſtitutione, ſicuti quidam fatui faciunt, qui abſolvunt homicidas, non eis oſtendentes reſtitutionem neceſſario incumbentem, quaſi facilius poſſet tranſire homicida, quam (ut ita dicam) canicida, vel bovicida: quia ſi occidiſſet quis bovem proximi ſui, vel canem, non abſolveretur ſine reſtitutione. Tenetur ergo ad reſtitutionem ſpiritualem æquivalentem vitæ, quam abſtulit, ſicut poteſt eſſe æquivalentia in talibus. Nec hoc ſolum, ſed, ſi interfectus ſuſtentabat aliquos, Patrem, vel matrem, vel propinquos, tenetur interfector omnibus illis ad tantam reſtitutionem, quantam illis abſtulit per interfectionem illius. Et quia vix poſſet aliquis digne recompenſare per actiones illud, quod abſtulit homicida, expediret ſimpliciter animæ talis, quod ſolveret per paſſiones voluntarias, vel patienter ſuſceptas, ut ſcilicet occideretur pro homicidio; & ideo optime proviſum eſt Communitati, ubi ſtatuta eſt lex talionis in cauſa homicidii. Patet enim quantum Deus deteſtatur homicidium, quan-

do

do David (qui tamen juſte occiderat) voluit ædificare ſibi domum; ſed, quia fuit effuſor multi ſanguinis humani, prohibitus eſt a Deo. Si ergo juſtus occiſor non acceptatur ad cultum Dei, injuſtus occiſor ubi apparebit? Hoc ergo, quod dictum eſt ibi, eſt dictum de injuſte occidente —. Hactenus Scotus, ex quibus magis magiſque planum fit quod dicebam Annotatione 14.; eundem ſcilicet numquam inficiatum fuiſſe, quod publica Poteſtas poſſit, & debeat facinoroſos homines extremo ſupplicio plectere; immo id ſæpenumero conceptis verbis edocuiſſe.

Quot quot Theologi hac de re mentem aperuere ſuam, omnes unanimi conſenſione docuerunt, quod injuſtus homicida tenetur animæ occiſi, ſi non conſtet ipſum deceſiſſe in ſtatu peccati: tenetur hæredibus occiſi, ſi hic eos alebat operibus ſuis, officio, vel induſtria: tenetur & ipſis creditoribus occiſi, ſi bona iſtius non ſufficiunt ad ſolvenda debita: quia injuſte occidendo in cauſa eſt, cur ipſi damnum patiuntur. Immo omnes hæ obligationes, ſi eiſdem non ſatisfaciat occiſor priuſquam decedat, tranſeunt ad ipſius hæredes: quum ſint debita realia, non perſonalia, quæ ſola extinguuntur cum interitu perſonæ.

Quum apud omnes in confeſſo ſit, homicidam teneri ad compenſandas operas, quas feciſſet occiſus, ſi vita ipſi non fuiſſet ablata: poſtulabis, uſque ad quod tempus æſtimatio operarum facienda eſt? Definitum id habemus L. *Computationi ff. ad legem falcidiam — Computationi in alimentis faciendæ hanc formam eſſe Vlpianus ſcribit, ut a prima ætate uſque ad annum vigeſimum quantitas alimentorum triginta annorum computetur, ejuſque quantitas Falcidia præſtetur: ab annis vero viginti uſque ad annum vigeſimum quintum, annorum viginti octo: ab annis viginti quinque uſque ad annos triginta, annorum viginti quinque: ab annis triginta uſque ad annos triginta quinque, annorum viginti duo: ab annis triginta quinque uſque ad annos quadraginta, annorum viginti: ab annis quadraginta uſque ad annos quinquaginta, tot annorum computatio fit, quot ætati ejus ad annum ſexageſimum deerit, remiſſo uno anno: ab anno vero quinquageſimo uſque ad annum quinquageſimum quintum, annorum novem: ab annis quinquaginta quinque uſque ad annum ſexageſimum, annorum ſeptem: ab annis ſexaginta, cujuſcumque ætatis ſit, annorum quinque. Eoque nos jure uti Vlpianus ait, & circa computationem uſusfructus faciendam. Solitum eſt tamen a prima ætate uſque ad annum trigeſimum, computationem annorum triginta fieri: ab annis vero triginta, tot annorum computationem inire, quot ad annum ſexageſimum deeſſe videntur. Nunquam ergo amplius quam triginta annorum computatio initur.*

SEXTUM DUBIUM. Utrum occidens aliquem, qui aggreſſus eſt eum, teneatur ad reſtitutionem?

 Reſpon-

Reſpondeo. Aut potuit fugere ſine aliquo ſuo damno, & tunc, ſi occidit, tenetur, non tamen ad tantum, ſicuti dictum eſt in præcedenti dubio, ſed arbitrio boni viri ſecundum quod fuit in culpa. Si autem fugere non potuit ſine aliquo ſui damno, tunc, ſi aggreſſorem occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, nec ita operatur ob vindictam &c., non tenetur, Clementina *de homicidio* cap. unico. Concordat Alexander de Alexandria in 3. ſuper præcepto = *Non occides* =. Excludit tamen Religioſos, quibus dicit non licere propter evitandum damnum rerum temporalium aliquem occidere. Moderamen inculpatæ tutelæ eſt, quod, qui poteſt ſe defendere cum pugno, non accipiat arma, nec plus ſæviat, quam expediat ad defenſionem ſui, & hujuſmodi. Et inſuper, quod hoc faciat incontinenti, & neceſſitate coarctatus; quæ omnia recte notat Gloſſa in L. 1. C. *Unde vi*.

(20) Injuſtum aggreſſorem occidi poſſe ad defenſionem propriæ vitæ, definita res eſt a Clemente V. in Concilio Viennenſi, ſicuti legitur in Clementina *de homicidio* cap. unico — *Si furioſus, aut infans, ſeu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo cenſemus qui, mortem aliter vitare non valens, ſuum occidit, vel mutilat invaſorem* —. Id tamen fieri debet non ad vindictam, non ex odio, non majore vi, quam neceſſitas poſtulet, ſed ad puram putamque defenſionem, ut optime Innocentius III. Extra *de homicidio* cap. *Significaſti* — *Quamvis vim vi repellere omnes leges, & omnia jura permittant.... tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad ſumendam vindictam, ſed ad injuriam propulſandam* —. Idem prorſus ſancitum eſt Jure civili L. *Scienciam* ff. *ad legem Aquiliam* §. 4. — *Qui cum aliter tueri ſe non poſſunt, damni culpam dederint, innoxii ſunt. Vim enim vi defendere omnes leges, omniaque jura permittunt. Sed ſi, defendendi mei cauſa, lapidem in adverſarium miſero, ſed non eum, ſed prætereuntem percuſſero, tenebor lege Aquiliæ: illum enim ſolum, qui vim infert, ferire conceditur; & hoc, ſi tuendi duntaxat, non etiam ulciſcendi cauſa factum ſit* —. Item L. *Quod eſt* §. 9. ff. *de vi, & de vi armata* — *Eum igitur, qui cum armis venit, poſſumus armis repellere, ſed hoc confeſtim, non ex intervallo* —.

Quid autem ſit moderamen inculpatæ tutelæ, egregie exponit Author in Angelica ver. *Defenſio* num. 4. ſcribens — Tria debent eſſe, ut ſit mo-

dera-

deramen. Primum, æqualitas: ut, ſi cum armis, cum armis, ut ff. *de vi, et vi armata* L. 1. §. *Vim vi*. Sed ego hoc credo verum, quando poteſt repellere: quia parvus vix cum armis poteſt ſe defendere a magno, qui cum pugno forte eum interficeret. Arg. 3. q. 7. §. *Tria*. Secundum, temporis vicinitas: quia, ſi poſt, eſſet vindicta: contra cap. *Seditionarios* 46. diſt. Tertium, talis & tanta, quanta eſt neceſſitas. Adde quartum, quod intentio ſua feratur, ut ſe defendat: quia actus ex intentione nomen accipit, non ex eo, quod eſt per accidens, ideſt præter propoſitum in actibus moralibus. Unde duo effectus ex uno actu poſſunt venire, puta propriæ vitæ conſervatio, & invadentis occiſio. Si ergo intenderet occiſionem ut finem, ſic non liceret ſine peccato mortali. Si autem ſuam defenſionem, ſic denominabitur defenſio, non occiſio, cum non debeat denominari actus moralis niſi ab eo, quod intendit, non ab eo, quod eſt præter intentionem, cum ſit cauſa per accidens, ut patet 5. Ethicorum cap. 4.; & ſic non erit peccatum –. Hæc ille.

Petes hic: an, ut me defendam cum moderamine inculpatæ tutelæ, neceſſe ſit expectare, quod aggreſſor me aliquatenus percutiat. Hoc idem inquirit Gloſſa ſuper L. 1. C. *Unde vi*. Ejuſdem igitur verba accipe –. *Item numquid eſt neceſſe, ut prius percuti expectes? Quidam dicunt, quod ſic, ut* ff. *ad legem Aquiliam L. Si ex plagis* §. *Tabernarius, &* ff. *ſi quadrupes pauperiem feciſſe dicatur L.* 1. §. *Cum arietes. Tu dic, quod ſufficit terror armorum, & jactatio percuſſionis, ut* ff. *de vi & vi armata L.* 3. §. *Qui armati, &* ff. *ad legem Aquiliam L. Sed & ſi quemcumque, & infra ad legem Corneliam de Sicariis L. Is qui. Nec obſtat* §. *Tabernarius, quia quod ibi dicit – culpam enim &c. non notat cauſam, quaſi hoc ſit neceſſe, ſed factum, quia ſic evenit; nam & non verberatus poſſet & vim repellere* –. Ratio in promptu eſt, quia in caſu, de quo agitur, occiſio permittitur, ut quis ſervetur indemnis. Indemnis autem non ſervaretur, ſi ſe tueri non poſſet, niſi vulneratus, & percuſſus.

Dum de mente Alexandri de Alexandria Author ſcribit – *Excludit tamen Religioſos, quibus dicit non licere propter evitandum damnum rerum temporalium aliquem occidere* –: ne inferas id in quocumque caſu laicis eſſe permiſſum. Vetitum quidem eſt ſpeciali jure Religioſis ab Alex. III. cap. *Suſcepimus* Extra *de homicidio*, dum Abbati S. Benedicti de Vebiaita reſpondit Pontifex anno 1180. – *Suſcepimus literas tuas, per quas cognovimus, quod cum lator præſentium in cuſtodia cujuſdam domus cum altero Fratre maneret, ingredientes de nocte quidam latrones ad eos, turpiter ipſos in perſonis affligere, & denudare veſtimentis propriis præſumpſerunt: in quos iſti reſumptis viribus inſurgentes, ligaverunt illos, & detinere uſque ad notitiam Capituli voluerunt. Cum autem iſte rem ad tuam audientiam perlaturus, ligatos eos in Fratris ſui cuſtodia dimiſiſſet, & fures ſe ſolvere niterentur, Frater illos (ne ipſe ab eis interimeretur) occidit. Verum quoniam expediebat potius poſt*

*tunicam relinquere pallium, & rerum ſuſtinere jacturam, quam pro conſervandis vilibus rebus, & tranſitoriis tam acriter in alios exardeſcere, abſtineat iſte humiliter ab altaris miniſterio, & uterque peccatum ſuum ad arbitrium tuum ſtudeat expiare: conſtat enim eos contra manſuetudinem Eccleſiaſticam ex utriuſque ope interemptos—*. Laicos autem quod ſpectat, Innocentius XI. anno 1679. damnavit ſequentes propoſitiones — *Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei* — Eſt in Ordine 31. — *Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſsuros ſperamus—*. Eſt in ordine 32. — *Licitum eſt tam hæredi, quam legatario contra injuſte impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut et jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſte impedientem—*. Eſt in ordine 33. Ex damnatis hiſce propoſitionibus inſer, non licere injuſtum aggreſſorem occidere neque pro conſervandis rebus parvi momenti, neque pro illis, quæ a nobis actu non poſſidentur. Diſputatio nunc adhuc ſupereſt, an ad tuenda bona, quæ actu poſſidentur, eaque maximi momenti, & notabilia, pro quibus defendendis, aut recuperandis nulla alia pateat via, quam occiſio rapientis, an, inquam, hoc in caſu occiſio ſit licita. Et olim, & in præſenti in utramque partem diſputarunt, & adhuc diſputant Theologi ſuper hac re. Quibuſdam placet adſerere cum S. Thoma 2. 2. q. 64. art. 7. in reſponſione ad primum, Cajetano in Commenta. ſuper hoc articulo S. Thomæ, S. Antonino 3. par. tit.4. cap.3. §. 2., Cuniliati de quinto Decalogi præcepto cap. 2. §. 3., aliiſque, licite occidi poſſe invaſorem etiam pro rebus temporalibus conſervandis nedum propriis, ſed & depoſitis, & commodatis, immo etiam pro rebus amicorum, & propinquorum, ut ibidem exprimit S. Antoninus, quamvis ſic occidens irregularitatem incurrat, quæ eſt impedimentum canonicum, quo ſuſceptio Ordinum prohibetur, & ſuſceptorum Ordinum exercitium. Secus opinantur complures alii tum Veteres, tum Juniores, quos videre potes apud Concinam lib. 7. in Decalogum Diſſert. unica cap. 5. §. 4., qui hanc opinionem dicit, Evangelio, Patrum doctrinæ, & ſpiritui Chriſtianorum magis eſſe conformem. Pro hac eadem ſententia ſtant Joannes Pontas ver. *Occidere* caſu 11., Gennetus de quinto Decalogi præcepto cap. 1. q. 6., Antoine de juſtitia & jure part.3. cap. 2. q. 9., Colletus in ſuis Inſtitut. de quinto Decalogi præcepto art.3. Sect. 2. quæres 3., aliique. Immo Clerus Gallicanus, teſte Antoine ibidem, hanc propoſitionem proſcripſit — *Non ſolum vitam, ſed etiam bona temporalia, quorum jactura eſset damnum graviſſimum, licitum eſt defenſione occiſiva defendere. Fatemur rarius licitum eſse Eccleſiaſticis. Si tamen aliquando contingat futurum tale malum, ideſt graviſſimum damnum, etiam ipſis licitum erit bona iſta cum occiſione furis defendere* — Et reipſa, cum ſcriptum ſit Exodi 22. v.2.. & 3.— *Si effringens fur domum, ſive ſuffodiens fuerit inventus, et accepto vulnere*

*nere mortuus fuerit, percuſsor non erit reus ſanguinis. Quod ſi orto ſole hoc fecerit, homicidium perpetravit, et ipſe morietur* —, planum videtur, quod Deus id quidem permiſit, quando præſumi poteſt furem non ſolum furari, ſed etiam velle occidere, ſicuti præſumitur de fure nocturno; non autem, quando id præſumi nequit, ſed unice timetur amiſſio rerum temporalium, quod contingit in fure diurno — *Quia poterat diſcernere* (ut appoſite cap. 3. Extra *de homicidio*) *quod ad furandum, non ad occidendum veniſſet, et ideo non debet occidi. Hoc etiam in antiquis legibus ſecularibus* (*quibus iſta eſt antiquior*) *invenitur, impune ſcilicet occidi nocturnum furem quoquo modo; diurnum autem, ſi ſe telo defenderit: jam enim plus eſt quam fur* —. Hoc idem perſpicue docuit S. Auguſtinus lib. 1. de libero arbitrio cap. 5. — *Quomodo apud divinam providentiam liberi erunt, qui pro his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt?* — Scriptum quidem eſt ex Pœnitentiali Romano cap. 2 Extra *de homicidio* — *Interfeciſti furem aut latronem, ubi comprehendi poteras abſque occiſione: quia ad imaginem Dei creatus eſt, quadraginta dies non intres Eccleſiam, et lanea veſte indutus ab eſcis, et potibus .... Si autem ſine odii meditatione, te tuaque liberando, hujuſmodi Diaboli membra interfeciſti* (*ſecundum indulgentiam dico, propter imaginem Dei*) *ſi aliquid jejunare volueris, bonum eſt tibi* —. Sed verba hæc — *Te tuaque liberando* — copulative intelligenda ſunt, non accipienda disjunctive, ut monet Panormitanus ſuper hoc cap. inquiens — *Singulariter textus ibi* — *TE TUAQUE LIBERANDO* —: *quod tunc quis excuſatur ab occiſione furis, etiam nocturni, quando fecit, ut liberaret ſe et ſua. Ergo pro rebus tantum liberandis non licet occidere furem etiam nocturnum; nam iſta ponuntur hic copulative. Non ſufficit ergo altera pars* —. Firmum igitur teneas ſententiam negantem plauſibiliorem eſſe, & merito præferendam; æquitas enim non patitur, quod pro conſervatione rerum temporalium, quæ ſunt ordinis inferioris, & quæ mille modis reparari poſſunt, adimatur proximo bonum ordinis ſuperioris, & per ſe irreparabile, ſicuti eſt hominis vita. Merito ideo Fagnanus ſuper capite *Interfeciſti* nunc recitato — *Secundum Canones in foro ſaltem poenitentiali, et quoad Deum, abſolute credimus non poſſe Laicum ſine peccato occidere ſpoliatorem* —.

Quid multa? Impræſentiarum Theologo amplius non licet aliter opinari, quod ſic oſtendo. Benedictus XIV. in ſua Conſtitutione *Deteſtabilem* data quarto Idus Novembris an. 1752. quinque propoſitiones improbavit reſpicientes Duellum, quarum prima erat hujuſmodi — *Vir militaris, qui, niſi offerat, vel acceptet duellum tamquam formidoloſus, timidus, abjectus, et ad officia militaria ineptus haberetur, indeque officio, quo ſe ſuoſque ſuſtentat, privaretur; vel promotionis, alias ſibi debitæ ac promeritæ, ſpe perpetuo carere deberet, culpa & poena vacaret, ſive offerat, ſive acceptet duellum* —: quarum quarta ita erat concepta — *Licitum eſt in ſtatu hominis naturali, acceptare, et offerre duellum, ad ſervandas cum honore*

nore

Digitized by Google

*nore fortunas, quando alio remedio earum jactura propulſari nequit* —. Pergo nunc. Damnatum ab Eccleſia eſt adſerere, acceptari licite poſſe duellum, ne quis privetur officio, quo ſe ſuoſque ſuſtentat: vel ut ſervet quis cum honore fortunas, etſi earum jactura alio modo populſari nequeat: & hoc, ut reor, quia duellum acceptans exponit ſe periculo occidendi provocantem. Hic certe ſermo eſt de rebus temporalibus magni momenti, de officio nempe viri militaris, cujus ſolius emolumento ſibi ſuæque familiæ providet: de bonis fortunæ, quarum jactura aliter impediri nequit. Si igitur hiſce omnibus non obſtantibus non poteſt quis licite, & ſine culpa exponere ſe periculo occidendi hominem: a fortiori non poterit ipſum licite occidere, ut eadem bona fortunæ ſervet, vel de manu latronis eripiat. Conſequentia iſthæc meo ſaltim judicio ſponte fluit; plus enim eſt occidere, quam ſe exponere periculo occidendi. Si ergo quod minus eſt non licet, a fortiori non licebit quod eſt majus. Hæc tamen dicta ſint ſalvo meliori judicio.

TER-

Digitized by Google

# TERTIUS ARTICULUS primæ Conſiderationis eſt demonſtrativus temporalis damnificationis, & dividitur in Titulos 33.

Tertius Articulus temporalis damnificationis demonſtrativus in ſe complectitur tam honorem & famam, quam res temporales ſub Titulis triginta tribus, quorum quilibet ſuas habet quæſtiones.

## Primus titulus de contumelia, ſeu convicio, & habet unam quæſtionem, ſeu unum Dubium.

Utrum dicens contumeliam alicui, ſcilicet in facie, vocando eum latronem, flagitioſum, & hujuſmodi: vel convicium dicens, ſicuti faciunt qui alicui injurioſe dicunt, eum eſſe claudum, vel cæcum, & hujuſmodi: teneatur ad reſtitutionem honoris?

Reſpondeo ſecundum Nicolaum de Lira, quod ſic, ſcilicet dicendo culpam ſuam per ſe, vel per interpoſitam perſonam, aut exhibendo ſigna æquipollentia: & cum hoc concordat Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. Excipiuntur Prælatus, Paterfamilias, Dominus, & hujuſmodi, qui ſubditis cauſa correctionis poſſunt talia dicere, nec tenentur petere veniam ſecundum Auguſtinum in Regula, ſi excedant modum, dummodo exceſſus non ſit nimius. Si tamen conviciatus, vel contumelia affectus oſtendat contumeliatori ſigna dilectionis, puta rideat cum eo, & hujuſmodi, non credo, quod tunc teneatur petere veniam, quia talia ſigna evincunt injuriam fuiſſe remiſſam. Inſtitut. *de injuriis* in fine, & 23. q. 4. cap. *Si illic*; niſi ſigna illa eſſent ſolius neceſ-

neceſſitatis, quia in hoc caſu conviciator adhuc teneretur veniam petere.

(21) Contumelia definiri poteſt injuſta inhonoratio perſonæ præſentis, læſio videlicet honoris alterius ſine juſta cauſa coram eo facta ſive dictis, ſive factis; quapropter primario, & per ſe ſita eſt in verbis, aut factis in faciem alterius. Si quæ proximo objectas ſunt peccata, ut ſi dicas: tu es fur, mœchus &c. dicitur contumelia. Si defectus ſunt naturales, ut ſi dicas: tu es cœcus, gibbus, claudus &c., dicitur convicium. Si vero in memoriam ei revoces vel indigentiam præteritam, vel beneficia ipſi præſtita, dicitur improperium. Convicium ergo differt a contumelia, uti oſtendunt Alexander de Ales in ſumma part. 2. q. 145. membro primo, & Aſteſanus lib. 2. tit. 14. art. 1. *Circa ſecundum*. *Contumelia*, (inquit Alenſis) *cum proprie dicitur, differt a convicio; convicium enim dicitur quando improperatur quaſi culpa, ut ſi dicatur alicui, quod ſit de illegitimo matrimonio natus: non enim hoc eſt vitium illius, licet ſit vitium parentum; contumelia vero, cum culpa imponitur..... Vel convicium dicitur a materia, eo quod vitium imponitur, vel quaſi vitium; contumelia vero a motivo, eo quod cum tumore quodam aggreditur* –. Ut in pluribus tamen contumelia, & convicium pro eodem ſumuntur a Theologis. Contumelia peccatum mortale eſt in genere ſuo, ſicuti probant ibidem Alenſis, & Aſteſanus, S. Thomas inſuper 2. 2. q. 72. art. 1. inquiens – *Nihil meretur poenam æternam inferni niſi peccatum mortale. Sed convitium vel contumelia meretur poenam inferni ſecundum illud Matth. 5. qui dixerit fratri ſuo fatue, reus erit gehennæ ignis. Ergo convitium vel contumelia eſt peccatum mortale* –. Verum id non eſt in toto genere: quoniam nedum veniale poteſt fieri ex levitate materiæ, ex levitate animi, & ex imperfecta advertentia; ſed – *in peccatis verborum maxime conſiderandum videtur, ex quo affectu aliquis proferat verba* –, ſicuti ſcribit Aſteſanus citatus *circa tertium*: & iccirco merito ipſe ſubdit – *Si vero aliquis verbum convicii, vel contumeliæ dixerit alteri, non tamen animo dehonorandi, ſed forte propter correctionem, vel propter aliquid hujuſmodi, non dicit convicium vel contumeliam formaliter per ſe, ſed per accidens et materialiter, inquantum ſcilicet dicitur illud, quod poteſt eſſe, convicium vel contumelia. Unde hoc poteſt eſſe quandoque abſque omni peccato. Unde Dominus dixit Apoſtolis Lucae 24. O ſtulti, et tardi corde etc.*

Author loquitur de eo, qui animo conviciandi verba profert inhonorantia proximum. Quum hic injuſte lædat honorem alterius, ſive id fiat coram aliis, ſive fit coram ipſo ſolo, dubio procul tenetur ad reſtitutionem: quia contumelia parit imminutionem dignitatis, dolorem inſuper, & mœrorem, quæ omnia compenſanda ſunt. Et iccirco Chriſtus Matth. 5. v. 23. 24. ſubdit –

dit — *Si ergo offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te; relinque ibi munus tuum ante altare; & vade prius reconciliari fratri tuo* —. Opportune pariter S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 2. §. 3. — Quando igitur quis hoc facit animo injuriandi, ultra offenſam mortalem tenetur ſatisfacere proximo ſic læſo, & placare ipſum læſum quantum poteſt petendo veniam, vel alio modo: & hoc in privato, vel publico ſecundum quod ipſe privatim vel publice contumeliam intulit. Nam ſi in publico contumeliam intulit, & contumeliatus hoc exigit, ut in publico veniam petat, tenetur ad hoc. Et ſi in ipſa contumelia aliquid criminale falſo expreſſit, tenetur coram illis, qui audierunt, exprimere, ſe falſum dixiſſe. Ubi peccatum ortum fuerit, ibi moriatur 2. q. 1. cap. *Si peccaverit* —. Hactenus S. Antoninus.

Excipit Author Prælatos, & hoc idem docuit S. Antoninus ibidem ſcribens —. *Verum ſi Prælatus ſubdito, Pater filio, Vir uxori, Magiſter diſcipulo, Dominus ſervo dicit verba contumelioſa, hoc faciens ex correctione, non tenetur petere veniam a tali ſecundum Auguſtinum in Regula dicentem de Prælatis. Si etiam ipſi modum vos exceſſiſſe ſentitis, non a vobis exigitur, ut a vobis ſubditis veniam poſtuletis &c. Sed ſi hoc facerent multum injurioſe, & livore vindictæ, tunc tenerentur Prælati ſubdito petere veniam, & reconciliare læſum ſecundum Raymundum* —. Placet proferre ipſa Auguſtini verba in Regula ad ſervos Dei num. 10. — *Quando autem neceſſitas diſciplinæ in moribus coercendis dicere vos verba dura compellit, ſi etiam ipſi modum vos exceſſiſſe ſentitis, non a vobis exigitur, ut a vobis ſubditis veniam poſtuletis, ne apud eos, quos oportet eſſe ſubjectos, dum nimium ſervatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Sed tamen petenda eſt venia ab omnium Domino, qui novit etiam eos, quos plus juſto forte corripitis, quanta benevolentia diligatis* —. Idem repetit Epiſt. 211., alias 109. quæ eſt ad Monachas, ſeu ad Sanctimoniales, num. 14. *Proinde vobis a verbis durioribus parcite: quæ ſi emiſſa fuerint ex ore veſtro, non pigeat ex ipſo ore proferre medicamenta, ex quo facta ſunt vulnera. Quando autem neceſſitas diſciplinæ minoribus coercendis dicere vos verba dura compellit, ſi etiam in ipſis modum vos exceſſiſſe ſentitis, non a vobis exigitur, ut ab eis veniam poſtuletis, ne apud eas, quas oportet eſſe ſubjectas, dum nimia ſervatur humilitas, regendi frangatur auctoritas: ſed tamen petenda eſt venia ab omnium Domino, qui novit etiam eas, quas plus juſto forte corripitis, quanta benevolentia diligatis* —.

Subdit Author, quod, ſi contumelia affectus ſemel opere remiſit injuriam, contumeliator non amplius tenetur ad petendam veniam: & idem tenuit S. Antoninus loco ſupra laudato inquiens —. *Verum ſi contumeliam recipiens in verbis, poſt contumeliam ſi domeſtice converſatur cum contumeliante, & familiariter, videtur oſtendere remiſiſſe injuriam, & reconciliatum fore: & conſequenter non teneri alias ad petendam veniam ſecundum Durandum in Summa* —. Ad hoc probandum



Digitized by Google

dum aptiſſimæ ſunt leges ab Authore indicatæ; ſcriptum enim eſt Inſtitut. *de injuriis* §. 12. — *Hæc actio diſſimulatione abolетur: & ideo, ſi quis injuriam dereliquerit, hoc eſt ſtatim paſſus ad animum ſuum non revocaverit, poſtea ex poenitentia remiſſam injuriam non poterit recolere* —. Et cap. *Si illic* 23. q. 4. *Si illic, ubi hæc acta ſunt, præſentibus utriſque conſtiterit, et ſatisfeciſſe Stephanum, et ſupplicatione ſuſcepta eum, qui male tractatus eſt, ignoviſſe, ſemel in ablatione remiſſa punitio recidivo dolore non debet iterari: divinæ ſcilicet imitatione clementiae, quae dimiſſa peccata in ultionem redire non patitur* —. Concinit Gloſſa ſup. cap. *Plerumque* ver. *Nec reconciliata* Extra *de donationibus inter virum et uxorem*, loquens de uxore, quam poſt fornicationem, ſeu adulterium maritus ſibi reconciliaverat cognoſcens eam carnaliter, vel alio modo ei remittens injuriam —. *Sed ſi reconciliata fuerit, poſtea illam fornicationem objicere non poterit: quia ei remiſit hoc, quod ei licet ſecundum Evangelicam veritatem: ſupra DE IVRE IVRANDO cap. QVEMADMODVM, et 32. q. 1. cap. QVOD AVTEM, et cap. NON ERIT: et quia mores illius jam comprobavit ff. DE ADVLTERIIS L. SI VXOR in fine, et 32. q. 5. cap. HORRENDVS, niſi poſtea fornicetur* —. Super hac re aptiſſima eſt L. *Si uxor* ff. *ad legem Juliam de adulteriis* hic a Gloſſa indicata — *Sed et ſi qua repudiata, mox reducta ſit, non quaſi eodem matrimonio durante, ſed quaſi alio interpoſito: videndum eſt an ex delicto, quod in priore matrimonio admiſit, accuſari poſſit? Et puto non poſſe: abolevit enim prioris matrimonii delicta, reducendo eam. Idem dicendum eſt, ſi ſtupri velit accuſare eam, quam poſtea duxit uxorem: ſero enim accuſat mores, quos uxorem ducendo probavit* —.

Nota quod, licet Panormitanus in cap. *Olim* Extra *de injuriis* doceat, quod ſalutatio eſt ſignum reconciliationis, ſicuti ejuſdem ſubtractio ſignum eſt inimicitiæ, ut notat Gloſsa in cap. *Cum Hadrianus* diſt. *63.*, & in cap. *Cum ſuper Abbatia* Extra *de Officio & poteſtate Judiciis Delegati*: tamen ex hoc non ſequitur, quod conviciatus aliquando non teneatur loqui cum adverſario. Ratio eſt, quia adhuc poteſt ſibi providere, provocando convicianteın a principio injuriæ ad judicium: vel ei dicendo, & ſi tecum loquar propter præceptum Dei, injuriam tamen tibi non remitto.

Et tunc in foro conſcientiæ reus adhuc tenetur petere veniam: quia per ſalutationem, & hujuſmodi, poſt provocationem ad judicium, vel poſt proteſtationem, non aboletur injuria ſecundum Hoſtienſem in dicto cap. *Olim.*

(22) Dum

Digitized by Google

(22) Dum audis injuriam non aboleri per ſalutationem; & hujuſmodi: præ oculis habeas quod ſcripſit S. Antoninus loco jam pluſquam ſemel proxime laudato — *Item nota ſecundum Petrum de Tarantaſio, quod ex injuriis illatis quibuſcumque modis ſolent tria oriri per ordinem in laeſo. Primum eſt rancor in affectu. Secundum eſt ſignum rancoris in affectu. Tertium eſt actio contra injuriantem. Primum, ſcilicet rancorem ſtatim debet dimittere injurianti, ideſt numquam habere. Secundum debet dimittere, cum injurians petit veniam: et iſta dimiſſio exterior non eſt aliud niſi quaedam acceptio ſatisfactionis, vel indicatio reconciliationis verbo vel facto expreſſa: ut cum offenſus offendentem relevat genuflexum ante eum, vel cum dicit, Dominus parcat vobis etc. Tertium autem, ideſt actionem injuriarum non tenetur dimittere niſi facta ſatisfactione* —. Fallitur quiſquis putat, teneri nos quaſcumque injurias & contumelias ſuſtinere, nunquam eas repellere, numquam de iiſdem congruam exigere ſatisfactionem. Secus docuerunt Alenſis jam citatus membro 3. Aſtenſis item laudatus *ad quartum*, & S. Thomas 2. 2. q.72. art.3. ſcribens —. Dicendum quod ſicut patientia neceſſaria eſt in his, quæ contra nos fiunt, ita etiam in his, quæ contra nos dicuntur. Præcepta autem patientiæ in his, quæ contra nos fiunt ſunt in præparatione animi habenda, ſicut Auguſtinus in Libro de ſermone Domini in monte exponit illud præceptum Domini: Si quis percuſſerit te in una maxilla, præbe ei & aliam: ut ſcilicet homo ſit paratus hoc facere, ſi opus fuerit. Non tamen ſemper tenetur facere actu, quia nec ipſe Dominus hoc fecit, ſed cum ſuſcepiſſet alapam dixit: quid me cædis? ut habetur Joannis 18. Et ideo etiam circa verba contumelioſa, quæ contra nos dicuntur, eſt idem intelligendum. Tenemur enim habere animum paratum ad contumelias tolerandas, ſi expediens fuerit. Quandoque tamen oportet, ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo. Primo quidem propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet ſecundum illud Proverb. 27. — *Reſponde ſtulte juxta ſtultitiam ſuam, ne ſibi ſapiens videatur* —. Alio modo propter bonum multorum, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas. Unde Gregorius dicit ſuper Ezechielem Homilia nona — Hi, quorum vita in exemplo imitationis eſt poſita, debent, ſi poſſunt, detrahentium ſibi verba compeſcere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant — Hactenus S. Thomas. Jure igitur Gabriel Antoine de virtutibus Theologicis part. 3. cap.2. art. 2. q. 2. reſp. 2. — Non tenemur remittere inimico ſatisfactionem debitam ut honoris, famæ, vel pecuniæ: quia eam exigere non eſt vindicta, ſed uſus juris. Quippe injuriam paſſus habet jus ad congruam ſatisfactionem, & jus illud per legitimam poteſtatem proſequendi. Et hæc compenſatio, ſeu reſtitutio non expetitur quatenus eſt malum inimici, ſed quatenus in noſtrum bonum juſtum cedit, & malum noſtrum injuſtum expellit. Immo adverſus illum licet inſtituere actio-



Digitized by Google

nem tum civilem, tum criminalem, modo id non fiat ex odio, vindicta, vel alio pravo fine. Civilem quidem, ut damnum illatum compenſet, vel pro injuria ſatisfaciat. Criminalem vero ex amore publicæ juſtitiæ, ne aliis noceat, vel ne impunita maneant crimina cum Reipublicæ damno —. Hæc ille. Hactenus in jure; praxim enim quod ſpectat, fateor, & ingenue fateor, modum hunc non vacare periculis; præſtare iccirco ſæpe conſilium Apoſtoli ad Rom. 12. v. 21. — *Noli vinci a malo, ſed vince in bono malum*.

Nota etiam, quod actio injuriarum expirat poſt annm L. *Si non convicii conſilio*. C. *de injuriis*. Poſſet tamen poſt annum agere indirecte per viam exceptionis, puta ſi conviciator eſſet excommunicatus, ne abſolveretur ſecundum Hoſtienſem, & Panormitanum in cap. *Ea noſcitur* Extra *de ſententia Excommunicationis*.

(23) Actio injuriarum eſt jus, quod habet injuriatus procedendi in judicio contra injuriatorem, quodque injuriato competit etiam propter contumeliam, uti ſcriptum eſt Inſtitut. *de injuriis* ſub initio — *Generaliter injuria dicitur omne, quod non jure fit; ſpecialiter alias contumelia, quae a contemnendo dicta eſt* —. Actio injuriarum competit ei, qui injuriam paſſus eſt, ut notatur Inſtitut. *de injuriis* in Rubrica, contra eum, qui intulit injuriam, vel interri procuravit. Inſtitut. eo titulo §. *Non ſolum*, & pulſavit, vel verberavit, vel famoſum carmen ad alterius contumeliam ſcripſit, vel quoquo modo injuria aliquem affecit Inſtitut. eod. titulo §. *Injuria*. Ita Vocabularium utriuſque juris ver. *Actio injuriarum*. Immo non ſolum injuriato, ſed etiam illi, ad quem injuriatus ſpectat, ſeu ſub cujus poteſtate eſt; Patri ſcilicet pro filio, ſponſo pro ſponſa, viro pro uxore; Hæredi pro defuncto, Epiſcopo pro Clericis, Domino pro ſervis, Abbati pro Monachis &c. ſicuti probat Author in Angelica ver. *Injuria* num. 3. Hujuſmodi actio tribus præſertim modis tollitur, dimittitur, & aboletur. Primo, remiſſione. Secundo, diſſimulatione. Tertio, ſalutatione, deoſculatione, comeſtione, aliiſque ſimilibus ſignis exhibitis animo remittendi injuriam. Author hic loquitur de ſecundo, & in probationem adducit L. *Si non convicii* C. *de injuriis*, in qua ſcriptum eſt — *Si autem in rixam inconſulto calore prolapſus homicidii convicium objeciſti, et ex eo die annus exceſſit: cum injuriarum actio unnuo tempore præſcripta ſit, ob injuriae admiſſum conveniri non poteſt* — Hæc lex ſummæ æquitati innixa eſt; ſi enim injuriatus per annum tacuit, diſſimulavit, nihil molitus eſt, nemo eſt qui non judicet ipſum ſponte ceſſiſſe juri ſuo. & nolle amplius proſequi actionem ipſi competentem. Nam, ſi ſecus ageret, quiſque judicaret eundem tunc agere non amore juſtitiæ, ſed ex odio, & ex vindicta. Excipiuntur tamen ii caſus, in quibus eo anno pruden-

denter quis non poteſt agere; tunc enim injuriatus habet jus vel agendi poſt annum, vel ſaltem petendi reſtitutionem in integrum, ſi actio injuriatum jam fuerat incepta.

Sequitur aliena manu.

Utrum deriſio ſit ſpeciale peccatum?

Reſpondeo ſecundum Thomam 2. 2. q. 75. art. 1. dicendo, quod, ſicut aliquis conviciando intendit deprimere honorem conviciati. & detrahendo diminuere famam, & ſuſurrando amicitiam tollere, ita irridendo intendit, quod ille, qui irridetur, erubeſcat. Et quia hic finis diſtinctus eſt ab aliis, iccirco etiam peccatum deriſionis diſtinguitur ab aliis peccatis.

(24) Deriſio, ſeu irriſio eſt quædam ſpecies contumeliæ, quæ ſuper hanc addit jocum, & ludum, & propter hoc magis lædit hominem irriſum. De irriſione agit Alexander de Ales part. 2. q. 150. per totam, ejuſque ideam nobis exhibet Membro primo ſcribens — *Dicendum, quod aliquando deriſio accipitur communiter pro quacumque inſultatione deſpectiva, prout dicit Beda, quod deriſor eſt qui proximorum ſimplicitati improbus inſultat, et ſecundum hoc commune poteſt eſſe ad ſubſannationem. Alio vero modo deriſio eſt vox confuſa laetitiae inſultationem immoderata hilaritate denuncians: ſubſannatio vero eſt quae fit naſo contracto, vel rugato, ſicut habetur ſuper illud: et Dominus ſubſannabit eos. Et ſecundum hoc dividitur deriſio contra ſubſannationem* —.

Deriſio ex genere ſuo peccatum mortale eſt, non autem in toto genere; eſt enim ex iis, de quibus ſcribit S. Thomas 2. 2. q. 65. art. 1. in Concluſione — *Peccata verborum præcipue penſanda ſunt ſecundum intentionem proferentis* —. Egregie iccirco Alenſis ibidem Membro ſecundo — *Dicendum, quod poteſt eſſe mortale, & poteſt eſſe veniale. Mortale prout dicitur, quod abominatio eſt Domini omnis illuſor, & illuſor ibi accipitur pro deriſore. Et dicit Gloſſa, illuſor eſt, qui promiſſa Dei quaſi parva deſpicit, & iram diſtrictæ rationis quaſi nullam ſpernit: nec non & ille, qui proximorum ſimplicitati vel paupertati improbus inſultat. Aliquando autem ex levitate fit deriſio, nec tamen vellet malum proximo, aut nocumentum: & ſecundum hoc poteſt eſſe veniale peccatum. Et ſecundum hoc poteſt intelligi illud: qui annuit oculis dabit dolorem, ideſt cauſam doloris ad minus poenitentialis, vel illius, qui reſpondet peccato veniali vel mortali communiter* —. Concinit S. Thomas ibidem art. 2.

art. 2. in Concluſione, ſeu Reſponſione ſcribens – *Poteſt autem aliquod malum accipi ut parvum dupliciter. Uno modo ſecundum ſe, alio modo ratione perſonæ. Cum autem aliquis alterius perſonæ malum vel defectum in ludum, vel in riſum ponit quia ſecundum ſe parvum malum eſt, eſt veniale, & leve peccatum ſecundum ſuum genus. Cum autem accipitur quaſi parvum ratione perſonæ, ſicut defectus puerorum, & ſtultorum parum ponderare ſolemus: ſic aliquem illudere, vel irridere eſt eum omnino parvipendere, et eum tam vilem æſtimare, ut de ejus malo non ſit curandum, ſed ſit quaſi pro ludo habendum; et ſic deriſio eſt peccatum mortale, et gravius quam contumelia, quae ſimiliter eſt in manifeſto, quia contumelioſus videtur accipere malum alterius ſerioſe, illuſor autem in ludum, et ita videtur eſſe major contemptus, et dehonoratio. Et ſecundum hoc illuſio eſt grave peccatum, et tanto gravius, quanto major reverentia debetur perſonae, quae illuditur.*

Irriſiones omnibus graviores ſunt primo illæ, quæ feruntur in Deum, & hæ omnium graviſſimæ ſunt veræ blaſphemiæ. Secundo, quæ feruntur in Patrem, & Matrem; & hæ leves duntaxat ſunt ex imperfecta advertentia. Tertio, quæ ad jocum traducunt viros juſtos propter ipſorum juſtitiam; & hæc irriſio audientes retrahit a bene operando; plerumque enim verentur, ne & ipſi vertantur in ludum.

SECUN-

# SEcundus Titulus de detractione, & continet quatuor quæſtiones, ſeu Dubia.

Primum Dubium. Utrum detractor falſo infamans alterum de aliquo crimine, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Aſtenſem in ſumma lib. 2. tit. 15. quod, ſive hoc fiat verbis apertis, ſive artificioſis, ſive cantilenis, ſive ſcriptis tam componendo quam inventa publicando, ſive nutibus, a ut quocumque alio modo, tenetur. Primo de omni damno, quod ſequitur ex tali infamatione. Secundo, tenetur reſtituere famam: videlicet qui in publico dixit, in publico retractet: &, ſi in diverſis locis, per loca diverſa: &, ſi diverſis perſonis coram iiſdem ſecundum quod deliquit: etiamſi ex hoc ipſe remanere deberet infamatus, & mendax reputari. Caveat tamen, ne dicat iterum factum, ſed unice inquiat: de eo, quo infamavi talem, dico meam culpam: quia mendaciter locutus ſum, ne quæſo credatis, & hujuſmodi. Tertio, tenetur petere veniam infamato; vel, ſi per ſe id non audet, ſaltem per interpoſitam perſonam: & inſuper ſecum componere de injuria. Concordant Ricardus in 4. diſt. 15. art. 5. q. 3., Scotus in 4. diſt. 15. q. 4., & Alexander de Alexandria.

(25) DEfinitur ſic detractio: *alienæ famæ per occulta verba denigratio. Vel ſic: Detractio eſt mali ſeminatio occulte in injuriam proximi. Alii vero diffiniunt ſic: Detrahere eſt obloqui abſenti, & doloſe mordere.* Ita Alexander de Ales part. 2. q. 146. Membro primo – Detractio eſt alienæ famæ per occulta verba denigratio, & dicitur occulta reſpectu ejus, de quo dicuntur, quia in ejus abſentia proferuntur: & differt ſecundum Thomam 2. 2. q. 73. a contumelia, quia contumelioſus per aperta verba dicta in faciem intendit derogare honori; detractor vero in abſentia proximi ejus famam lædit. Et ſic patet, quod in modo, quia iſte occulte, ille aperte: & in fine differt, quia iſte famam, ille honorem auferre intendit –.

Digitized by Google

dit — . Ita Author ipſe in Angelica ver. *Detractio* ſub initio. Aptiſſima ſunt Scoti verba ſuper caſu propoſito. Ea igitur accipe — In primo dico, quod oportet reſtituere famam retractando verbum ſuum, vel quod ſibi impoſuit: quia alias non ſervat juſtitiam in reddendo proximo quod ſuum eſt - Et ſi objicitur, quod magis tenetur zelare pro fama ſua, quam aliena; non autem poſſet illi reddere famam ſuam retractando verbum ſuum, niſi ſe ipſum diffamaret. Reſpondeo (ſicut dixi in prima quæſtione de reſtitutione in reſponſione ad ſextum argumentum) quod bona corporis, vel exteriora non ſunt diligenda niſi in ordine ad bonum animæ, & ad Deum; hoc autem non eſt niſi ut poſſint juſte competere illi, qui diligit. Et ideo ſicut ibi de dilectione vitæ propriæ corporalis dixi, ita dico hic de dilectione famæ propriæ: quod quilibet, cui poteſt juſte competere in ſe fama, debet magis diligere illam, quam alteri, cui non poteſt juſte competere. Sed ſi ſibi non poteſt competere niſi injuſte, alteri autem juſte, magis debet diligere alteri, cui juſte convenit, quam ſibi, cui injuſte. Et ita eſt hic. Accuſato enim de falſo crimine juſte convenit fama, accuſanti autem poſt talem accuſationem injuſte, non ſolum quia mentitus eſt in accuſando, ſed etiam quia publice mentitus eſt, in quo ſufficienter, & judicabiliter ſe diffamavit. Et ideo poſtea directe oſtendens innocentiam alterius, cui tenetur in hoc, & indirecte nocentiam ſui, non tunc proprie diffamat ſe, ſed tunc amovet falſam laudem, qua ipſe poſt accuſationem mendacem indignus eſt —. Hæc Scotus.

Scribit Author hunc detractorem teneri ad omne damnum inde ſecutum: & quidem jure, quoniam ſi contingeret, quod propter tuam detractionem quis obtinere non poſſet Officium, vel Beneficium, quod aliter conſecutus fuiſſet, tenereris certe de damno illato ſecundum arbitrium boni viri. Idem dicas, ſi virgo infamata non poſſet amplius nubere eo modo, quo probabiliter ſine tali detractione nupſiſſet. Ratio eſt, quia injuſte egiſti contra proximum tuum, & detractio tua in cauſa eſt, cur innocens damnum patitur — *Si culpa tua* (ad rem Gregorius IX. Extra *de injuriis, & damno dato* cap. 9.) *datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem forte tuliſti .... jure ſuper his ſatisfacere te oportet* —.

*Detractio ſic diffinitur*: (inquit S. Bonaventura part. 1. Centiloquii ſect. 13.) *Detractio eſt alienæ famæ denigratio. Committitur autem ſex modis: ſcilicet cum bonum negamus, quod novimus eſſe factum: vel cum tacemus, ne fiat aliis manifeſtum: vel cum pervertimus dicendo illud mala intentione eſſe factum: item malum occultum revelando in caſu non conceſſo: vel augmentando, dicendo majus eſſe, quam ſit: vel adinveniendo mendaciter malum, quod factum non fuit. Tenetur autem detractor ad reſtitutionem bonæ famæ, quam abſtulit. Majus enim bonum aufert detractor quam raptor: & non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum* —.

Quando autem detractio mortalis ſit, aut venialis, habes ex eodem S. Bona-

S. Bonaventura, qui in Opuſculo, cui tit. *Speculum animæ*, cap. 1. ita ſcribit —. *Secundus ramus invidiæ principalis eſt dolor in proſperitate proximi, quod, ut ſupra dictum eſt de invidia, habet rationem mortalis. Ex hoc autem ramo procedit detractionis ſolium, quo proximi proſperitas impeditur. Hoc autem ſolium principaliter in duo dividitur: quia qui detrahit, aut hoc eſt ejus bonum diminuendo, aut eidem malum imponendo. Primum ſolium quatuor ſolia ſecum habet, ſcilicet bonum proximi tacere, diminuere, pervertere, & negare. Ex ſecundo autem ramo hæc ſolia procedunt, malum libenter audire, diſſimulare, confirmare, aggravare, addere, revelare, & imponere, de quibus videamus qualiter habeant rationem mortalis. Sciendum igitur, quod detractio eſt denigratio famæ alterius per verba occulta. Unde Salomon dicit: (Eccleſiaſtes 10. v. 11.) Si mordeat ſerpens in ſilentio, nihil eo minus habet, qui occulte detrahit. Habet autem ex ſuo genere rationem mortalis; Cum enim ſecundum Sapientem (Prov. 22. v. 1.) melius ſit bonum nomen, quam divitiæ multæ: ſicut mortale eſt rem invito Domino pertractare, & qui hoc facit ad reſtitutionem tenetur: ſic etiam alterius famam auferre mortale eſt, & qui hoc facit ad reſtitutionem tenetur. Hoc autem circa iſtam materiam eſt advertendum, quod quodlibet breve verbum, quod in derogationem vergit alterius, non eſt judicandum mortale, maxime cum ex habitu invidiæ non procedit. Ad detractionem autem ſpectat, ut dictum eſt, bonum proximi tacere, quod quidem mortale eſt, cum videt aliquis injuſte famam alterius deperire. Sicut enim in arcta neceſſitate tenemur proximo in rebus temporalibus providere; ſic etiam & in neceſſitate famam ejus ſervare. Diminuere bonum alterius eſt, cum aliquis commendationem alterius audire non poteſt, ſed eum diminuit, quod charitati opponitur: & ſi ex ramo invidiæ procedat, mortale eſt. Quandoque tamen abſque mortali contingit, ut cum quis audit commendari indignum, vel ultra merita, & ex hoc poteſt oriri aliqua deceptio, tunc non habet rationem peccati. Convertere bonum alterius eſt, bonum, quod negari non poteſt, mala intentione factum aſſerere. Unde de tali dicitur: (Eccleſiaſtici 11. v. 33.) Bona in mala convertens inſidiatur, & in electis ponit maculam. Quod manifeſte habet rationem mortalis, cum procedit ex invidia. Tamen cum hoc ex falſo procedit judicio, de hoc quandoque judicari debet, ſicut de malo judicio eſt dictum. Cum quis bonum pervertit alterius cum mendacio, tale mendacium, cum ſit pernicioſum, rationem mortalis ſortitur. Item negare bonum alterius, quod ſcitur ineſſe, pertinet ad detractionem mortalem. Item de alio malum libenter audire, vel occaſionem detractionis præſtare, vel diſſimulare cum poſſit corrigere, eſt mortale. Unde Apoſtolus: (ad Rom. 1. v. 30.) Detractores Deo odibiles eſſe commemorat, dignos morte judicat, non ſolum autem facientes, ſed conſentientes. Tamen circa hoc debemus dicere, quod, ſi aliquis detractionem alterius audiat, & non ex invidia, ſed ex verecundia, vel aliquo timore humano ne offendat aliquem, non eſt judicandum mortale: niſi ſit talis perſona, quod ex officio corrigere debeat, cui poſſet cedere in mortale.*



Digitized by Google

*tale. Item malum auditum de aliquo confirmare, & additis circumſtantiis aggravare, vel dicto alterius addere mendaciter, vel veraciter; ad diſſamationem intendendo, eſt mortale. Multum tamen intereſt, utrum hoc procedat ex invidia, vel indiſcreto zelo juſtitiæ; quandoque enim contingit, mala aliorum facta, ex quadam indignatione, vel levitate loquendi, nec intentione diſfamandi, contra aliquem malum recitari, vel etiam aggravari, quod eſſet durum judicare mortale. Hoc tamen a pleriſque magis dicitur, quod crimen alterius etiam verum, extra correctionis ordinem, revelare, mortale eſt. Ordo autem correctionis fraternæ a Domino inſtitutus, qui ait: (Matth. 18. v. 15.) Si peccaverit in te frater, in te ideſt te ſciente, vade, & corripe eum &c. Hic etiam circa iſtam materiam eſt notandum, quod, ſi crimen alterius detegere, uni non poteſt prodeſſe, niſi ad diſſamationem, eſt contra ordinem correctionis fraternæ —.*

Notatu dignum eſt quod ſcribit S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 36. art. 3. cap. 3. huic eidem caſui reſpondens — *Videat ergo quilibet, quantum difficile ſit reſtituere ablatam famam, & quam rari reperiantur, qui hæc ſervent, & nihilominus innumeræ quotidie graviſſimæ infamiæ ſine ſatisfactione imponuntur —.*

Nota tamen ſecundum Hoſtienſem *de pœnitentiis & remiſſionibus*, ubi inquirit *Quid de accuſatoribus*, & hoc pro Regula eſt tenendum quoad injurias: videlicet quod, ſi injuriatus nollet componere cum injuriante; vel nimis gravaret eum, tunc injuriator poſſet in conſcientia tenere arbitrium Judicis pœnitentiæ. Arguitur cap. *Veniens* Extra *de jurejurando*, & cap. *Quintavallis* ibidem, & cap. 2. Extra *de Arbitris*.

(26) In utroque caſu hic expoſito injuriator injuriam compenſare paratus gravaretur injuſte. Prudenter iccirco Innocentius III. cap. *Quintavallis* hic laudato ſcribens Alatrino Epiſcopo ſuper caſu conſimili, eidem injunxit ut ſequitur — *Quintavallis noſtris auribus intimavit, quod pro offenſa, quam filiæ ipſius aliis mulieribus irrogarant, quod earum mandato pareret præſtitit juramentum: quæ tale illi ſub debito juramenti dedere mandatum, quod, ſi quando filiæ, aut uxor illius aliquod factum, vel verbum contumelioſum mulieribus illis objicerent, idem filias, & filios exhæredaret, & a ſe propriam removeret uxorem. Quocirca mandamus, quatenus, cum licitum fuerit juramentum, ſed mandatum illicitum, prædictis, ut revocent mandatum illud, injungas; alioquin eum ad mandati obſervationem illius denuncies non teneri —.*

SECUN-

Secundum Dubium. Utrum detractor, qui alium infamavit, publicando peccatum occultum ipſius, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Scotum ubi ſupra, quod, ſi revelavit peccatum occultum alicujus, non ſervato juris ordine, tenetur retractare quod dixit. Nec tamen inquiat, ſe dixiſſe falſum, ſed unice ſe ſtulte dixiſſe, & male, & inique, & hujuſmodi: ut meliori modo, quo poteſt, reſtituat famam ſine mendacio. Tenetur inſuper ſatisfacere per aliquam recompenſationem arbitrio boni viri ſecundum Ricardum ubi ſupra. Si autem ſervato ordine juris, & cauſa correctionis revelavit ei, qui poteſt prodeſſe, non peccavit, nec tenetur facere aliquam reſtitutionem.

(27) Accipe verba Scoti — De ſecundo dico, quod non tenetur retractare verbum ſuum, quod propoſuit in publico: quia hoc faciendo mentiretur, cum ſciat illud, quod propoſuit, eſſe verum, & non tenetur mentiri propter quodcumque bonum reddendum alii. Sed tenetur alio modo licito reddere ſibi famam, puta per hujuſmodi verba: non credatis eum eſſe talem; male enim dixi, & fatue dixi. Et hæc quidem vera ſunt: male dixi: fatue dixi: quia non ſervato ordine juris propoſui etiam in publico, quod non eſt verum publicum. Et perſuaſio iſta: non reputetis iſtum malum: bona eſt: quia quilibet præſumendus eſt bonus, donec probetur contrarium, juxta illud Extra *de ſcrutinio in ordine faciendo* cap. unico — *Humana fragilitas illum, quem indignum eſſe non novit, dignum debeat æſtimare* —. Sed iſte non eſt probatus malus coram iſtis. Ergo bonum eſt perſuadere eis, quod ipſi non reputent eum indignum, nec malum —. Hæc Scotus.

Tertium Dubium. Utrum negans in Judicio crimen ſibi impoſitum, ex qua negatione accuſator remanet infamatus: cum tamen verum ſit crimen, quod ipſi fuit impoſitum: teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Scotum, & Ricardum ubi ſupra, quod non: quia non tenetur peccatum ſuum in judicio confiteri antequam ſit convictus. Debet tamen per quædam verba ſobria excuſare eum dicendo: ne habeatis pro calumniato-



Digitized by Google

niatore eum, qui me accuſavit, quia forte habuit bonam intentionem, & credidit verum eſſe quod dixit. Nota tamen, quod, ſi dicit falſum eſſe quod verum eſt, peccat mortaliter ſecundum Scotum ubi ſupra. Dicat ergo: nego narrata prout narrantur, & propoſita prout proponuntur. Quod ſi Judex urgeret eum, ut diceret an verum ſit, vel non reſpondeat tali modo, ut non dicat mendacium; puta, ſufficienter reſpondi ad interrogationem; & ideo nolo aliud dicere, quia non teneor. Concordat Landulphus eadem diſt.

(28) Hunc eundem caſum exhibent Aſteſanus, ſeu Aſtenſis lib. 5. tit. 29. art 2. *Circa tertium*, & S. Bernardinus proxime laudatus cap. 2., qui ambo proferunt verba Scoti, quæ ſunt hujuſmodi – In tertio membro dico ſimiliter, quod non tenetur retractare negationem ſuam, qua negavit in publico verum crimen ſibi impoſitum: quia non tenetur quicumque ſtatim in judicio confiteri ſe reum nondum convictus. Tenetur tamen per quædam verba ſobria, ut dictum eſt in proximo articulo, reſtituere famam illi accuſanti, quem indirecte notavit de calumnia, dicendo: non habeatis eum pro calumniatore, quia credo, quod habuit bonam intentionem proponendo, vel forte ſe credidit probare intentum ſuum, & deceptus fuit. Sed ille, qui negat tale crimen verum, ſed privatum, in publico ſibi oppoſitum, numquid peccat mortaliter? Videtur quod ſic: quia mentitur mendacio pernicioſo Reipublicæ: nam Reſpublica propter ejus mendacium publicum impeditur a punitione ejus juſta: mentitur etiam perſonæ accuſanti, quia per hoc notatur de calumnia. Reſpondeo tamen. *Juſte, quod juſtum eſt, exequeris* Deuter. 16. v. 20. Non ergo Reſpublica omnia mala debet punire, ſed quæ ſunt punienda poteſt iſta Poteſtas juſte punire. Talia autem ſunt, quæ coram Judice ſæculari ſufficienter poſſunt probari. Et ideo non læditur Reſpublica, ſi divinum judicium excedat judicium ejus, ut aliqua reſerventur divino judicio, ſuper quæ non poteſt eſſe juſtum judicium Reipublicæ: quia – *homo videt ea, quæ patent, Deus autem intuetur cor* – I. Reg. 16. v. 17. Per hoc patet reſponſio ad objectionem, cum dicitur - quod eſt contra Rempublicam. Et cum dicitur, quod eſt pernicioſum contra accuſantem. Dico, quod non eſt verum, ſed ipſemet eſt ſibi pernicioſus, qui eo modo proponit, quo non deberet proponere, immo deberet non proponere. Et ideo imputet ſibi, ſi aliqua infamia ſequitur: quia ipſe eſt cauſa, non autem ille negans, quia defendit innocentiam ſuam in publico, ubi non eſt nocens, nec habendus eſt pro nocente, donec fuerit convictus.

Sed

Sed remanet difficultas, ſi peccat mentiendo pro ſe ?

Durum videtur, quod quilibet accuſatus in publico ab uno, ſtatim teneatur de neceſſitate ſalutis in publico confiteri illud, & ſic ſtatim exponere ſe patibulo in judicio ſanguinis. Sed habendo oculum non tantum ad pœnam, ſed ad honeſtum & inhoneſtum, non apparet, quod iſte honeſte, & ſecundum rectam rationem debeat confiteri coram tali Judice: quia ipſe pluſquam quicumque alius accuſans ſingularis auferret ſibi famam, nam confitenti contra ſe in judicio creditur.

Quid ergo? Cauta eſt reſponſio Juriſtarum: nego propoſita ut proponuntur, & hæc quidem ſine mendacio poſſunt dici in propoſito: quia proponuntur in publico, & ut publica, & publice probanda. Sic autem negare ea poteſt quis, ſi ſcit ea non poſſe probari in publico.

Quod ſi Judex urgeat eum, ut confiteatur propoſitum vel ut publice neget. Reſpondere poſſet, quod ipſe reſpondit ſufficienter ad accuſationem, & ſicut eſt modus Juriſperitis reſpondere, nec ab illa reſponſione vult declinare. Faciat Judex erga accuſantem quod juris eſt.

Sed numquid, ſi neget, intendens tamen negare illud ut propoſitum eſt, ſcilicet ut publicum, ſicut Sacerdos facit de confeſſo dicens, nihil mali ſcio iſtum feciſſe, quia loquitur ut in publico, audivit autem in alio foro: numquid tenetur iſte, qui negavit, de illa negatione pœnitere? Reſpondeo — *Bonarum mentium eſt culpam agnoſcere ubi culpa non eſt* diſt. 5. cap. *Ad ejus*, & intitulatur *Gregorius*. Et ideo multo magis ubi dubitatur, an ſit culpa, & qualis culpa bonæ mentis eſt culpam agnoſcere. Et ideo in tali caſu tutum eſt poſt talem negationem pœnitere indiſtincte de hoc tamquam de tali quale eſt, utpote ſub tali indiſtinctione, ſi mortale tamquam de mortali, ſi veniale tamquam de veniali — Hactenus Scotus: ex quibus verbis quiſque videt, eum arbitratum fuiſſe reum, de quo in caſu, poſſe quidem Judicem eludere, ejuſque interrogationes, non autem poſſe negare veritatem ſine peccato: quia neque in hoc, neque in alio caſu licite quis poteſt uti reſtrictione mentali. Eadem ſcripſit S. Thomas 2. 2. q. 69. art. 1. in corpore inquiens — *Si vero Judex hoc exquirat, quod non poteſt ſecundum ordinem juris, non tenetur ei accuſator reſpondere, ſed poteſt vel per appellationem, vel aliter licite ſubterfugere: mendacium tamen dicere non licet.*

Sciſcitaberis hic, quid requiritur, ut Judex dicatur interrogare ſervato ordine juris? Reſpondet S. Thomas 2. 2. q. 69. art. 2. in corpore — *Poteſt, & debet requirere Judex ſecundum ordinem juris: puta cum præceſſit infamia ſuper aliquo crimine, vel aliqua expreſſa indicia apparuerint, vel etiam cum præceſſit probatio ſemiplena* —; aſſertio videlicet unius teſtis omni exceptione majoris. Dum hæc deſiderantur, & ſola habetur accuſantis aſſertio, Judex reum ſuppoſitum nequit interrogare — *ne inde naſcantur injuriæ, unde jura naſcuntur*, ut appoſite Innocentius III. cap. *Qualiter & quando* Extra *de accuſationibus*. E contra dum hæc habentur, tenetur reus reſpondere, & veri-

Digitized by Google

& veritatem ingenue fateri: quia Judex in hoc caſu habet jus interrogandi, & exigendi veritatem ob bonum publicum. Ergo reo ineſt obligatio eam fatendi, facitque contra jus Judicis, contra auctoritatem & juſtitiam publicam, ſi eam occultet. Nam jus in Judice ad interrogandum reum, exigendamque ab eo veritatem, & obligatio in reo ad illam clare detegendam, ſunt duo correlativa, quorum unum ſine alio eſſe nequit. Jure iccirco Catechiſmus Romanus de octavo præcepto ſect. 15. -- *De reis autem, & ſontibus vult eos Deus verum confiteri, cum ex judicii formula interrogantur: eſt enim teſtimonium, ac prædicatio quædam illa confeſſio laudis, & gloriæ Dei ex ipſius Joſue ſententia, qui Achan ad veri confeſſionem adhortatus inquit Joſue 7. v. 19. Filii mi, da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas* --. Id declaratum habemus a Benedicto XIV. Conſtitut. 24. To. 3. incip. *Paterna Charitas* data Romæ die 17. Decembris 1748., ubi §. 8. docet Confeſſarios teneri admonere in carceribus detentos de obligatione aperiendæ veritatis Judicibus legitime interrogantibus -- *quodque hoc animi propoſito carentes abſolutionem Sacramentalem nullo fructu, quin potius majori animarum ſuarum damno, ſuſciperent* --.

Judex poſtmodum etiam juris ordinem ſervans præbere non poteſt reo juramentum de dicenda veritate in cauſa propria. Id vetuit Benedictus XIII. in Con. Romano tit. 13. *de Jurejurando* cap. 2. hiſce verbis -- *Reprehenſibile judicari non debet, ſi ſecundum temporum varietates, ubi id neceſſitas, vel utilitas expoſcat, conſuetudines & leges quandoque varientur humanæ. Ipſe enim Deus, & Dominus, æternus Legifer noſter ex iis, quæ veteri in Teſtamento ſtatuerat, multa poſtmodum mutavit in novo. Stylum itaque in quibuſdam Curiis ſæcularibus & Eccleſiaſticis nullo unquam jure præceptum inoleviſſe perpendimus, ut Judices, ſive eorum Notarii, aut Scribæ, Reos criminali facinore accuſatos examinaturi, juramentum ab his præſtari jubeant de veritate dicenda. Quia tamen ex hoc, quotidiana ſicuti eſt experientia compertum, nec in Fiſci favorem nec contra Reos ipſos, qui ut plurimum patrata a ſe negant delicta, utilitatis aliquid elici non ignoratur: adeo ut peculiari in hac facti contingentia nedum talia deinceps juramenta exigendi neceſſitas non adeſſe probetur; immo potius, ne illa penitus exigantur, ſacri ipſa juramenti ratio poſtulet, ac ſuadeat; hinc eſt, quod Nos, rationibus utrinque perpenſis, & quamplurimum inhærentes inſignium Tribunalium praxi, juramentum ipſum per Reos ſic criminaliter inquiſitos præſtandum, conſulto, dum uti Principales tantummodo conſtituuntur, tollendum, & ſubmovendum ducimus, prout ſacro etiam approbante Concilio præſenti hac Conſtitutione omnino tollimus, ac ſubmovemus: nec juramentum hujuſmodi ullatenus a Reis eiſdem, niſi tamen ut teſtes quoad alios examinentur, in futurum per quoſcumque Judices, & Miniſtros ſub quovis prætextu, cauſa, & quæſitio colore volumus exigatur; alias examen, ſive conſtitutum, & acta omnia nulla ſint eo ipſo, & irrita, omnique careant contra reos effectu* --.

QUAR-

Quartum Dubium. Utrum dicens ſe audiviſſe aliquod peccatum de hoc vel illo, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Scotum ubi ſupra, quod non: quia talis ex natura actus non aufert illi famam in opinione audientis, nam qui cito credit levis eſt corde, & multi multa loquuntur. Si autem ita rem narrat, quod audientes provocentur ad credendum, tenetur ad reſtitutionem ſecundum Landulphum ubi ſupra. Concordat Aſtenſis Lib. 5. tit. 29. art. 2., & adjicit quod, ſi ſequatur infamia etiam ſimpliciter narrando, tunc tenetur ad reſtitutionem. Et ideo, cum homines potius credant malum quam bonum, periculoſum eſt talia referre. Scotus tamen docet, quod, ſi talia narret animo lædendi, peccat mortaliter. Si autem ex inconſideratione duntaxat, durum eſt dicere quod exeat genus peccati venialis: quia lingua in lubrico eſt, & qui non offendit in verbo perfectus eſt.

(29) Non pigeat & hic ipſa audire Scoti verba — Et ſi quæratur: aliquis non imponit in publico tale crimen alii, ſed murmurat, vel indiſcrete, loquitur vel alicui coram multis narrat: tamen non tamquam ſibi certum, ſed ſic ſe audiviſſe: numquid tenetur reſtituere? Reſpondeo: Rara fides ideo eſt, quia multi multa loquuntur. Et ideo dicens ſe tantum audiviſſe, niſi ex modo dicendi oſtendat aliquam majorem certitudinem, quam ex communi relatione, non aufert ex natura actus in opinione aliorum famam ipſi. Quia, ſi illi firmiter concipiant illum, de quo eſt ſermo, criminoſum eſſe, leves ſunt: quia *qui cito credit, levis eſt corde* Eccleſiaſtici 19. v. 4. Verumtamen quia a ſcandalo puſillorum oportet cavere juxta illud Pauli prima ad Cor. 8. v. 13. — *Si eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum*, & multi ſunt tales puſilli leves ad credendum mala; ideo eſt periculoſum eis talia audita ex relatu eis referre. Et ſi fiat hoc animo malo, lædendi ſcilicet illum, de quo eſt ſermo, non eſt facile excuſare, quin ſit contra charitatem, & per conſequens mortale peccatum. Si autem fiat coram talibus ex inconſideratione, durum eſt quod exeat genus peccati venialis: quia lingua in lubrico poſita eſt, & *qui non offendit in verbo, hic perfectus eſt vir* Jacobi tertio v. 2. — Hæc ille.

Non deſunt opinantes ſic referentem etiam non animo lædendi proximum, peccare mortaliter. *Probabilius eſt* (ſcribit Cuniliati de ſeptimo Decalogi præcepto cap. 7. §. 3. num. 9.) *cum Soto, Navarro, Lugone, Sylvio, & aliis*

Digitized by Google

*& aliis peccare mortaliter illum, qui mere refert occultum crimen infamans ab aliis auditum, quamvis nihil omnino addat immo etiamſi oſtendat ſe oppoſitum credere: quia procul dubio magis divulgat crimen occultum: tum etiam quia humana perverſitas magis prona ad credendum male de proximo, quam bene facilius inducit auditores ad partem deteriorem: demum quia ille de quo refertur crimen, in animo auditorum tranſit de ſtatu bonæ opinionis ad ſtatum opinionis ſaltem dubiæ in re graviter famam lædente —.*

Non adeo rigide de hiſce narrantibus, & relatoribus ſentit Gabriel Antoine de juſtitia & jure part. 3. cap. 4. q. 6., ſed cum diſtinctione reſpondet: arbitrans eum, qui ita refert, ut audientes merito poſſint induci ad opinandum, vel ſuſpicandum grave malum de proximo, peccare mortaliter contra juſtitiam, & teneri ad reſtitutionem. Item peccare mortaliter, non ſolum contra charitatem, qua quiſque tenetur impedire malum proximi ſaltem cum facile poteſt, ſed etiam contra juſtitiam, eum, qui ſine cauſa talia refert coram iis, quos probabile eſt credituros ex levitate, vel malitia, quamvis non eo modo referat, ut credere poſſint, vel debeant. Illum autem, qui ſimilia narrat eo modo, & in iis circumſtantiis, in quibus conſtat auditores non eſſe credituros, nec ullum eſſe periculum infamiæ, neque male ſuſpicionis, vel dubitationis de probitate proximi, non peccare mortaliter, nec venialiter, ſi adſit juſta cauſa referendi.

Animadvertendum tamen eſt cum Franciſco Gennetto de ſeptimo Decalogi præcepto cap. 5. q. 25. tria requiri, ut detractor teneatur ad reſtitutionem.

Primum. Ut de facto illatum ſit damnum famæ alterius: nam ſi notum ſit, quod detractio nullum habuit effectum in mente audientium, ſive quia alius ſtatim obſtitit, ſive quia bona opinio de eo concepta impedivit, quominus haberetur fides detractioni, vel quia calumniator notus erat, vel quia id, quod dictum eſt, non cenſetur minuere poſſe proximi exiſtimationem: in his caſibus, & ſimilibus non datur reſtitutioni locus, quia nullum revera illatum eſt damnum proximo.

Secundum. Ut fama ablata fuerit injuſte; obligatio enim reſtituendi naſcitur ex ſola juſtitia violata, ut omnes ſentiunt. Ac proinde qui alterum legitime accuſavit de aliquo crimine coram Judice, putans ſe id poſſe probare, non tenetur ad reſtitutionem, licet forte hæc accuſatio facta fuerit ex motivo odii, vindictæ, & hujuſmodi: quia in hoc non peccavit contra juſtitiam, ſed ſolum contra caritatem. Idem eſt, ſi Superiori dictæ fuerint frequentes alterius culpæ, ut eis mederetur, & alter emendaretur. Aut ſi quis volens impedire, ne conſanguineus, vel amicus locaret ſervum furtis aſſuetum, tale vitium aperuerit.

Tertium. Ut infamatus famam aliquo modo non recuperaverit, ſive per ſe, ſive per alium: quia ſi quis v. g. alium furti accuſaverit, & ille manifeſte probet calumniam, non eſt illi reſtituenda fama, quam jam recupe-

Digitized by Google

cuperavit. In hoc tamen caſu ſemper quis obligatur ad reſarciendum damnum, quod alter paſſus eſt, antequam recuperaret famam, itemque omnes expenſas, quas forte in illa recuperanda ſubiit.

Animadverti item debet cum eodem Gennetto quæſtione ſequenti, detractorem excuſari a reſtitutione.

Primo. Si de facto nequeat reſtituere: quia ad impoſſibile nemo tenetur. Advertendum tamen eſt, quod, licet hæc reſtitutio ſit difficillima, non tamen quis eximitur a reſtitutione, quatenus fieri poſſit. Immo ſi non poſſit totum damnum reſtitui, reſarciri debet pars damni illati, ſaltem quærendo occaſionem multum laudandi perſonam offenſam, ut hoc modo poſſit recuperare eandem exiſtimationem, quam antea apud homines habebat, & ut laudibus compenſetur aliquo modo injuria illata.

Secundo. Si offenſus remittat, & condonet reſtitutionem; tunc enim ceſſat obligatio reſtituendi, præcipue ſi ſit perſona privata, & infamatio illius alios non attingat: nam ſi offenſus ſit v. g. Regularis, aut perſona aliqua publica, tunc ordinarie debet Communitas huic condonationi conſentire, ut hi omnes, qui talis diffamationis participes quodammodo fuerunt, ſatisfactionis participes ſint.

Tertio. Poteſt quis eximi a reſtitutione famæ, ſi offenſus pariter eum infamaverit, & nolit de facto famam pro poſſe reſtituere: videtur enim, quod in hoc caſu locum habeat id, quod ſtatuit Innocentius III. cap. *Tua* Extra *de adulteriis*, quod ſcilicet — *paria crimina compenſatione mutua deleantur* —. Hic tamen obſervandum, non ideo licere alium infamare, quia nos prius etiam infamavit; eſſet enim hæc vera vindicta, & monet Apoſtolus Petrus Epiſt. 1. cap. 3. v. 9., ut ſimus — *non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto*. Sed hoc jam præſtito, compenſatio poteſt habere locum, & eximere a mutua reſtitutione, modo partes conſentiant tacite, vel expreſſe; ſi enim unus ex illis vellet famam alterius diminutam reſarcire, tunc alter tenetur etiam id præſtare omni meliori modo. Hactenus Gennettus.

## TErtius Titulus De injuriarum remiſſione, & continet unam Quæſtionem, ſeu unum Dubium.

Utrum injuriatus teneatur remittere injuriam?

Reſpondeo ſecundum Ricardum in 4. diſt. 30. art. 1. q. 2., quod indignationem mentis illico tenetur remittere, immo nunquam admittere: ſignum etiam indignationis ſtatim atque petit veniam; actionem autem non tenetur remittere, niſi injuriator ſatisfecerit. Sed nota, quod ſunt aliqua ſigna indignationi propinqua, quæ ingerunt probabilem odii ſuſpicionem: puta cum quis numquam vult loqui cum injuriante: vel cum ipſum obvium habet, divertit ab eo: vel ipſum aſpicit torvo vultu, & hujuſmodi. Signa hæc nulli retinere licet, ſive ante ſatisfactionem, ſive poſt ipſam: quia ab omni ſpecie mali abſtinendum eſt, nec poteſt quis ita ſe gerere, ut intuentes credant, eum probabiliter odio habere injuriantem. Sunt & alia ſigna, quæ dicuntur remota: puta converſatio amicabilis, mutua ſervitia, continua ſocietas, & hujuſmodi. Signa hæc exhibere quis non tenetur; & præſertim ſi id faciat, ut injurians melius intelligat culpam ſuam. Excipe caſum, in quo per eorumdem exhibitionem crederet quis, ſe poſſe injuriantem revocare ab odio, & a mortali peccato: quia tunc ea exhibere teneretur.

(30) HÆC pene omnia complectitur Gloſſa in cap. *Si quis contriſtatus* 90. diſt. ita conceptum — *Si quis contriſtatus noluerit reconciliari fratri ſuo, ſatisfaciente eo, qui contriſtavit, acerrimis maceretur inediis, uſque dum gratanti animo ſatisfactionem recipiat* —. Super hoc ita Gloſſa — Immo etiam non ſatisfaciente eo, rancorem tenetur dimittere, ut *de pœnitentia* diſt. 5. cap. ulti-

ultimo: quia non eſt licitum nobis aliquem odio habere, ut 23. q. 4. cap. *Cum in lege*, & 11. q.3. cap. *Inter verba*. Sed actionem injuriarum, ideſt ſatisfactionem, non tenemur dimittere. Nam ad remittendam injuriam nullus eſt cogendus 23. q. 4. cap. *Si illic*. Immo bene facit, qui dimiſſo rancore, agit injuriarum 45. diſt. cap. *Et qui emendat*, 23. q. 5. cap. *de occidendis* — Hactenus Gloſſa.

Singulare eſt caput *Et qui emendat* hic laudatum, in quo dicitur miſericordiam fieri & dimittendo offenſam, & proſequendo actionem injuriarum. Ipſum audiamus — *Et qui emendat verbere, in quem poteſtas datur, vel coercet aliqua diſciplina, & tamen peccatum ejus, quo ab illo laſus, aut offenſus eſt, dimittit ex corde, vel orat, ut ei dimittatur: non ſolum in eo, quod dimittit, atque orat, verum etiam in eo, quod corripit, & aliqua emendatoria pœna plectit, eleemoſynam dat, quia miſericordiam præſtat. Multa enim bona præſtantur invitis, quando eorum conſulitur utilitati, non voluntati, quia ipſi ſibi inveniuntur eſſe inimici* —.

Pro dimittenda offenſa, & averſione contra injuriantem non admittenda, placet recitare quod ſcribit Catechiſmus Romanus ſuper quinta petitione Orationis Dominicæ, videlicet ſuper hiſce verbis — *Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris* Sect. 17., & 18. — Illud *ſicut* dupliciter intelligi poteſt. Nam & ſimilitudinis vim habet, cum videlicet a Deo petimus, ut, quemadmodum nos injurias & contumelias remittimus iis, a quibus læſi ſumus, ſic ipſe nobis peccata condonet. Eſt præterea conditionis nota, in quam ſententiam Chriſtus Dominus eam formulam interpretatur Matth. 6. v. 14. 15. — *Si enim dimiſeritis hominibus* (inquit) *peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cæleſtis peccata veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra* —. Verum habet uterque ſenſus eandem ignoſcendi neceſſitatem: ut, ſi volumus nobis Deum veniam concedere delictorum, parcamus illis ipſis neceſſe ſit, a quibus injuriam accepimus. Sic enim Deus oblivionem injuriarum, mutuumque ſtudium & amorem requirit a nobis, ut eorum, qui in gratiam non ſunt reconciliati, dona; ac ſacrificia rejiciat, & aſpernetur. Eſt etiam naturæ lege ſancitum, ut tales nos aliis præbeamus, quales eos in nos eſſe cupimus. Vere ut impudentiſſimus ille ſit, qui poſtulet a Deo, ut ſui ſceleris pœnam prætermittat, dum ipſe in proximum animum retineat armatum. Quare parati, & prompti ad ignoſcendum eſſe debent ii, quibus impoſitæ ſunt injuriæ, cum & urgeantur hac præcandi formula, & apud S. Lucam 17. v. 3. 4. id jubeat Deus — *Si peccaverit in te frater tuus, increpa illum: & ſi pœnitentiam egerit, dimitte illi. Et ſi ſepties in die peccaverit in te, & ſepties in die converſus fuerit ad te dicens: Pœnitet me, dimitte illi* —. Et in Evangelio Sancti Matthæi 5. v. 44. — *Diligite inimicos veſtros* —. Et Apoſtolus ad Rom. 12. v. 20., & ante eum Salomon Prover. 25. v. 21. — ſcripſerit — *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi* —.

K 2 Et

Digitized by Google

Et ſic apud Sanctum Marcum Evangeliſtam 11. v. 25. — *Cum ſtabitis ad orandum, dimittite ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & Pater veſter, qui in Cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra* — Hactenus Catechiſmus.

Abſque hujuſmodi remiſſione ſincera numquam vera agetur pœnitentia, ſed hæc ſemper erit falſa, ſicuti loquitur Innocentius II. *de Pœnitentia* diſt. 5. cap. ultimo — *Falſa etiam ſit pœnitentia, cum pœnitens ab officio, vel curiali, vel negotiali non recedit, quod ſine peccato agi nulla ratione prævalet: aut ſi odium in corde geſtetur, aut ſi non offenſo cuilibet ſatisfiat, aut ſi non indulgeat offendenti offenſus, aut ſi arma quis contra juſtitiam gerat* —.

Signa exterioris benevolentiæ alia ſunt ſingularia, ſive ſpecialia, communia alia. Primi generis ſunt, ſecretorum communicatio, familiaria colloquia, crebræ viſitationes, convivia mutua, & id genus ſimilia. Secundi generis eſſe poſſunt ſalutatio, allocutio, reſpondere interroganti, & ejuſdem indolis alia. Generatim Doctores tradunt, non teneri nos ad prima, ſed ad ſecunda duntaxat benevolentiæ ſigna exhibenda tum amicis, tum inimicis, injuriantibus, & offenſoribus. Ita S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 28. art. 3. cap. 1. — *Ad quod dicendum, quod eſt aliquod ſignum, ſine quo non poteſt exterius innoteſcere actus dilectionis, etiam illius, ad quam omnes tenemur: quia in ejus omnimoda negatione prætenditur ſignum iræ, ſeu odii cordialis. Hujuſmodi autem ſignum videtur ſalutatio, aut ad aliqua interrogata aliqualis reſponſio; unde qui omnino inimico ſuo negaret verbum, aut qui in ejus præſentia ſemper avertit faciem, vel ſubito fugit, ſignum oſtendit odii cordialis, atque mortalis, niſi ex cauſa valde rationabili hoc agat, aut probabiliter timeat ex hoc aliquod pejus accidere: quamquam etiam rationem & intentionem facti ſui debeat intuentibus propter vitationem ſcandali propalare, ſi bono modo hoc facere poteſt. Ad reliqua vero ſigna non tenetur, niſi in caſu neceſſitatis* —. Dixi generatim: quoniam communia ſigna quandoque negari poſſunt ſine peccato: puta ob delicti punitionem in Superioribus erga ſubditos; vel quando ex negatione colloquii, & ex ſeveriori vultu ſperatur emendatio injuriantis: vel cum prævidetur ejuſmodi officia accipienda eſſe ad adverſario in ſigna contemptionis, & vilipendii: vel cum hoc ſit in teſtimonium deteſtationis, & abominationis alicujus criminis valde enormis, & publici aliiſve de cauſis, quas exponit Daniel Concina lib. 1. in Decalogum Diſſert. 5. cap. 7. q. 6. Specialia autem quod reſpicit, horum ſuſpenſio, & negatio quandoque non eſt ſine peccato: puta ſi ex ipſorum omiſſione intuentes ſcandalum patiantur: ſi per ea facile poſſis injuriantem reconciliare tibi, & Deo: ſi ipſe injuriator ea tibi prius exhibeat ſemel, & iterum: & in aliis ſimilibus caſibus. Spectandæ igitur circumſtantiæ ſunt, qualitas nempe delicti, qualitas intuentium, perſona offendens, perſona item offenſa, aliæque ejuſdem indolis: & ex iis judicari debet, an hæc, vel illa exterioris benevolentiæ ſigna exhibenda ſint nec ne: dummodo cor injuriati rectum ſit coram Domino, quia ſcriptum eſt Eccleſiaſtici 10.

ci 10. v. 6. *Omnis injuriæ proximi ne memineris, & nihil agas in operibus injuriæ* — : & apud Auguſtinum ſerm. 210., alias de diverſis 74. — *Petat veniam qui fecit injuriam; det veniam qui accepit injuriam, ut non poſſideamur a Satana, cujus triumphus eſt diſſenſio Chriſtianorum* —. Præſertim quum adhuc ſub judice lis ſit, an alloqui, ſalutare, emere, vendere, & his ſimilia ſint nec ne ſigna communia benevolentiæ; novimus enim Cajetanum Comment. ſuper art. 8. q. 25. 2. 2. D. Thomæ ſcripſiſſe — *Alloqui huic perſonæ, ſalutare illam, emere, vendere, continuare cum iſto; & alia hujuſmodi non ſunt actus, qui fiunt ad communitatem, ſed ad perſonas in ſpeciali. Ideo non eſt neceſſitatis, ſed perfectionis, quod aliquis inimico ſuo loquatur, quod illum ſalutet, aut aliquid hujuſmodi faciat. Et propterea cave tu Confeſſor, ne neges abſolutionem nolenti hæc ſigna dilectionis inimico exhibere* —. Novimus item, quod de doctrina S. Bonaventuræ ſcripſit S. Bernardinus To. 2. ſerm. 7. art. 1. cap. 3. — *Tamen ſecundum S. Bonaventuram in 3. dimittere rancorem inimico eſt de neceſſitate præcepti: dimittere autem rancorem, & ſigna rancoris eſt de perfectione conſilii. Unde ad hoc non tenetur homo, niſi in caſu, ſcilicet quando humiliter, & veraciter venia poſtulatur. Sed hoc non eſt populo prædicandum, ſed in quibuſdam caſibus, & conſiliis circumſpectiſſime, & prudentiſſime pro aliqua utilitate, & neceſſitate aperiendum* —. Placet ſummopere quod docet Daniel Concina lib. 1. in Decal. Diſſert. 5. cap. 7. q. 5. — Paucis quod verum, & tutum eſt, in quod omnes conſentire debent, exponam; I. Salutatio, & colloquium abſolute non ſunt ſigna communia inimicis debita. Nonnullis in urbibus homines occurentes minime ſalutantur, multo minus in colloquium conveniunt. Abſolute ergo, & per ſe nec ſalutare, nec alloqui inimicos vi præcepti tenemur. II. Si alicubi mos obtinet, ut indiſcriminatim homines ſe ſe ſalutent, ibi ſalutandi inimicos præceptum urgebit. III. Si ante inimicitias mutua intercedebat ſalutatio, etiam poſt diſſidium & rixam eadem communia, quæ præcedebant, ſigna conſiſtere, & perſeverare debent. IV. Salutatio, & allocutio, licet abſolute communia non ſint, poſſunt tamen communia eſſe inter conſanguineos, cognatos, amicos, ſodales ejuſdem cœtus, collegii, & communitatis; & tunc ſi quis iſtorum alicui inimicus evadit, ab ejuſmodi communibus ſignis excludendus non eſt. V. Si plures occurrentes amici ſalutarentur excluſo inimico, qui inter illos reperitur, ſignum eſſet odii, animique irati, ſcandalumque contingeret. VI. In ejuſmodi eventibus non illico damnandus peccati mortalis odii, qui hæc ſigna omittit; ſed circumſtantiæ expendendæ ſerio ſunt, & duo præcipue diſcutienda, videlicet animus interior, & ſcandalum quod conſequitur. Advertendum tamen, non omne ſcandalum peccatum letale eſſe. Non raro hæc ſalutatio, & allocutio omittuntur, non odii cauſa, ſed ob quamdam verecundiam, timorem, & animi vilitatem. Interdum neuter ea animi fortitudine pollet, ut primus eſſe velit ad exhibenda ſigna bene-

volen-

volentiæ. VII. Hæc ſigna ſalutationis, & allocutionis neceſſaria vi præcepti ſunt, quando deprehenduntur opportuna, & efficacia ad placandum inimicum, odiumque aut a ſe, aut ab hoſte exterminandum. VIII. Salutantem reſalutare debitum eſt, quod negligi abſque gravi culpa nequit, ſi advertenter, & deliberato animo omittatur. Venditio mercium, collatio eleemoſynæ, & cætera ejuſmodi communia officia, quæ omnibus exhibentur, negari abſque culpa inimicis nequeunt. IX. Noli in his præſtandis eſſe nimis juſtus, ſed liberalis eſto, memor quod eadem menſura, qua menſus fueris, remetiendus eris. Si abundantem miſericordiæ divinæ menſuram exoptas, dives eſto in dilectione inimicorum —. Hactenus ille. Quod hic ait Concina de inimico, idem tu dicas de injuriante, quum militet eadem ratio.

Ne graveris Lector, ſi egregiam adjicio S. Thomæ doctrinam ſuper hac re 2. 2. q. 25. art. 9. in corpore — *Sunt enim quædam ſigna, vel beneficia dilectionis, quæ exhibentur proximis in communi: puta cum aliquis orat pro omnibus Fidelibus, vel pro toto populo: aut cum aliquod beneficium impendit aliquis toti Communitati. Et talia beneficia, vel dilectionis ſigna, inimicis exhibere eſt de neceſſitate præcepti. Si enim non exhiberentur inimicis, hoc pertineret ad livorem vindictæ contra id, quod dicitur Levitici 19. — Non quæres ultionem, & non eris memor injuriæ civium tuorum —. Alia vero ſunt beneficia, vel dilectionis ſigna, quæ quis exhibet particulariter aliquibus perſonis. Et talia beneficia, vel dilectionis ſigna inimicis exhibere non eſt de neceſſitate ſalutis, niſi ſecundum præparationem animi, ut ſcilicet ſubveniatur eis in articulo neceſſitatis ſecundum illud Prover. 25. — Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum; ſi ſitit, da illi potum —. Sed quod præter articulum neceſſitatis hujuſmodi beneficia aliquis inimicis exhibeat, pertinet ad perfectionem charitatis, per quam aliquis non ſolum cavet vinci a malo, quod neceſſitatis eſt, ſed etiam vult in bono vincere malum, quod eſt etiam perfectionis, dum ſcilicet non ſolum cavet propter injuriam ſibi illatam detrahi ad odium, ſed etiam propter ſua beneficia intendit inimicum pertrahere ad ſuum amorem —.*

QUAR-

Digitized by Google

## QUartus Titulus de Uſura, & continet 39. Quæſtiones, ſive Dubia.

Primum Dubium. Utrum uſurarius mentalis teneatur ad reſtitutionem illius, quod ei datur liberaliter ab eo, qui mutuum accepit?

Reſpondeo ſecundum Ricardum in 4. diſt. 15. art. 5. q. 5., quod aut talis uſurarius ſignis, vel circumlocutionibus præcedentibus, aut ſequentibus inſinuat mutuum accipienti, quod vult aliquid ultra ſortem, & propter hoc ipſe dat mutuum: & tunc tenetur reſtituere quod accepit, quia nihil refert, quod de æquipollentibus fiat cap. *Tua nos* Extra *de conſanguinitate & affinitate*, & L. *Certum eſt* ff. *Si certum petatur*. Et ſic reſtringenda eſt opinio Joannis Andreæ in Mercur. ſuper Regula *peccatum*, Innocentii, Hoſtienſis, & cæterorum, qui dicunt eum teneri ad reſtitutionem. Aut nullum talium evenit, ſed ille dedit liberaliter, credens ſe non teneri, nec mutuatorem velle aliquid ultra ſortem: & tunc dico quod non tenetur reſtituere. Et ſic reſtringenda eſt opinio Scoti: & pro hoc facit exemplum, quod adducit dicens. Eſt unus, qui habuit animum furandi rem alterius: detur ei liberaliter, certum tunc eſt, quod non tenetur reſtituere. Patet, quia donatio non cauſatur ex facto iſtius, qui vult furtum facere. Similiter nec in caſu noſtro. Et unde Joannes Andreæ dicit, quod ſic, debet intelligi ſecundum primum modum.

(31) EGregie ſuper uſura S. Bonaventura in *Speculo animæ* cap. 2.— *Tertius fructus principalis injuſtitiæ ad proximum, quæ ex ramo avaritiæ procedit, eſt uſura. Dicitur autem uſura ab uſu æris; ſunt enim quædam res, quarum uſus eſt rei conſumptio, quarum dominium in accipientem*

*tem transferiur, ut pecunia, & bladum, & vinum; unde qui talium uſum vendit, uſurarius dicitur, & habet rationem mortalis peccati, & in quantum contra præceptum mortale juſtitiæ eſt, quia vendit aliquod ſuum non eſt, cum jam ſit translatum dominium. Unde ſcriptum eſt Pſal. 14. — Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram —. Uſura enim in has ſpecies dividitur. Eſt enim uſura in ſpe, cum quis non expreſſe contractum uſurarium facit, licet ſperet pro mutuo ſe aliquid accepturum, & hac intentione dat mutuum, alias non daturus. Conſtat, quod talis quantum ad Deum, qui cor intuetur, uſurarius judicatur. Unde Dominus Lucæ 6. — Date mutuum, nihil inde ſperantes. Item eſt uſura non ſolum intentione, ſed & opere, cum quis debitorem ad amplius obligat quoquo modo, vel tacite, vel expreſſe. Tacite quidem, mutuando ſpeciem pro ſpecie, ut bladum pro blado, & hujuſmodi, ut ea recipiat tempore cariori, vel dando antiquum pro novo, ut melius recipiat innovatum: in quibus caſibus uſura committitur, cum proprium commodum, non neceſſitas proximi ibidem attendatur. Tunc autem poteſt manifeſte ſciri corrupta intentio, cum ſolummodo præcluditur infra tempus, quo carius venduntur. Cum quis autem hujuſmodi intendit ſervare uſque ad tempus, quo venduntur carius: licet debitor in ſe periculum ſuſcipiat, non tamen in creditore judicatur uſura, ſi hoc faciat, ut proximo ſubveniat. Item tacita uſura eſt, cum quis ratione dilationis plus juſto vendit, & accipit, & cum quis ratione mutui ſervitium, vel munus accipit, ut ſuperius eſt expreſſum. Item eſt uſura tacita, cum quis aliquid commune habet cum aliquo, quidquid ſit illud, & periculum, vel damnum non ſit commune. Item eſt uſura manifeſta, cum promiſſum ex pacto intervenit accipiendi amplius, vel etiam obligatio ex pacto ad ſimile mutuum faciendum —.*

Adſerere non eſſe peccatum exercere uſuras, eſt propoſitio veluti hæretica, ſicuti definivit Clemens V. in Clementina *Ex gravi* de uſuris §. 2. hiſce verbis — *Sane ſi quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præſumat, exercere uſuras non eſſe peccatum, decernimus eum velut hæreticum puniendum. Locorum nihilominus Ordinariis, & hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus diſtrictius injungentes, ut contra eos, quos de errore hujuſmodi diffamatos invenerint, aut ſuſpectos, tamquam contra diffamatos, vel ſuſpectos de hæreſi procedere non omittant —.*

Uſura late ſumpta eſt quodlibet lucrum ſive licitum, ſive illicitum, quilibet ſcilicet fructus ex re perceptus. De hac tamen ſermo non eſt in præſenti, ſed unice de uſura proprie, & ſtricte accepta, quam brevibus definire ſolent Theologi — *Lucrum ex mutuo vi mutui* & de qua cap. *Si fœneraveris* 14. q. 3 *Si plus quam dediſti, expectas accipere, fœnerator es* —. Uſura item alia eſt realis, mentalis alia. Prima habetur, cum lucrum deducitur in pactum ſive expreſſum, ſive implicitum: puta cum mutuator expreſſe vel implicite declarat ſe velle, aut expectare aliquid ultra ſortem. Secunda reperitur, cum quis mutuum præſtat intentione percipiendi aliquod



Digitized by Google

quod lucrum ex mutuo, tamquam debitum, intentionem hanc ſuam mutuatario non aperiens. Utraque peccatum eſt, idque graviſſimum, ut ad rem S. Joannes Chryſoſtomus — *Nihil uſura turpius, nihilque crudelius: ſiquidem hujuſmodi fænerator negotiatur aliena diſcrimina, & uberiores, ut putat, quæſtus de alterius infelicitate conſequitur: atque inſuper quaſi pietatis mercedem repoſcit, velut metuens, ne immiſericors forte videatur, cum profecto, prætextu miſerendi, atque opem ferendi, majorem miſero foveam crudelitatis effoderit: ſpecie juvandi atterens inopem, ac manum porrigendo dejiciens: & quaſi in portum ex tempeſtate ſuſcipiens, ſed improviſo turbine multo magis crudele naufragium, velut inter ſcopulos, ac latentia ſaxa demergens* —. Theologi complures judicantes de uſuris, alii in unum, alii in alterum inclinarunt extremum, aut indulgentes largitate nimia, aut nimio rigore inclamantes. Id non auderem dicere, niſi Benedictus XIV. in ſua Encyclica ad Epiſcopos Italiæ, cui tit. *Vix pervenit ad aures noſtras*, data die 1. Novembris 1745., mihi magnus Apollo eſſet ſcribens — *Etenim aliqui tanta ſeveritate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia deſumptam accuſent tamquam illicitam, & cum uſura conjunctam; contra vero nonnulli indulgentes adeo, remiſſique ſunt, ut quodcumque emolumentum ab uſuræ turpitudine liberum exiſtiment* —. Quapropter, dum de iis rebus ferendum judicium eſt, præ oculis haberi debet, quod ibidem ſubdit ſapientiſſimus Pontifex —. *Suis privatis opinionibus ne nimium adhæreant; ſed priuſquam reſponſum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur; deinde eas partes ſuſcipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent* —.

Caſum exhibitum quod ſpectat, ſi mutuator ſignis præcedentibus, aut ſubſequentibus oſtendit, ſe velle aliquid ultra ſortem, uſura realis eſt ſicuti eruitur ex definitione uſuræ realis modo tradita. Mutuator iccirco in hoc caſu ad reſtitutionem tenetur nemine contradicente. Si vero pravam intentionem ſuam nullo modo manifeſtavit, etſi in foro judiciali probari tunc non poſſit uſurarius, uſurarius tamen judicandus eſt in foro pœnitentiali, ut ſcite monent Aſtenſis lib. 3. tit. undecimo art. 5. *Circa primum*, & Hoſtienſis *de uſuris* num. 5. quia (ſcribit Aſtenſis) — *licet ſecundum legem humanam ſola ſpes, ſive voluntas talis non faciat uſuram, quia talis lex cohibet manum, non animum; facit tamen ſecundum legem divinam, quæ cohibet utrumque* —: quia (ſcribit Hoſtienſis) — *per Beatum Lucam Evangeliſtam, imo per Dominum dictum eſt: mutuum date, nihil inde ſperantes* —. Hic caſus ille ipſe eſt; quem cap. *Conſuluit* Extra *de uſuris* expoſuit Urbanus III. *Conſuluit nos tua devotio, an ille in judicio animarum quaſi uſurarius debeat judicari, qui non alias mutuo traditurus eo propoſito mutuam pecuniam credit, ut, licet omni conventione ceſſante, plus tamen ſorte recipiat* —. Id igitur debemus adſerere, quod de eo, & de duobus aliis ibidem exhibitis ſancivit laudatus Summus Pontifex — *Verum, quia, quid in his caſibus*

*tenendum ſit, ex Evangelio Lucæ manifeſte cognoſcitur, in quo dicitur: Date mutuum, nihil inde ſperantes: hujuſmodi homines pro intentione lucri, quam habent (cum omnis uſura, & ſuperabundantia probibeatur in lege) judicandi ſunt male agere. & ad ea, quæ taliter ſunt accepta, reſtituenda in animarum judicio efficaciter inducendi*—.

Sapienter idcirco more ſuo S. Antoninus part. 1. tit. 4. cap. 14. §. 2. — Et nota, quod ſola ſpes quando eſt principalis ad lucrum in mutuo, facit hominem uſurarium, ut 14. q. 3. cap. *Si fœneraverit*. Sicut etiam ſola ſpes rei temporalis facit hominem ſimoniacum, quando eſt principale motivum in traditione rei ſpiritualis ſecundum Raynerium, Joannem, & Archidiaconum. Hæc ſpes includit voluntatem deliberatam. Unde in foro pœnitentiali puniri debet, ſeu pœnitentiari ut pro mortali peccato. Et ſi inde aliquid recipit oblatum, in foro pœnitentiali eſt inducendus uſurarius ad reſtituendum, & ſimoniacus ad pauperibus erogandum. Et ſic punitur voluntas pro facto: hoc eſt ac ſi pactum feciſſet expreſſe. Sed non quantum ad cenſuram aliquam, vel depoſitionem, ut Extra *de Simonia* cap. ultimo: qua pœna poſſet puniri, ſi ad actum exteriorem perveniſſet per actionem, & hujuſmodi. Et quamvis aliqui dicant, quod uſurarius ſolum mentalis non teneatur reſtituere: alii tamen dicunt, quod tenetur ſemper reſtituere. Et hoc Innocentius dicit eſſe tutius Extra *de uſuris* cap. *Conſuluit*. Hoſtienſis autem dicit omnino eſſe reſtituendum, quod turpiter accepit. Idem ſentit Bernardus, Raynerius, & Archidiaconus, & Theologi idem ſentiunt. Sed quantum ad forum judiciale Eccleſiaſticum, vel civile, voluntas ſi non procedat ad actum exteriorem aliquem, numquam punitur. Et hoc eſt, quod dicit lex — *Cogitationis pœnam nemo patiatur* — de pœnitentia diſt. 1. cap. *Cogitationis*, & Innocentius Papa 32. q. 5. cap. *Chriſtiana — Latentia peccata vindictam non habent* —: quia ſcilicet probari non poſſunt. In judicio autem proceditur per allegata, & probata — Hactenus S. Antoninus.

Sed in caſu ponitur, quod mutuatarius, nihil omnino ſciens de prava mutuatoris intentione, auctarium, ſeu uſuram largiatur libere, ſponte, & gratis. Quid ergo juris? In hoc caſu non tenetur mutuator ad reſtitutionem ratione rei acceptæ: quia mutuatarius libere donans, libere pariter tranſtulit dominium in ipſum. Tenetur tamen ratione conſcientiæ: quia nedum ipſe expectabat auctarium tamquam debitum, ſed inſuper judicat ipſi tamquam debitum fuiſſe collatum. Quid interim, ſi poſtmodum cognoſcat, mutuatarium dediſſe gratis, & omnino libere? Poteſt tunc mutuator rem acceptare, & retinere tamquam libere donatam; ſed peccavit eam accipiendo, & retinendo, dum putabat elargitam fuiſſe a mutuatario tamquam debitam.

Quod monui in Anecdoto *de Contractibus* jam typis evulgato, ubi de prima Conſideratione art. 2. annotatione 10., & hic monere, non erit abs re. Veteres conſuevere citare ff. *ſi certum petatur*. Hic titulus tamquam ab aliis ſejunctus non amplius habetur in Corpore Juris Civilis, quo communi-

muniter utimur. Conſule icciroo titulum *De rebus creditis* in Digeſtis, & ſub hoc reperies leges omnes a Veteribus ſub titulo *Si certum petatur* indicatas.

Secundum Dubium. Utrum ille, qui mutuum dat liberaliter ſine intentione aliquid recipiendi, teneatur reſtituere quod ei datur ultra ſortem a debitore, qui ideo dat, quia credit eum ſic velle: vel ut mutuum plus teneat: vel ut alter libentius mutuum præſtet, & hujuſmodi?

Reſpondeo ſecundum Doctores, quod non tenetur de conſumptis bona fide, bene vero de extantibus, quando ſcit, quod non eſt datum ei liberaliter. Et de hoc, & de præcedenti dubio vide, quæ dixi de Contractibus Conſideratione ſecunda Art. 1. dub. 3., & 4. quinti verbi definitionis uſuræ.

(32) Addit Author in Angelica ver. *Reſtitutio primo* ubi de Uſurario num. 2., hunc mutuatorem, ſtatim atque cognoſcit intentionem mutuatarii, teneri de extantibus – *Niſi per uſucapionem, vel præſcriptionem ſua facta eſſent* –; in confeſſo enim eſt apud omnes, quod bona fides præſcribit, & quod completa præſcriptione res tranſit in legitimum dominium poſſidentis. Tenetur poſtmodum de extantibus non præſcriptis, quia, ut appoſite Gabriel Antoine de Contractibus part. 2. cap. 3. q. 20. reſp. 3. – *deeſt juſtus titulus retinendi: nam datio rei ut debitæ ex mutuo nulla eſt, cum nihil ſit debitum ex mutuo. Nec tunc fuit donatio liberalis, quia res data fuit ut debita* –. Animadverſione digna ſunt, quæ Antoine ſubdit ibidem – *Si vero mutuator aliquid ultra ſortem accipiat, dubitans qua mente illud detur, an gratis, an tamquam debitum, peccat, & tenetur accepta reſtituere, nam injuſtitiam committit, ſicut is qui dubia fide cœpit alienum poſſidere, & ſe exponit periculo alienum retinendi.*

Tertium Dubium. Utrum inducens aliquem ad fœnerandum conſulendo, vel dando mutuam pecuniam, ut faciat uſuram; vel contrahendo ſocietatem ad fœnus exercendum, & hujuſmodi: teneatur ad reſtitutionem totius uſuræ?

Reſpondeo ſecundum Alexandrum Lombardum, & Monal-

Monaldum tit. *Uſura quinto* & Doctores, quod non, niſi in quantum pervenit ad eum de acquiſitis ex uſuris. Et licet alii dicant, quod teneatur, non credo verum, præſertim quum nullo jure probari hoc poſſit.

(33) Idem prorſus docent Author in Angelica verbo *Reſtitutio primo* ubi de Uſurario num. 4., Aſteſanus lib. 3. ubi *Quid de eo, qui conſuluit*, Roſella verbo *Reſtitutio nono* num. 1., aliique ea ratione ducti, quam mox protuleram ex S. Antonino. Eos tamen omnes, de quibus in caſu, ad reſtitutionem abſolute teneri conſtituit Daniel Concina *De juſtitia & jure* cap. 23. quæſt. 1. ſcribens — *Conſulentes fœneratores, aut eiſdem pecunias præbentes, tenentur ne ad reſtitutionem? Reſpondeo. Negant plures. Sed adfirmat vera ſententia: quia iſti ſunt cauſæ efficaces damni* —. Non ita generatim S. Antoninus, qui part. 2. tit. 1. cap. 9. §. 2., eodem caſu propoſito, ſic reſpondit — *Reſpondeo ſecundum Gullielmum. Quidam dicunt, quod qui inducunt illos ad fœnerandum, qui alias non erant fœneraturi, tenentur in ſolidum. Si vero alias erant fœneraturi, non tenentur, niſi in quantum ad eos pervenit. Et ſubdit. Ego credo ſine præjudicio, quod in neutro caſu taliter inducentes tenentur, niſi quantum ad eos pervenit. Et quantum ad hoc conditio eorum eſt melior, quam eorum, qui vel præſtant favorem in rapina, vel furto: quia iſti tenentur etiamſi ad eos nil pervenit. Et hoc ideo: quia rapina vel furtum fit ſimpliciter contra voluntatem Domini; ſed uſura pervenit ad creditorem de voluntate Domini. Nec invenio jura dare actionem debitori contra hujuſmodi inductores, vel fautores ad repetendum ab eis illas uſuras, quas ipſi debitores ſolverunt illis inductis, ſicut dant actionem contra illos, quorum opere, vel conſilio fiunt furta, vel rapinæ, licet nil ad eos pervenerit. Prima autem opinio tutior eſt, ſaltem quando principales non eſſent ſolvendo. Omnes enim tales indubitanter ſunt participes culpæ, & hanc opinionem tenet Petrus de Palude* —. Recitat hæc Sancti Scriptoris verba Nicolaus de Auximo in Supplemento ad Piſanellam ver. *Reſtitutio quinto*, & poſtmodum ſtatim ſubjicit — *Non tamen propterea tenentur ad reſtitutionem principaliter, vel in ſolidum, niſi inquantum fuerint cauſa damni, ita quod ſine eis datum non fuiſſet, ut ſupra Reſtitutio tertio §. primo. Damnum autem non in mutuo pecuniæ, ſed in uſurarum exactione. Ideo participans in ſolo mutuo tenetur ad ſolum peccatum, & non ad reſtitutionem, niſi ex uſura accepti. Participans vero exactione, ut in inveniendo cautas fictiones, vel aliter, bene tenetur ad reſtitutionem. Et in hoc caſu intelligatur ſecunda opinio* —.

Quid ergo in hac Scriptorum diſcrepantia, & varietate erit conſtituendum. En ingenue quod ſentio. Primo, certum eſt eum teneri ad reſtitutionem, qui ſocietatem cum alio contrahit ad exercendum fœnus; is enim parti-

participat de lucro vetito, & reſtitutioni obnoxio. Secundo, certum eſt eum pariter teneri, qui mutuum dat uſurario, ut particeps fiat lucri inde provenientis; fit enim tunc & ipſe uſurarius, ſocius ſcilicet lucri uſurarii. Tertio, certum eſt, nedum tutius, quod, ſi mutuator alias non erat tœneraturus, conſulens tenetur de damno, quod culpa ſua patitur mutuatarius — *Si culpa tua datum eſt damnum* (Gregorius IX. Extra *de injuriis & damno dato* cap. finali) *jure ſuper his ſatisfacere te oportet*. Alios caſus quod reſpicit, ſtatim atque probetur conſulentem damno dediſſe cauſam efficacem, quod forte non probatur, quando mutuator alias erat tœneraturus: non video quo titulo conſulens a reſtitutione ſit liberandus, quum id tueatur Author ipſe paullo infra, Dubio nempe decimo ſeptimo: & oppoſitum adſerere vix componatur cum propoſitione 39. generatim proſcripta ab Inno. XI., quæ erat hujuſmodi — *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio. non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati* —. Hæc tamen dicta ſint ſalvo meliori judicio.

Quartum Dubium. Utrum Proxenetæ, ſeu ſenſales uſurariorum teneantur reſtituere omnes uſuras?

Reſpondeo ſecundum Baldum in L. *Similiter* tit. *de controverſiu feudi inter parentes terminanda*, quod ſic, quando uſurarius non eſt ſolvendo. Sed Gloſſa in L. *Si ſciente* ff. *de Lege Pompeja de parricidiis* indiſtincte vult, quod teneantur; cum qua conveniunt Bartolus, & Angelus ibidem, qui dicunt, quod pari pœna ſunt puniendi tales proxenetæ ſicut illi, qui faciunt tales contractus. Hoc idem tenet Gerardus Obdonus, & ad idem facit L. *Is*, *cujus ope* in principio ff. *ad legem Juliam de adulteriis*. Multo magis tenetur Miniſter alius quicumque ille ſit 46. diſt. cap. *Sicut non ſuo*, & concordat Jacobus. Quod verum credo de proxenetis cooperantibus in exactione uſurarum, vel invenientibus fictiones, & hujuſmodi, ut uſuræ ſolvantur: quia dant cauſam efficacem damni. Non autem de proxenetis ſolum cooperantibus, ut mutuum detur. Ratio eſt, quia in mutuo non datur damnum proximo, ſed in exactione uſuræ; & ideo iſti non magis tenentur quam illi, de quibus in præcedenti dubio.

De

Digitized by Google

(34) De Proxenetis, qui huc illucque conquirunt homines indigentes pecunia, eoſque ad uſurarios adducunt, ita ſcribit S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 9. §. 13. — *Nota duplicem conſiderationem. Prima conſideratio eſt per reſpectum ad mutuo indigentes, & ſic dupliciter peccare poſſunt cenſales. Primo, ſi mutuum quærunt ad uſuram pro his, qui non indigent, ſicuti quotidie fit in his, quæ dicuntur depoſita, ſed realiter ſunt uſuræ, & aliis malis contractibus fieri ſolet: tunc peccant mortaliter. Et ratio hujus eſt, quia cum mutuum ſic accipiens peccet mortaliter, ut patet in ſequenti paragrapho, & ipſe quoque peccabit, qui cooperabitur eidem* 11. q. 3. *cap. QVI CONSENTIT. Secundo, peccant cenſales, quando, etſi neceſſitate cogente vel non cogente, proximum ad uſuram mutuum tribuere renitentem inducunt. Arg. Extra DE HOMICIDIO cap. SICVT DIGNVM. Secunda conſideratio fieri poteſt per reſpectum ad mutuum dantes; ſecundum enim Gerardum dupliciter poſſunt tales eſſe mediatores. Primo, cum ſtant pro illis, qui mutuo indigent, & procurant ab illis, qui parati ſunt dare, & tales non peccant, & multominus reſtituere obligantur, cum proximo ſubvenire procurent, & malo uſurarii bene utantur: & lucrum, quod inde percipiunt de ſuo labore, licite retinent. Secundo, cum ſtat, ſeu hoc facit cenſalis principaliter pro lucro uſurarii, & pro parte ſua. Et iſti non ſolum peccant mortaliter propter cooperationem ad uſuram; ſed etiam reſtituere obligantur in ſolidum, ſi ita cooperati ſunt, quod abſque opere illo præſtatio illa uſuraria minime facta fuiſſet. Cujus ratio eſt, quia ſecundum Philoſophum 2. Ethic. Medium comparatum extremis ſapit naturam extremorum. Arg. 2. q. 1. cap. NOTVM in fine. Lucrum, quod ipſe percipit inde, debet pauperibus erogare* .... Gullielmus tamen tenet contrarium quantum ſcilicet ad obligationem reſtitutionis uſurarum. Et quamvis non ſit uſque quaque reprobandum, hoc tamen, quod dictum eſt, ut tutius eſt conſulendum, ſcilicet quod teneantur tales cenſales —. Pene eadem ſcribit S. Bernardinus Serm. 35. art. 1. cap. 1.

Grave argumentum non video, ob quod proxenetæ dici debeant ab onere reſtitutionis immunes. Eos condemnat L. *Si ſciente* ff. *ad Legem Pompejam de parricidiis*, quæ eſt hujuſmodi — *Si ſciente creditore ad ſcelus committendum pecunia ſit ſubminiſtrata: ut puta ad veneni mali comparationem, vel etiam ut latronibus aggreſſoribuſque daretur, qui patrem interficerent: parricidii pœna tenebitur: quique quæſierint pecuniam: quique eorum ita crediderint, aut a quo ita caverint* —. Super qua ita Gloſſa — *Et nota argumentum contra proxenetas, ut teneantur reddere uſuras ſecundum Eccleſiam ac ſi ipſi accepiſſent* —. Eos paritate rationis condemnat etiam L. *Is, cujus ope* ff. *ad Legem Juliam de adulteriis*, in cujus principio ita ſcriptum eſt — *Is, cujus ope, conſilio, dolo malo factum eſt, ut vir, fœminave in adulterio deprehenſa, pecunia, aliave qua pactione ſe redimerent, eadem pœna damnatur, quæ conſtituta eſt in eos, qui lenocinii crimine damnantur* —. Id tamen

Digitized by Google

men intellige juxta diſtinctionem traditam a Sanctis Antonino, & Bernardino, quam brevibus complectitur Gabriel Antoine *de Contractibus* part.2. cap.3. q.21. eos uſurariorum cooperatores enumerans, qui reſtituere tenentur — *Sexto. Proxenetæ, hoc eſt qui quærunt eos, qui pecunia indigent, adducuntque ad uſurarios, dum iſto modo partes agunt uſurarii. At non tenentur, dum agunt partes mutuatarii, quia tunc beneficium ei præſtant, & non eſt in eorum poteſtate, ut gratis mutuum detur* —.

Exponendum nunc ſupereſt, quo ordine teneantur reſtituere. Id egregie declaravit Frater Baptiſta de Troamala Ord. Min. Obſervantiæ in ſua Roſella ver. *Reſtitutio nono* num. 2. inquiens — *Hoſtienſis autem, & Goffredus in eorum Summis, quos ſequitur Joannes Andreæ in dictum caput MICHAEL, ut refert Panormitanus ibi, concludunt, quod aut principalis eſt ſolvendo, & tunc talis non tenetur ad reſtitutionem; alias ſecus. Et hæc opinio placet Panormitano: ex quo dedit cauſam delicto, teneatur, alio non valente ſatisfacere. Quidam tamen Summiſtæ dicunt, quod perſonetæ, & hujuſmodi tenentur in ſubſidium, puta quando uſurarius, vel principalis non eſt ſolvendo, vel non vult ſolvere. Secundum autem opinionem immediate præcedentem, quamdiu uſurarius eſt ſolvendo, perſonetæ, & hujuſmodi non tenentur ad reſtitutionem. Ultima tamen opinio videtur practicanda in foro animæ, quæ cedit in favorem creditorum, & ad deonerationem Confeſſorum, licet alia opinio ſit probabilis, fulta auctoritate famoſorum Doctorum* —. Et mihi poſtrema opinio videtur ſatis æqua, hancque ſequitur Antoine ibidem quæſitum ſuum ita proponens — *An cooperatores uſurarii teneantur ad reſtitutionem in ejus defectum?* quoniam ſi proxenetæ ſcientes & volentes in cauſa fuerunt, cur mutuatarius ſolvit uſuras indebitas, æquum non eſt, ut quando uſurarius non eſt ſolvendo, vel non vult reſtituere, ipſi a nemine reſtituantur.

Dum paullo antea a S. Antonino audiviſti, quod mutuum accipiens ſub uſuris peccat mortaliter, id intellige in caſibus ab eodem expoſitis, quando ſcilicet neceſſitas eum non compellit ad ſic mutuo accipiendum. Nemine ſiquidem refragante, dum neceſſitas ſic eum compellit, nec Evangelicum mutuatorem reperire poteſt, immunis ipſe eſt ab omni culpa. Quod ſi petas abs me: qualis & quanta eſſe debeat iſtiuſmodi neceſſitas? Habeto laudabile reſponſum S. Bernardini loco proxime indicato — *Pro quanta autem neceſſitate hoc licitum ſit, non facile definitur, cum id plus doceat unctio charitatis, & conſcientia bona, quam ars, ſeu ſcientia acquiſita: non tamen neceſſe eſt expectare extremam neceſſitatem* —.

QUINTUM DUBIUM. Utrum Notarii, qui conficiunt Inſtrumenta de ſolvendo debito uſurarum, teneantur omnem uſuram reſtituere?

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo ſecundum Gerardum Obdonum ; quod aut tegunt uſuras in Inſtrumentis, aut non. Si ſic, puta quia faciunt chartas duplicatas, & hujuſmodi, tenentur totam uſuram reſtituere, ſi reſtituere non vult uſurarius: niſi hoc feciſſent in favorem potius receptoris mutui, quam uſurarii ſecundum quoſdam, quod placet. Si autem non tegunt uſuras, ſed hæ patent aperte in Inſtrumento, tunc non tenentur: quia non dant cauſam efficacem. Quod credo verum, demptis iis locis, in quibus per talia Inſtrumenta recipientes mutuum coguntur in judicio ad ſolvendas uſuras: quia tunc tenentur. Et tales ſecundum Hoſtienſem ſunt perjurii, & infames, & per conſequens omnes actus legitimi ſunt eis interdicti cap. *Ex quodam primo* tit. *de teſtibus*, & concordat Archidiaconus in cap. *Sicut non ſuo* 46. diſt. Quod dictum Hoſtienſis eſt verum in illis partibus, in quibus, cum Notarii creantur, jurant non conficiendi talia Inſtrumenta; alias non ſunt perjurii.

(35) Eodem prorſus modo reſpondet S. Antoninus loco ſuperius laudato §. 6., S. Bernardinus cap. ſupra memorato, Roſella ver. *Reſtitutio ſexto* num. 4., Nicolaus de Auximo in Supplemento ver. *Reſtitutio quinto*, aliique, & ex Recentioribus Gabriel Antoine loco nuper indicato inquiens — Notarius conficiens inſtrumentum, fingens licitos contractus, vel falſos ſcribens, ut cum dantur centum, ipſe ſcribit centum viginti &c. Niſi id faciat poſtulante mutuatario; tunc enim, licet mortaliter peccet, & ſit *perjurus*, tamen non tenetur ad reſtitutionem: quia ſponte volenti, & roganti non fit injuria.

De Notariis ſcienter conficientibus Inſtrumenta uſuram continentia ſcribit Aſteſanus lib. 3. tit. 11. art. 5. ubi *quid de Notariis* — Perjurii ſunt, quia, quando creantur, jurant quod bene facient, & non male. Ergo nec de cætero teſtificari poterunt, nec conficere inſtrumenta. Perjurus enim teſtificari non poteſt, quantumcumque egerit pœnitentiam Extra *de teſtibus* cap. *Ex parte*, & cap. finali. Et hi etiam ſunt infames, quibus ſunt actus legitimi interdicti Extra *de teſtibus* cap. *Licet ex quodam* —. Hæc ille. Merito iccirco ſecus operantes gravibus pœnis voluit eſſe obnoxios Ludovicus XII. Rex Galliarum in ſuo Edicto lato menſe Martio 1499. — *Interdiximus, & prohibuimus: interdicimus, & prohibemus quibuſvis Tabellionibus,*

*ne*

*ne ullum contractum fœneratitium ſcribant, pœna privandæ dignitatis, & mulctæ arbitrariæ* — . Hi ſiquidem proculdubio efficiuntur participes ejuſdem criminis, ſicuti definitum fuit in Concilio Rhemenſi habito anno 1583. a Ludovico Cardinali Guiſio, & a Summo Pontifice Gregorio XIII. approbato, tit de tœnore §. 4. — *Actuarii, ſeu Notarii uſurarum, Proxenetæ, omneſque, qui contractibus uſurariis aliquam operam, vel conſenſum præbent, ejuſdem criminis cenſeantur eſſe participes*.

Poſtulabis: an Notarii in iis caſibus, in quibus ad reſtitutionem teneantur, ſi uſurarius ipſe non reſtituat, reſtituere etiam debeant mercedem acceptam?

Reſpondet S. Antoninus ibidem ſcribens — *Si tamen ab hoc recipiunt pecuniam, non tenentur reſtituere: quia receperunt eam pro opere ſuo, quamvis illicito. Videtur tamen, quod debeant illam pauperibus erogare. Arg. 14. q. 5. cap. NON SANE.*

Sextum Dubium. Utrum teſtes adhibiti in talibus Inſtrumentis uſurariis teneantur & ipſi, ſicut de Notariis dictum eſt in præcedenti dubio?

Reſpondeo, quod ſic in ſolidum ſecundum prædictam diſtinctionem: quia Inſtrumenta ſine teſtibus non valent.

(36) De his ſcribit S. Bernardinus capite ſupra laudato — *Quarti ſunt uſurarum teſtes, qui, ſi ſcienter inſtrumentis uſurariis conſentiunt eſſe teſtes, & peccant, & ſatisfacere obligantur ſecundum diſtinctionem, quæ de Notariis facta eſt: cum conſtet inſtrumentum ſine teſtibus non obtinere robur. Unde ſecundum quoſdam huic impio lucro præſtant cauſam efficacem* — . Id expreſſim ſcribit Roſella ver. *Reſtitutio ſexto* num. 7.; & quidem jure; quoniam, ſi inſtrumentum ſine teſtibus nullius eſt roboris, ſi inſtrumentum dat actionem mutuatori adverſus mutuatarium, ſponte fluit teſtes tamquam cauſam efficacem influere in impium lucrum, quod inde extorquetur.

Scias hic oportet proxenetas non poſſe aſſumi in teſtes eorum negotiorum, in quibus ipſi egerunt partes mediatoris. Id vetat jus civile L. *Mandatis* ff. *de teſtibus* — *Mandatis cavetur, ut Præſides attendant, ne patroni in cauſa, cui patrocinium præſtiterunt, teſtimonium dicant: quod & in executoribus negotiorum obſervandum eſt* — . Id vetitum pariter fuit jure canonico a Gregorio IX. cap. *Mediatores* in Sexto *de teſtibus* — *Mediatores, per quos ſcelus ſimoniæ plerumque committitur, ad teſtimonium contra ſceleris ejuſdem auctores (in deteſtationem criminis) admittuntur, ſi non agatur criminaliter, ſed civiliter; & emolumentum exinde non fuerint aſſecuti* — . Super quo ad rem Gloſſa — *Corrigit etiam, quod notat Goffredus in Summa de Simo-*

*Simonia in ſine, ubi ſimpliciter dicit hos mediatores a teſtimonio repellendos* —. Id intellige niſi accedat conſenſus ambarum partium in quarum favorem ita fuit conſtitutum; hoc enim accedente quicumque mediatores aſſumi poſſunt in teſtes, ſicuti ſancitum eſt Authentica *de teſtibus* cap. *Quoniam vero* — *Quoniam vero legem propoſuimus in pecuniariis cauſis nolentes teſtificari illos non compellendos teſtimonium dare, qui ante mediatores facti ſunt ipſis, & quidam abutuntur hoc, & teſtimonio nolunt uti: ſancimus ſi utraque pars conſentiat, quod & mediator eorum fiat teſtificator* —.

SEPTIMUM DUBIUM. Utrum Advocati, & Procuratores, quorum patrocinio, & favore vel ſcienter in judicio, & extra judicium uſuræ exiguntur, vel fit ne uſuræ reſtituantur, teneantur ad reſtitutionem?

Reſpondeo, quod ſic, & in ſolidum. Nec excuſantur ex eo, quod forte ſcripturæ eis porrectæ apparebant juſtæ, & non de contractibus uſurarum, ſi conſcientia eis dictabat quod continebant uſuras. Et hoc tenent Hoſtienſis, & Innocentius in cap. *Michael* de uſuris, nec non Archidiaconus in cap. *Si quis oblitus* 14. q. 4.

(37) Addit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 35. art. 2. cap. 2. — *Et licet ſcripturæ, quæ eis porriguntur, appareant juſtæ, & non de contractibus uſurarum; tamen, quia de talibus fallaciis ſunt, & eſſe debent experti, & moniti, ideo in talibus eorum conſcientia requirenda eſt* —. Addit Roſella ver. *Reſtitutio nono* num. 5. — *Debent enim eſſe experti in talibus, cum multoties eis porrigantur cartæ apparentes juſtæ, & non de contractibus uſurariis, cum tamen ſint. Idem Scotus in 4., qui addit, quod defendentes ſcienter cauſam injuſtam, non ſolum tenentur parti læſæ, ſed etiam tenentur parti, quam defendunt, ſalarium reſtituere. Quod verum eſt etiam, quando per ignorantiam, vel negligentiam pars damnificatur. Et idem de Judice* —.

Confert mirifice quod ſcribit S. Thomas 2. 2. q. 71. art. 3. in corpore — *Dicendum, quod illicitum eſt alicui cooperari ad malum faciendum ſive conſulendo, ſive adjuvando, ſive qualitercumque conſentiendo: quia conſilians, & coadjuvans quodammodo eſt faciens. Et Apoſtolus dicit ad Rom. 1., quod digni ſunt morte non ſolum qui faciunt peccatum, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Unde & ſupra dictum eſt: quod omnes tales ad reſtitutionem tenentur. Manifeſtum eſt autem, quod Advocatus auxilium, & conſilium præſtat ei, cujus cauſæ patrocinatur. Unde ſi ſcienter injuſtam cauſam defendit, abſque dubio graviter peccat, & ad reſtitutionem tenetur ejus damni, quod* con-

Digitized by Google

*contra juſtitiam per ejus auxilium altera pars incurrit . Si autem ignoranter injuſtam cauſam defendit , putans eſſe juſtam , excuſatur ſecundum modum , quo ignorantia excuſari poteſt —.*

Quid interim agere tenebitur hic Advocatus cognita injuſtitia cauſæ, quam prius ignorabat, cognita ſcilicet uſura in Scripturis contenta? Huic quæſito reſpondet idem S. Thomas ibidem *ad ſecundum* ſcribens — *Dicendum, quod Advocatus ſi in principio credidit cauſam juſtam, eſſe & poſtea in proceſſu appareat eam eſſe injuſtam, non debet eam prodere, ut ſcilicet aliam partem juvet, vel ſecreta ſuæ cauſæ alteri parti revelet; poteſt tamen & debet cauſam deſerere, vel eum, cujus cauſam agit, ad cedendum inducere, ſive ad componendum ſine adverſarii damno* —. Preme hæc poſtrema Sancti Doctoris verba — *ſine adverſarii damno*: quoniam in materia uſurarum arbitror compoſitionem fieri quidem poſſe quoad expenſas, quibus partes litigantes fuerunt obnoxiæ, non tamen quoad ipſas uſuras: quum hæ omni jure ſint prohibitæ, & illud minus, ad quod per compoſitionem reducerentur, adhuc haberet rationem uſuræ: quum inſuper compoſitio non poſſit efficere, ut illud minus omnino liberaliter elargiatur, quod neceſſum eſt, ut auctarium ſit ab uſura liberum.

OCTAVUM DUBIUM. Utrum Domini terrarum, qui non cogunt uſurarios in terris ſuis morantes, ut uſuras reſtituant, teneantur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Doctores, quod ſic, & in ſolidum, ſi poſſunt hoc facere, & non faciunt, etiamſi nihil pervenerit ad eos de uſuris. Alexander tamen Lombardus dicit, quod, etſi mortaliter peccent, reſtituere tamen non tenentur niſi in quantum pervenerit ad eos. Et hoc credo verum, niſi requiſiti forent a creditoribus: quia tunc, ſi non compellunt eos ad reſtitutionem, tenentur ipſi, ſicuti dicunt Doctores. Arguitur cap. *Sicut dignum* §. 3. Extra *de homicidio*. De Judæis autem credo veram indiſtincte opinionem Doctorum, videlicet quod Domini teneantur, ſi non faciunt, ut reſtituant: quoniam hoc eis præcipitur ab Eccleſia in cap. *Poſt miſerabilem* Extra *de uſuris*.

(38) In hanc Alexandri Lombardi opinionem deſcendunt Author ipſe in Angelica ver. *Reſtitutio primo* ubi de Uſurario num. 9., Roſella ver. *Reſtitutio nono* num. 12., & Aſtenſis Lib. 3. art. 7. ubi *Quid de Regibus*. Po-

tior ipſorum ratio videtur eſſe illa, quam profert Roſella ibidem, nempe — *Quod non eſt ſimile de auctoribus mali, qui ſunt cauſa per ſe ejuſdem mali, & de illis, qui ſunt magis cauſa per accidens mali: puta quod tale malum conſervetur in patria, vel libere fiat* —. Huic tamen opinioni non acquieſcit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 35. art. 2. cap. 2., ſed ea declarata ſubdit —. *Sed forte melius ſenſit Wilielmus dicens, quod tales, qui cum poſſint, non compellunt ad reſtituendum uſuras, tenentur, etiamſi nihil pervenit ad eos. Cujus ratio poteſt eſſe: quia, ſicut ſupradictum eſt, habent hoc ab Eccleſia in praeceptum ſaltem de Judaeis, quod ſi non obſervant, cum ex eorum officio incumbat eis, interpretatum conſenſum ſe habere demonſtrant juxta illud — NEC CARET SCRUPULO CONCESSIONIS OCCULTÆ, QUI MANIFESTO FACINORI DESINIT OBVIARE* — Extra *de homicidio* cap. *Sicut dignum* §. 2. Et reipſa, quum ſcriptum ſit Extra *de officio, & poteſtate Judicis delegati* cap. primo — *Agentes, & conſentientes pari poena Scripturae teſtimonio puniuntur* —: quum ſcriptum ſit 83. diſt. cap. 3. *Error, cui non reſiſtitur, approbatur, & veritas, cum minime defenſatur, opprimitur. Negligere quippe, cum poſſis deturbare perverſos, nihil aliud eſt quam fovere. Nec caret ſcrupulo ſocietatis occultae, qui manifeſto facinori deſinit obviare* —: & capite ſeq. — *Quid enim prodeſt illi, ſuo errore non pollui, qui conſenſum praeſtat erranti?* —: & cap. ibidem proxime ſequenti — *Conſentire videtur erranti, qui ad reſecanda; quae corrigi debent, non occurrit* —: non video cur Reges, Principes, & terrarum Domini, de quibus in caſu, reſtituere non teneantur ſemel atque uſurarii ipſi non reſtituunt, dum certi ſunt, & probare facile poſſunt hos uſuras jugiter exercere. In ipſorum poteſtate eſt uſuras permittere, vel impedire, immo uſurarios ipſos in proprio dominio tolerare, vel ejicere. Ex officio invigilare ipſi tenentur, quod in propria ditione unus alterum non gravet injuſte, quod vitia non graſſentur impune. Dum igitur tacent, & tacendo conſentiunt: dum non impediunt quod impedire facile poſſunt; immo id ſciunt, & permittunt; immo id vident, & non improbant: quis unquam dubitare poterit, eos fieri ejuſdem criminis participes, & per conſequens teneri ad reſtitutionem?

Id quidem injunctum expreſſim eis fuit quoad Judaeos ab Inno. III. cap. *Poſt miſerabilem — Judaeos ad remittendas Chriſtianis uſuras per Principes, & Poteſtates compelli praecipimus ſeculares. Et donec eis remiſerint, ab univerſis Chriſtifidelibus tam in mercimoniis, quam in aliis, per excommunicationis ſententiam eis jubemus communionem omnimodam denegari* —. Sed quum caeteri ex aequo ac Judaei ſubjiciantur Principibus, eorumque mandatis, paritate rationis infertur, Principes etiam caeteros uſurarios poſſe, ac debere compellere ad reſtitutionem uſurarum.

Nonum Dubium. Utrum illi, qui incurrunt Excommunica-

nicationem poſitam in cap. *Ex gravi* in Clementinis *de uſuris*, teneantur ad reſtitutionem uſurarum?

Reſpondeo, quod ſic, & quidem in ſolidum, niſi uſurarii ipſi reſtituant: quia iſti damno proximi dant cauſam efficacem. Et ſunt primo, illi Officiales omnes, qui faciunt ſtatuta, vel dictant, vel ſcribere faciunt, vel ſcribunt, quod uſuræ poſſint exigi, vel quod ſolutæ, cum repetuntur, non reſtituantur. Secundo, illi qui ad ſolvendas uſuras debitores compellunt, niſi hi juraſſent ſolvere: quia tunc tenentur ad ſolutionem, tametſi eas poſtmodum poſſint repetere cap. *Debitores* Extra *de jure jurando*. Tertio, illi Officiales, qui judicant, quod ſolvantur uſuræ. Quarto, illi, qui operam dant cum effectu, ut uſuræ ſolutæ non repetantur. Quinto, illi, qui poſſunt delere de libris Communitatum Statuta edita in favorem uſurarum, & infra tres menſes ea non delent. Sexto, illi, qui obſervant conſuetudines effectum uſurarum habentes.

(39) **En cap.** *Ex gravi* **editum a Clemente V. in Concilio Viennenſi** — *Ex gravi ad nos inſinuatione pervenit, quod quorumdam Communitates locorum in offenſam Dei, & proximi, ac contra jura divina pariter & humana, uſurariam approbantes quodammodo pravitatem, per ſtatuta ſua juramento quandoque firmata, uſuras exigi, & ſolvi nedum concedunt, ſed ad ſolvendas eas debitores ſcienter compellunt, ac juxta ipſorum continentiam ſtatutorum gravia imponendo plerumque uſuras repetentibus onera, aliiſque utendo ſuper his diverſis coloribus, & fraudibus exquiſitis, repetitionem impediunt earumdem. Nos igitur pernicioſis his auſibus obviare volentes, ſacro approbante Concilio ſtatuimus, ut quicumque Communitatum ipſarum Poteſtates, Capitanei, Rectores, Conſules, Judices, Conſiliarii, aut alii quivis Officiales, ſtatuta hujuſmodi de cætero facere, ſcribere, vel dictare; aut quod ſolvantur uſuræ, vel quod ſolutæ, cum repetuntur, non reſtituantur plene ac libere, ſcienter judicare præſumpſerint, ſententiam excommunicationis incurrant. Eandem etiam ſententiam incurſuri, niſi ſtatuta hujuſmodi hactenus edita, de libris Communitatum ipſarum (ſi ſuper hoc poteſtatem habuerint) intra tres menſes deleverint, aut ſi ipſa ſtatuta, ſive conſuetudines effectum eorum habentes quoquo modo præſumpſerint obſervare* —.

En caput *Debitores* itidem ab Authore laudatum — *Debitores ad ſolvendas uſuras, in quibus ſe obligaverant, cogi non debent. Si vero de ipſarum ſolutione juraverint, cogendi ſunt Domino reddere juramentum. Et cum*

*uſuræ*

*uſuræ ſolutæ fuerint, creditores ad eas reſtituendas ſunt Eccleſiaſtica ſeveritate (ſi neceſſe fuerit) compellendi —.*

Quod hi omnes ad reſtitutionem teneantur in ſolidum, nemo unus, ut puto, id in controverſiam vocare poteſt, quum nimis aperta ſit eorum participatio in crimine uſurarum, puros ſi demas, putoſque ſcribentes impia ſtatuta in earum favorem. Sed quum ſermo hic ſit de iis, qui ejuſmodi ſtatuta ſcribunt in Libris publicis, ſeu Communitatum, quæ ſic ſcripta induunt naturam legis, quiſque videt eos participare in crimine crimiuoſo; & iccirco iiſdem pœnis, & oneribus eſſe obnoxios, quibus ſubjiciuntur illi, qui eadem ſtatuta conficiunt, vel dictant.

DECIMUM DUBIUM. Utrum Prælati, qui ſe ſubſcribunt, atque ſigillo muniunt cedulas uſurariorum, teneantur ad reſtitutionem?

Reſpondeo, quod aut in ipſis cedulis patet uſura, aut non. Si patet, vel etiamſi non pateat, Prælatus tamen ſcit contractum in iis contentum eſſe uſurarium, tunc particeps eſt uſuræ: quia Inſtrumenta fiunt authentica per talem ſubſcriptionem. Si autem uſura non patet, nec Prælatus credit in iis contineri uſnram, tunc non tenetur. Concordant Hoſtienſis, Goffredus, & Directorium tit. *de uſuris*.

(40) Caſum hunc expendunt Aſtenſis lib. 3. art. 5., ubi *quid de Prælatis*, S. Antouinus jam laudatus §. 7., S. Bernardinus ſerm. ſupra memorato art. 3. cap. 3., Roſella *Reſtitutio ſexto* num. 9., & omnes reſpondent Hoſtienſis verba proferentes. Et ipſe igitur eadem proferam *de uſuris* §. *In aliis autem caſibus* in fine — *Quid de Prælatis ſubſcribentibus, & ſigillantibus*. Si Prælatus non legit tenorem, vel legit, ſed uſura velata eſt, quia forte apponitur major quantitas, quam in veritate mutuata ſit, nec diligenter ſcrutatur, & inquirit, & ideo non intelligit, fatue agit, ſed in veritate non conſentit C. *Plus valere quod agitur* L. finali, ff. *de pigneratitia actione* L. *Gajus*. Si vero legit, & veritatem invenit, particeps eſt uſurarum, etſi non commodi, nam ſubſcriptio in multis juris articulis conſenſum, & approbatiouem inducit: ſupra *de ſententia, & re judicata* cap. *Cum inter vos*, C. *Si certum petatur* L. *Mutuum*, C. *de rebus alienis non alienandis* L. 2. Et cum ſigilla Prælatorum reddant inſtrumenta authentica, ſupra *de fide inſtrumentorum*, cap. *Scripta*, Laici per hoc credentes contractus hujuſmodi per Eccleſiam approbari ſecúrius peccant. Et ideo de Prælatis talibus dici poteſt — *laqueus juvenum omnes vos* — 2. q. 7. cap. *Paulus*. Quamvis

vis autem quoad laicos uſuras recipere divini dignum animadverſione judicii habeatur, majorem tamen incurrunt formidinem, & fomitem ſui erroris in Prælatis inveniunt, dum eos in devia mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad viam vitæ fuerunt revocandi, ſicut alias dicitur in caſu conſimili, ſupra *de decimis* cap. *Quamvis* — Hæc ille.

UNDECIMUM DUBIUM. Utrum Socii, tutores. factores, vel matres viduæ, & hujuſmodi apud quos reſidet quaſi principalis auctoritas, qui ad uſuram dant, & uſuras exigunt in perſonis uſurariorum, aut pupillorum, teneantur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Rodonenſem, quod ſic, & in ſolidum, ſi illi, pro quibus dederunt ad uſuram, vel nolunt, vel non poſſunt reſtituere: quia auctores fuerunt talium contractuum, & ſic damni dederunt cauſam efficacem. Concordant Alexander Lombardus, Goffredus, & Doctores.

(41) Egregie more ſuo S. Antoninus ſupra laudatus §. 3. — *Sicut prohibetur aliquis accipere uſuras nomine ſuo, ita & alieno diſt. 46. cap. Sicut non ſuo. Et ſi accipit alieno nomine, tenetur ad reſtitutionem, ſi ille, cujus nomine accepit, non eſt ſolvendo, vel non vult reſtituere; nam faciens, & conſentiens pari pœna puniuntur 2. q. 1. cap. NOTUM in fine. Sed ſecundum quod addit Hoſtienſis: ille, in cujus utilitatem verſum eſt, primo & principaliter tenetur, alius in ſubſidium. Et hæc indubitanter vera ſunt de tutore, curatore, & procuratore, pro eo quod præſtant auctoritatem talibus. Secus de eo, qui nudum præbet miniſterium, ut dicetur in ſequenti paragrapho* —. Accipe nunc caput *Sicut non ſuo* hic indicatum — *Sicut non ſuo, ita nec alieno nomine aliquis Clericorum exercere fœnus attentet* — Ratio in promptu eſt. Uſura in ſe illicita eſt, & vetita jure naturæ, divino, & canonico. Sive igitur proprio, ſive alieno nomine exerceatur, naturam non immutat, ſed ſemper remanet prohibita; & iccirco ſecum ferens onus reſtitutionis eidem indiſpenſabiliter adnexum.

Pallium pupillorum non eſt ſufficiens ad purgandas uſuras; immo & ſub hoc pallio expreſſim interdictæ fuerunt, & improbatæ in Conc. Mediolan. 1. cap. *de uſuris* in hæc verba — *Ex mutuo, vel depoſitis etiam apud Judæum factis nihil præter ſortem a quovis homine percipi ex convento, vel principaliter ſperari poſſit; tametſi pecuniæ ipſæ ſint pupillorum, aut viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales, niſi quatenus jure nominatim permittatur* —. Item in Concilio Mechlinienſi tit. *de uſuris* — *Quoniam uſura*

Digitized by Google

*ra jure divino, & canonico omnibus Chriſtianis ſub pœna peccati mortalis interdicitur, neque facienda ſunt mala, ut eveniant bona: Sancta Synodus ſtatuit, & ordinat, ne quis tutor, aut curator ſub prætextu augendi patrimonii pupillorum, aut ſub eorum curatela exiſtentium, pecunias illorum ſub certo lucro ſingulis annis ultra ſortem recipiendo, mutuo det, retenta facultate repetendæ ſortis: declarando hujuſmodi omnes contractus uſurarios, & contra, ut præmittitur, mutuantes tamquam uſurarios ad pœnam juris procedendum* — . Immo & ab ipſis ſæcularibus Principibus id fuit vetitum. En quod ad rem ſcribit Colletus in ſuis Inſtit. *de contractibus* part. 2. cap. 2. art. 5. Concluſ. 4. — Uſura per ſe mala eſt, & illicita. Ergo non magis in pupillorum, quam in aliorum gratiam exerceri poteſt, præſertim in hoc Regno, in quo divinæ legi accedit Principis auctoritas. Sic generaliter Henricus III. in Comitiis Bleſenſibus — *Difendons a toutes perſonnes de quelque qualitè & condition, qu'elles ſoient d'exercer uſure* — . Buochel in Bibliotheca ſua ſic habet — . *Cette prohibition d'uſure porteè par la loi de France eſt general, & ne recoit limitation pour la faveur des pupilles, ou autres perſonnes* — . Retert etiam auctor Collationum Diœceſis Lucionenſis (Tom. 2. Collat. 35. q. 3.) deciſionem a celebribus octo Pariſienſis Curiæ Advocatis emiſſam, quæ ſic habet — *Le Parlement de Paris n'auctoriſe point les preſte, qui ſe font par les tuteurs des deniers de leurs pupilles a intereſt .... & cela n'eſt permis que quand il y a alienation du ſort principal par un contrat de conſtitution, ou contrat equipollent* — . Et infra — *Si le tuteur raportoit des preuve, comme il n'a pu trouver a colloquer les deniers du pupille, il pourroit en connoiſſance de la cauſe eſtre de charge deſt intereſt* — . Hæc ille.

Utiles igitur tutores reddant pecunias pupillares emendo prædia frugifera, vel cenſus legitimos, aut honeſtam cum mercatoribus ineundo ſocietatem, aut alia via Evangelio conſentanea; complures enim ſe ſe offerunt modi utiliter agendi negotia pupillorum, quin hoc fiat mediis uſuris, & de pretio iniquitatis. Quod ſi quandoque contingat, vel hujuſmodi media ad lucrandum licita non eſſe in promptu, vel & ipſa non vacare periculis: in primo caſu eos liberat a ſolvendo quod intereſt L. *Si pecuniam* C. *de uſuris pupillaribus* — *Si pecuniam pupillarem neque idoneis hominibus credere, neque in emptionem poſſeſſionum convertere potuiſti, non ignorabit Judex uſuras ejus a te exigi non oportere* — . Et in ſecundo eos itidem liberat L. *Tutoribus* C. *de periculo tutorum* — *Tutoribus, vel Curatoribus fortuitos caſus, adverſus quos caveri non potuit, imputari non oportere, ſæpe reſcriptum eſt* — : & præſertim ſi nihil ex his agant, niſi Judice probante, confirmante, & decernente.

Duodecimum Dubium. Utrum famuli deſtinati ad ſolam manualem traditionem uſurarum, qui nec taxant pretium

in

in contractibus uſurariis, nec contrahunt pactum de uſura cum accipientibus mutuum, ſed unice pecuniam tradunt, & pignus accipiunt, teneantur ſicut illi, de quibus dictum eſt in præcedenti dubio?

Reſpondeo ſecundum Gerardum Obdonum, & Doctores, quod non, quamvis mortaliter peccent: quod credo verum, niſi per vim uſuras exigant, quia tunc tenerentur.

(42) In hanc eandem doctrinam mirifice conveniunt S. Antoninus ſupra memoratus §. 4., S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 35. art. 1. cap. 1., aliique; immo & ipſe Gabriel Antoine loco jam indicato ſcribens — *Qui autem ita remote concurrunt, ut non cenſeantur cauſa damni mutuatario illati, non tenentur reſtituere: quales ſunt ſecundum multos famuli, qui recipiunt pignora, eaque cuſtodiunt, qui numerant pecuniam, qui referunt omnia in librum rationum. Quia non cenſentur cauſa damni, cum independenter ab illorum opera illatum ſit; & quia circa illorum operam non eſt invitus mutuatarius, nec de illa rationabiliter conqueri poteſt* —. Daniel Concina lib. 3. *de juſtitia & jure* Diſſert. 3. cap. 23. q. 4. vult & non vult eos eſſe reſtitutioni obnoxios. En ipſius verba — *Diſtinguunt Auctores miniſtros, qui officia exercent minus proxima ad uſuras, ut ſcribere, numerare pecunias, cuſtodire illas: & hos non teneri ad reſtitutionem docent; immo nec peccare: quemadmodum inquiunt famulæ, quæ aperiunt portam, quæ ſternunt lectum ad fornicandum, ne ſuam perdant commoditatem, ſeu mercedem. Hæc opinio, ad peccatum quod attinet, mihi falſa eſt, & laxa. Hic & nunc actiones iſtæ influunt in peccatum, ut alibi demonſtravimus: & ſimiles opiniones continentur in propoſitione damnata de eo, qui ſcalam tenet hero aſcendenti ad fornicandum. Num poſtea præfati miniſtri ab onere reſtitutionis excuſentur ob bonam fidem, & ignorantiam, fateor me prorſus ignorare. Si praxim ſpectes, communiter iſti ſunt impares ad reſtituendum. Unum mihi certum eſt, videlicet cogendos ejuſmodi miniſtros eſſe, ut a ſimili miniſterio recedant; quidquid dicant juniores plures in oppoſitum. Scribere, numerare pecunias, ſicut & tenere ſcalam præfato hero, ſunt actiones adiaphoræ abſolute ſpectatæ; at in his circumſtantiis ſunt vitioſæ. Cooperantur hujuſmodi miniſtri peccato injuſtitiæ. Quare, admiſſa cooperatione hac, ſuapte natura conſequi videtur reſtitutionis onus. Sed, ut dixi, an bona fides, an ignorantia excuſet, profecto iguoro. Miniſtris iſtis numquam auctor eſſem, ut fœneratoribus inſervirent; & ſic numquam eſſent reſtitutioni obnoxii. Si caſus mihi occurreret, primum omnium eoſdem, ut a miniſterio ſe abdicarent, cogerem, niſi gravis neceſſitas pro aliquo tempore congruam ſuaderet dilationem. Ob elapſum miniſterium præſtitum non ſubjicerem reſtitutionis oneri, niſi*

*conſultis viris doctis, probiſque, Deoque fuſis precibus ad lumen impetrandum* — . Placet ſummopere, quod poſt Monaldum docet Aſteſanus noſter lib. 3. tit. 11. art. 7. ubi *Sed numquid illi ſervientes* — *Aliqui vero, ut Monaldus, diſtinguunt dicentes, quod ſerviens aut mutuat pecuniam Domini ſui ad uſuram de generali mandato Domini dicentis ſibi, quod mutuet cuicumque voluerit pecuniam ad uſuram ſub nomine ipſius Domini, & tunc ſerviens tenetur ad reſtitutionem, ſi Dominus non reſtituat: quia eſt in hoc principalis, & in optione ejus eſt mutuare, & non mutuare. Aut hoc facit de ſpeciali mandato Domini ſic mandantis ſibi: mutua de pecunia mea decem libras nomine meo: & tunc, licet peccet hoc faciendo, tamen non tenetur ad reſtitutionem* — .

Dum interim a Concina audiſti, quod Auctores (indefinite) docent hos non peccare; ne credas hanc fuiſſe, vel eſſe doctrinam a cæteris Auctoribus traditam, uno dempto Concina: quoniam & Auctor tum hic, tum in Angelica ver. *Reſtitutio primo* ubi de Uſurario num. 10., & S. Bernardinus, & S. Antoninus, & Monaldus, & Gerardus Obdonus, & Aſteſanus, & Roſella, & Nicolaus de Auximo, & cæteri, quos vidi, omnes uno ore ingenue fatentur, quod hi famuli, ſeu miniſtri peccant, & mortaliter peccant. Forte id docuit unus vel alter neſcio quis, quos merito improbat Concina, quum ejuſmodi famuli reipſa manifeſtæ cooperentur iniquitati.

Excipit Author caſum, in quo per vim uſuras exigunt, & extorquent: quia hoc excedit nudum, & ſimplicem famulatum: quia ita ſe gerentes induunt naturam principalium relate ad talem exactionem uſurarum: quia demum præbent cauſam efficacem damni, immo violentam. Jure igitur vult eos in hoc caſu eſſe reſtitutioni obnoxios.

TERTIUMDECIMUM DUBIUM. Utrum tutores, curatores, & quicumque alii, qui, etſi non fecerint contractus illicitos, exigunt tamen pro pupillis uſuras vi cotractuum, qui prius facti ſunt, teneantur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Alexandrum Lombardum, quod ſic, ſi illi, pro quibus exegerunt, non poſſunt, aut nolunt reſtituere: quia uſuræ, & damno dederunt cauſam efficacem. Concordant Raynerius, & Bartholomæus Brixienſis in cap. *Sicut non ſuo* 46. diſt. Et addit Hoſtienſis, in cujus utilitatem verſum eſt lucrum, tenetur principaliter, alter vero in ſubſidium L. *Ex hoc edicto* ff. *de eo per quem factum erit*, & L. *Et eleganter* §. penultimo ff. *de dolo*.

Digitized by Google

*dolo* . Concordant Directorium tit. *de uſuris* , & Panormitanus in cap. *Michael* de uſuris.

(43) Hi ſunt illi , de quibus ſubdidit Concina modo laudatus — *Miniſtri vero illi propinquius arti uſurariæ operam dant , qui uſuras colligunt , qui mutuatarios ad fœnera ſolvenda urgent : & hos communior juniorum ſententia adfirmat peccare contra juſtitiam , & ad reſtitutionem teneri : quia iſti vere in injuſtitiam influxum præbent* — . Addam ego non ſolum juniores, ſed & veteres communiter , aut communius id edocuiſſe , ut Author ipſe hic oſtendit , & videri etiam poteſt apud S. Antoninum loco pluries indicato §. 3. Ad majorem hujuſce rei notitiam non pigeat audire S. Bernardinum To. 1. ſerm. 35. art. 2. cap. 1. — *Primo ſunt tutores , & curatores , qui licet non fecerint ipſi contractus uſurarios pro pupillis , tamen pro eis accipiunt , vel exigunt uſuras . Tales inquam , quia huic impio lucro præſtiterunt ſimilem cauſam efficacem , ſecundum Alexandrum Lombardum reſtituere obligantur : ſi ille , cujus nomine acceperunt , non eſt ſolvendo , vel non vult ſatisfacere . Hoc etiam ſentit Bartholomæus Brixienſis in cap. SICUT NON SUO 46. diſt. , ubi oſtenditur , quod ſicut prohibetur homo uſuras accipere nomine ſuo , ita & nomine alieno . Hujus etiam ratio eſt : quia facientem , & conſentientem par pœna conſtringit 2. q. 1. cap. NOTUM in fine . Immo , quod gravius eſt , ſi tutor nomine pupilli exigit prædictas uſuras etiam poſt depoſitum officium , poteſt agi contra ipſum 46. diſt. cap. SICUT NON SUO in textu , & in Gloſſa : Sed quid faciet tutor , qui a communitate arctatur tutelam ſuſcipere cujuſdam pupilli , qui multa habet ſuſcipere de uſuris ? Dicendum , quod coram Epiſcopo Civitatis , & Poteſtate proteſtari debet , quod a debitoribus non exiget niſi capitale , & de uſura ſe non intromittet : & de hoc faciat fieri publicum Inſtrumentum* — .

Audiamus nunc leges ab Authore productas , eo tendentes , quod , ſi in hoc caſu pupilli non poſſunt , aut nolunt reſtituere , ad reſtitutionem teneantur ipſi tutores . Lege *Ex hoc edicto* §. 1. ſcriptum eſt — *Plane ſi is , qui dolo fecerit , quominus in judicio ſiſtatur , ſolvendo non fuerit ; æquum erit adverſus ipſum reum reſtitutoriam actionem competere : ne propter dolum alienum reus lucrum faciat , & Actor damno adficiatur* — Sancitum fuit L. *Et elegantur* §. penultimo — *Si dolo malo procurator paſſus ſit vincere adverſarium meum , ut abſolveretur : an de dolo mihi actio adverſus eum , qui vicit , competat , poteſt quæri ? Et puto non competere , ſi paratus ſit reus transferre judicium ſub exceptione hac , ſi colluſum eſt : alioquin de dolo actio erit danda , ſcilicet ſi cum procuratore agi non poſſit , quia non eſſet ſolvendo* — .

QUARTUMDECIMUM DUBIUM , Utrum pupillus , pro quo



Digitized by Google

tutor fecit multos contractus uſurarios, teneatur reſtituere?

Reſpondeo, quod ſi pupillus tutori proteſtetur dicens: tu habuiſti tanto tempore pecuniam meam, pro qua mihi debetur lucrum. Ob hoc ego iſta retineo, non pro uſura, quam nolo: non tenetur tunc reſtituere, ſed tutor ipſe tenetur ad reſtitutionem, niſi uſura excederet moderatum lucrum, & intereſſe: quia tunc reſtituere debet exceſſum tutori, qui ſibi ipſi imputare debet imprudentiam ſuam. Si autem pupillus ſic non proteſtatur, & ſcienter recipit uſuras, tunc tenetur ipſe reſtituere, & dein agere contra tutorem, & ab hoc petere intereſſe ſuum.

(44) Huic quæſito reſpondet Colletus in ſuis Inſtitut. *de Contractibus* part. 2. cap. 2. art. 5. poſt Concl. 4. — *Si res uſuraria extet in ſpecie apud pupillum, tenetur eam mutuatario reſtituere; at ſemper recurſum habet in tutorem, ac proinde quomodocumque res ſe habeat, totum, quod hic eſſe poteſt, damnum in tutorem cadit. Si tamen tutor pecunias pupilli ſui bona fide mutuo dediſſet, v. g. ſecundum Provinciæ conſuetudinem, cui neminem repugnare audiiſſet, non teneretur ad reſtituendas uſuras, quas eadem bona fide in pupilli commodum convertiſſet, etiamſi poſtea moneretur contractum hunc uſurarium eſſe, prout docet Habert; ſed non video, cur pupillus ipſe, ſi hinc ditior factus eſſet, a reſtituendo liberaretur* —. Reſpondet Joannes Pontas ver. *Reſtitutio* caſu 28. ſcribens — *Tutori præfato ex debito conſcientiæ incumbit de proprio ſuo argento, non autem de ære pupilli ſui Antonii* 500. *libras reſtituere. Debuit namque in legitimos uſus impendere res pupillares, quas præ manibus habebat, ſive in emendo prædia, ſive in afferendas licitas uſuras ſuo pupillo, ea de re primum pronunciato a Judice judicio ex ſententia conſanguineorum, aut amicorum ejuſdem pupilli. Quod cum infectum reliquerit, tenetur ei præſtare legitimas argenti ipſius uſuras; adeoque remanet obligatus ad uſuras, quas de eodem argento percepit, iis, qui eaſdem el ſolverunt, reſtituendas* —. optime Colletus — optime & Pontaſius. Sed, meo quidem judicio, reſponſum Authoris, quod & S. Bernardini eſt ſermone modo laudato art. 1. cap. 2., rem hanc magis explicat, eamque magis facit eſſe perſpicuam. Non probatur tamen a S. Antonino, qui, loco multoties jam indicato §. 10., poſtquam illud ingenue expoſuit, ita ſubdidit — *Iſta opinio videtur mihi, quod multipliciter deficiat. Et quantum ad primum, poſt factam uſuram a tutore, niſi eſſet ſtatutum in Civitate, quod tutor debeat pro pupillis emere de pecuniis aliquam poſſeſſionem, vel tradere negotiationi;*

Digitized by Google

*tioni ; alias per modum pœnæ debeat reſpondere ſibi ad rationem quinque pro centenario ; vel niſi ipſe etſi pupillus, tamen capax rationis, tutori proteſtatus eſt, quod non exerceat pecuniam niſi in licitis, ſeu negotiis ; alias non credo, quod poſſis petere aliquod intereſſe, ſed lucrum uſurarum per tutorem factum pupillus tenetur reſtituere, & imputetur hoc patri pupilli, qui talem inſtituit tutorem, & non providit in hujuſmodi, ſicut potuit . Quantum ad ſecundum, quod poſſit agere contra tutorem, credo verum eſſe, ſi tutor exercuerit pecuniam pupilli ad ſui ipſius utilitatem ; vel ex negligentia omiſit exercere in licitis mercantiis, vel negotiis, cum poſſet* — . Sed bona Sancti Scriptoris pace . Hoc ſtatutum, vel ſaltem æquivalens habetur in Galliis : novimus enim in Edicto Aurelianenſi promulgato anno 1560. menſe Januarii ita fuiſſe ſancitum — . *Tutores, & Curatores Minorum tenebuntur, ſtatim atque res pupillares deſcripto indice recognitæ fuerunt, diligentiam adhibere vendendis, auctoritate Judicum accedente, rebus mobilibus, quæ natura ſua detrimento ſunt obnoxiæ, & pecuniæ inde provenienti ſimul cum ea, quam invenerint præſentem, atque numeratam, in fœnore, aut in prædiis comparandis collocandæ ex ſententia conſanguineorum, & amicorum, pœna iiſdem impoſita, ſi præſenti Edicto non pareant, uſurarum dictæ pecuniæ proprio ſuo nomine rependarum* — . Et quoad alias Regiones, ſi & ipſæ ſuas non habent peculiares leges idem præſtituentes, iiſdem favet jus commune textu expreſſo in L. *Tutor* §. 1. ff. *de adminiſtratione & periculo tutorum — Si tutor ceſſaverit in diſtractione earum rerum, quæ tempore depereunt, ſuum periculum facit ; debuit enim confeſtim officio ſuo fungi* — & ibidem §. 3. — *Si poſt depoſitionem pecuniæ comparare prædia tutores neglexerunt, incipient in uſuras conveniri. Quamquam enim a Prætore cogi eos oportet ad comparandum, tamen, ſi ceſſent, etiam uſuris plectendi ſunt tarditatis gratia, niſi ſi per eos factum non eſt, quominus compararent* — . Fateor quidem jus canonicum correxiſſe, quod per jus civile ſancitum erat de uſuris pupillaribus, nempe quod pro pecunia pupillorum exigi poſſent uſuræ . Sed quod tutor teneatur ſolvere uſuras pupillo lato modo acceptas, intereſſe ſcilicet, ſi congruo tempore pecunias pupillares non tradit licitis fructibus, hactenus non fuit per jus canonicum emendatum, nec emendabitur unquam. Adhuc igitur in ſuo robore eſt . Quod ſpectat indicatam pupilli proteſtationem, ſi hic eam non edidit, edita ipſa eſt ſemel & iterum tum a Chriſto Domino in Evangelio, tum a Summis Pontificibus in ſuis Conſtitutionibus, quod pecunia videlicet lucro tradatur honeſto, & non uſurario. Negligentiam tandem quod reſpicit, illa ipſa eſt, ob quam Author, & qui cum eo ſentiunt, conſtituunt pupillum poſſe a tutore exigere lucrum, quod poterat, & debebat fieri vel emendo prædia frugifera, cenſuſve permiſſos, vel pecuniam pupillarem honeſtæ ſocietati, & negotiationi tradendo. Animadverſiones igitur a S. Antonino factæ ſuper opinione Authoris eam non infirmant . In tuto iccirco eſt, & in praxi ſequenda .

Sciſci-

Digitized by Google

Sciſcitaberis forſan abs me, quantum ſit lucrum, ſeu intereſſe, quod pupillo debetur, ſi pecunias pupillares tutor relinquit otioſas, & ſteriles? Id, quod ſciam, nec lege communi, nec lege aliqua municipali determinatum fuit, & præſtitutum. Immo, ut arbitror, determinari nequit; pendet enim a varietate Regionum, & temporum. Peritorum igitur arbitrio permittenda res eſt, & ipſorum judicio ſtare in hoc caſu debent & pupillus & tutor.

QUINTUMDECIMUM DUBIUM. Utrum proxenetæ, de quibus in quarto præcedenti dubio dictum eſt, poſſint ab illis, pro quibus uſuras fecerunt, occulte vel invite auferre uſque ad quantitatem uſurarum, ut ipſas reſtituant?

Reſpondeo, quod ſic in foro conſcientiæ, niſi immineat aliquod periculum de illis, quæ exprimentur dubio quarto, titulo undecimo. Excipitur tutor, cui pupillus fecit proteſtationem, de qua ſupra, de cujus rebus non credo, quod tunc poſſit tutor aliquid accipere, quum pupillus eas juſte retineat. Item non poteſt tutor aliquid accipere de bonis pupilli, ſi hujus pecuniam dedit ad uſuram nihil ei dicendo, licet lapſu temporis id ei ſignificet: quia ſecundum quoſdam tunc pupillus non tenetur ei credere, nec obligatur ad reſtitutionem. Ratio eſt, quia pupillus non approbavit factum tutoris, nec tutor ei dixit de uſuris eo tempore, quo debebat; & iccirco ipſe tutor tenetur ad reſtitutionem. Cauti ergo ſint illi, qui a Communitate arctantur ad ſuſcipiendam tutelam illorum, qui habent multum de uſuris: & proteſtentur coram Poteſtate, & Epiſcopo, immo per publicum Inſtrumentum, quod nolunt ſe intromittere circa uſuras.

(45) Ratio primi eſt: quia, ut ibidem dixi, proxenetæ unice tenentur in ſubſidium, quando nempe uſurarius non eſt ſolvendo, aut non vult reſtituere. Res tamen hæc eſt plena periculi, ut inferius dicam loco ab Authore indicato.

Ratio ſecundi eſt: quia tutor tolleret alienum; emiſſa enim proteſtatione auctarium illud pupillo debetur, non tamquam ex mutuo uſurario proveniens, ſed tamquam emolumentum pecuniæ ſuæ pupillaris, quod mediis lici-

licitis procurare debebat tutor, & neglexit. Intellige ſemper, dummodo illud auctarium non excedat licitum intereſſe pupillo debitum.

Tertium ſervato ipſo literarum cortice legitur in S. Bernardino loco proxime citato. Et hoc tamen infirmare conatus eſt S. Antoninus paragrapho modo laudato inquiens — *Quantum ad tertium credo, quod etiam poſt lapſum temporis, cum ſibi conſtat clare lucrum ſibi aſſignatum per tutorem fuiſſe uſurarium, tenetur pupillus reſtituere: niſi, ut dictum eſt contra ſtatutum Civitatis non emiſſet poſſeſſionem, vel alias licite expoſuiſſet pecuniam* —. Sed, quum jam fuerit demonſtratum ubivis gentium vigere legem, qua tutores ſub onere reſtitutionis tenentur utiles reddere, & frugiferas pecunias pupillorum, animadverſio iſthæc nihil Authoris opinioni detrahit. Tutor igitur in hoc caſu reſtituere tenetur uſuras acceptas, & pupillus, in cujus manus devenerunt, poteſt eas retinere, non tamquam fructum mutui uſurarii, quod ſic contigiſſe ipſe tunc non tenetur tutori aſſerenti credere, ſed tamquam fructum licitum pecuniis ſuis pupillaribus debitum.

Sextumdecimum Dubium. Utrum quando Univerſitas, Civitas, Terra, vel Collegium recipit emolumentum uſurarum, quilibet & ſinguli teneantur reſtituere in ſolidum?

Reſpondeo ſecundum Hoſtienſem in Summa tit. *de pœnitentiis & remiſſionibus* §. *Quid de uſurariis*, quod ſic, licet cauſa univerſitatis non ſit cauſa ſingulorum 12. q. 2. cap. *Epiſcopus* 2. §. *Qui manumittitur*. Nec obligantur tamquam Univerſitas, & hujuſmodi, quæ animam non habent, ſed tamquam ſinguli Extra *de uſuris* cap. *Conqueſtus*, 7. q. 1. cap. *Sicut vir*, 24. q. 3. cap. *Si habes*, ff. *Quod metus cauſa* L. *Metum* §. *Animadvertendum*. Concordat Joannes Andreæ poſt Alexandrum in dicto cap. *Conqueſtus*. Sed Monaldus tit. *Uſura quinto*, & Rodonenſis intelligunt hoc verum de Regentibus, & prohibere valentibus, vel compellentibus, aut præcipientibus taliter fœnerari, non autem de aliis, niſi participaverint commodum uſuræ, vel ex hujuſmodi relevati fuerint ab expenſis, quas feciſſent de ſuo: quia tunc in tantum reſtituere tenentur, & non plus; quæ opinio in conſcientia eſt ſatis æqua, & bona.

(46) Super hac re nullum reperio diſſidium, vel minimum, etſi alii minus, magis alii rem exponant, & declarent. Vide S. Antoninum pluries

Digitized by Google

ries laudatum §. 8., S. Bernardinum ſerm. multoties indicato art. 2. cap. 2., Aſteſanum lib. 3. art. 7. ubi *Quid de Communitatibus*, Roſellam ver. *Reſtitutio nono* num. 10., & ſeq., alioſque. Immo & Hoſtienſis ipſe Monaldi, & Rodonenſis declarationem adamavit inquiens – *Quod intellige de his, quibus in mente ſua hoc placet, & ratum habent, & conſentiunt, vel prohibere poſſent, & non faciunt*; juxta illud, quod definitum legimus ab Innocentio III. cap. *Quantæ* Extra *de ſententia excommunicationis* – *Quantæ præſumptionis, & temeritatis exiſtat in Rectores Eccleſiæ manus injicere violentas. Ne autem ſolos violentiæ hujuſmodi auctores aliquorum præſumptio exiſtimet puniendos, facientes & conſentientes pari pœna plectendos catholica condemnat auctoritas. Eos delinquentibus favere interpretamur, qui, cum poſſint, manifeſto facinori deſinunt obviare* –. Brevibus propoſito caſui reſpondet Archidiaconus, ut notat S. Antoninus ſcribens – *Archidiaconus etiam diſt. 47. uno verbo ſe expedit dicens, omnes & ſingulos teneri, & eſſe in ſtatu damnationis, quorum auctoritate fit, & conſenſu* –.

Decimumseptimum Dubium. Utrum impediens volentem alicui dare mutuum gratis, & faciens quod mutuum præſtet ſub uſuris, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Rodonenſem, quod ſic: quia indebite impedivit utilitatem proximi. Similiter impediens contractum licitum, & reducens eum ad uſurarium, tenetur ſecundum eundem, Concordant Doctores, & Monaldus tit. *Uſura tertio*.

(47) Res hæc eſt ultro perſpicua: quia non ſolum impedivit utilitatem proximi, ſed inſuper – *ei damnum adduxit*, ut adjicit S. Antoninus ibidem §. 5. Ad rem Gregorius IX. Extra *de injuriis, & damno dato* cap. finali – *Si culpa tua datum eſt damnum ..... jure ſuper his ſatisfacere te oportet* –.

Decimumoctavum Dubium. Utrum omnis uſurarius ſubjiciatur pœnis poſitis in cap. *Quia in omnibus* Extra *de uſuris*, & in cap. *Quanquam* eod. titulo lib. 6. Decretalium?

Reſpondeo, quod non, ſed ſolum manifeſtus, ut patet ibidem ex verbis textus. Pœnæ præcipuæ ſunt privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ, & irritatio Teſtamenti.

Id

(48) Id compertum ſit ſola recitatione capitum, quæ ab Authore laudata ſunt. En igitur cap. *Quia in omnibus*, quod eſt Alexandri III. — *Quia in omnibus fere locis ita crimen uſurarum invaluit, ut multi (aliis negotiis prætermiſſis) quaſi licite uſuras exerceant, & qualiter utriuſque Teſtamenti pagina condemnentur, nequaquam attendant: Ideoque conſtituimus, quod uſurarii manifeſti nec ad communionem admittantur Altaris, nec Chriſtianam (ſi in hoc peccato deceſſerint) accipiant ſepulturam, ſed nec oblationes eorum quiſquam accipiat. Qui autem acceperit, vel Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, & quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium Epiſcopi ſui ſatisfaciat, ab officii ſui maneat executione ſuſpenſus* —. Accipe etiam cap. *Quanquam*, quod eſt Gregorii X. — *Quanquam uſurarii manifeſti de uſuris, quas receperant, ſatisfieri expreſſa quantitate vel indiſtincte in ultima voluntate mandaverint: nihilominus tamen eis Eccleſiaſtica ſepultura denegetur, donec de uſuris ipſis fuerit (prout patiuntur facultates eorum) plenarie ſatisfactum: vel ......*

Decimumnonum Dubium. Quis dicatur uſurarius manifeſtus, ut prædictis pœnis ſubjiciatur ipſo facto?

Reſpondeo ſecundum Hoſtienſem: & Archidiaconum, quod duobus modis & non aliter. Primo, per facti evidentiam: puta quia tenet menſam paratam ad uſuras, ſicut meretrix in proſtibulo, quæ ſtat parata cuilibet petenti. Ita habetur in L. *Palam* ff. *de verborum ſignificatione*, & per Bartolum in L. 2. ff. *de furtis*. Arguitur ad hoc in cap. *Tua*, & cap. finali Extra *de cohabitatione Clericorum & mulierum*. Secundo, per notorietatem juris: puta quia eſt ab Epiſcopo publicatus, vel in judicio convictus, aut confeſſus. Concordant Directorium tit. *de uſuris*, & Joannes Andreæ in cap. *Uſurarum* lib. *6.* Gloſſa in cap. 2. *de Uſuris* lib. *6.* dicit, quod etiam manifeſtus eſt, quando coram Sacerdote & teſtibus confitetur ſe uſurarium, reſignat libros, & præcipit reſtitutionem uſurarum. Federicus in Conſil. 8., & Panormitanus in cap. *Quia in omnibus* de uſuris dicunt hoc verum, quando omnia illa ſimul concurrunt & non aliter.

(49) Brevibus rem hanc, in quam omnes conveniunt, abſolvit Gabriel Antoine loco ſuperius laudato q. 22. inquiens — *Eſt notorius notorietate*

*tate facti, dum mutuat palam ad uſuram, ita ut nulla tergiverſatione celari poſſit. Eſt notorius notorietate juris, quando de hoc crimine in judicio convictus eſt, & damnatus. In Gallia dicitur admitti ſola notorietas, quæ habetur per ſententium Judicis* —.

S. Antoninus, poſtquam dixit part. 2. tit. 1. cap. 10. ſub initio — *Quod uſurarii manifeſti ſunt excommunicati non ſimpliciter, ſed quantum ad tria. Quorum primum eſt, quod ſcilicet non debent recipi ad communionem altaris. Secundum quod nec debent recipi eorum oblationes: &, ſi Sacerdos recipit, reddere tenetur, & compellitur* ..... Antequam tertium exponat, ſcilicet quod — *non debent recipi ad Eccleſiaſticam ſepulturam, ſi in hoc peccato deceſſerint* —: inquirit: an Canon *quia in omnibus* in Annotatione ſuper dubio præcedenti ex integro recitatus, in quo hæc tria habentur, ſententiæ latæ ſit vel ferendæ, & reſpondet ferendæ duntaxat eſſe, non latæ. Habeto ipſius verba — *Utrum autem ſit Canon ferendæ ſententiæ, vel latæ? Hoſtienſis dicit, quod benignius eſt dicere, quod ſit canon ferendæ ſententiæ, non latæ. Et hoc tenet Bernardus, & Joannes Andreæ in Novella* —. Aliud tamen eſt quod benignius, & aliud quod verius. Benignius eſſe ita adſerere nemo eſt qui id non videat. Verius autem eſſe dubitari poteſt; quoniam ſi daretur uſurarius notorius ſola notorietate facti, & ſic decederet, putarem, quod ſola vi hujus Canonis Eccleſiaſtica ſepultura ipſi eſſet deneganda, nec eſſet neceſſarium aliam ſuper hoc expectare ſententiam.

VICESIMUM DUBIUM. Utrum Confeſſor, qui recipit ad confeſſionem manifeſtos uſurarios, eoſque abſolvit, quin prius ſatisfecerint, vel cautionem præſtiterint de ſatisfaciendo coram Ordinario, vel ejus locum tenente, aut, ſi hic non poteſt haberi, coram Sacerdote Curato ipſius uſurarii, vel alio provido viro, ſi Curatus haberi nequeat, cautionem inquam idoneam, cum pignore nempe, vel alia ſecuritate ſecundum quod præcipitur in cap. *Quanquam* lib. 6. *de uſuris*, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo, quod ſic, ſi uſurarius, negata abſolutione, reſtitutionem feciſſet; tunc enim Confeſſor præſtaret cauſam efficacem non reſtitutioni. Abſolutio hoc modo impertita ſecundum aliquos non valet, ſed ipſo jure eſt irrita. Similiter, tenetur ille Confeſſor, qui ſcienter recipit cautionem pro minori quantitate, quam debet uſurarius, tenetur inquam de reſiduo dicto cap. *Quanquam*. Excipitur

tur caſus extremæ neceſſitatis, quando talis cautio non poteſt fieri; tunc enim abſolvi poteſt, *de pœnitentia* diſt. 7. cap. *Si quis poſitus*, & 26. q. 6. cap. *Si Præsbyter*, cum hac tamen conditione, quod extra Confeſſionem ipſi promittat, ſe velle efficaciter reſtituere, ut Confeſſor id poſſit ſignificare Epiſcopo, & Epiſcopus poſſit cogere hæredes ad reſtituendum. Item de licentia Epiſcopi abſolvi poteſt ſine prædicta ſolemnitate, quando uſurarius eſt pauper, ita ut facere non poſſit nec cautionem idoneam, nec reſtitutionem.

(50) Ut id melius percipiatur, integrum proferam cap. *Quanquam*, quod ſupra dimidiatum unice recitavi — *Quanquam uſurarii manifeſti de uſuris, quas receperant, ſatisfieri expreſſa quantitate, vel indiſtincte in ultima voluntate mandaverint: nihilominus tamen eis Eccleſiaſtica ſepultura denegetur, donec de uſuris ipſis fuerit (prout patiuntur facultates eorum) plenarie ſatisfactum: vel illis, quibus facienda eſt reſtitutio, ſi præſto ſint ipſi; aut aliis, qui eis poſſint acquirere; vel eis abſentibus loci Ordinario, aut ejus vicesgerenti, ſive Rectori parochiæ, in qua teſtator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipſa parochia (quibus quidem Ordinario, Vicario, & Rectori prædicto modo cautionem hujuſmodi eorum nomine liceat præſentis Conſtitutionis auctoritate recipere, ita quod illis perinde actio acquiratur), aut ſervo publico de ipſius Ordinarii mandato idonee de reſtitutione facienda ſit cautum. Cæterum ſi receptarum uſurarum ſit quantitas manifeſta, illam ſemper in cautione prædicta exprimi volumus: alioquin aliam recipientis cautionem hujuſmodi arbitrio moderandam: ipſe tamen ſcienter non minorem, quàm veriſimiliter creditur, moderetur: & ſi ſecus fecerit, ad ſatisfactionem reſidui teneatur. Omnes autem Religioſos, & alios, qui manifeſtos uſurarios, contra præſentis ſanctionis formam, ad Eccleſiaſticam auſi fuerint admittere ſepulturam, pœnæ Lateranenſis Concilii contra uſurarios promulgatæ ſtatuimus ſubjacere. Nullus manifeſtorum uſurariorum teſtamentis interſit, aut eos ad confeſſionem admittat, ſive ipſos abſolvat, niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum præſtent (ut præmittitur) idoneam cautionem. Teſtamenta quoque manifeſtorum uſurariorum aliter facta non valeant, ſed ſint irrita ipſo jure* —. Pro ſervo publico, de quo in hoc capite, intellige Tabellionem, ſive Notarium, ut notat S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 10. §. 1. *Servus publicus hic dicitur Tabellio, ſic dictus non quia ſit ſervus, ſed quia publicum exercet officium C. DE TABULARIIS L. GENERALI* —.

Dicit primo Author, Confeſſarium teneri, ſi ſecus operando reſtitutionem feciſſet uſurarius: quoniam in hoc caſu Confeſſarius ipſe in cauſſa eſt, cur reſtitutio non ſequatur. Sed quomodo id cognoſcet Confeſſarius? Ex ipſa diſpoſitione pœnitentis, qui forte numquam fuit monitus, cui forte abſolutio numquam fuit denegata, & qui in aliis morigerus eſt, divinam ſervans legem, & Eccleſiaſticam. Ut Confeſſarius ab hoc onere ſe liberet, uſurarium adeat, & obtenta facultate loquendi de rebus ad conſcientiam ipſius ſpectantibus, eumdem inſtruat, moneat, nihilque intentatum relinquat, ut eum inducat ad præſtandam idoneam cautionem, ad reſtituendas uſuras jam acceptas, & ad ſecus poſthac operandum.

Dicit ſecundo Author abſolutionem manifeſtis uſurariis impertitam, quin prius vel ſatisfecerint, vel cautionem præſtiterint, ſecundum aliquos nullam eſſe, & irritam. Dubio procul illicita ipſa eſt, quia contra expreſſam prohibitionem Summi Pontificis in capite nunc recitato — *Nullus ... eos ad Confeſſionem admittat, ſive ipſos abſolvat, niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo .... præſtent .... idoneam cautionem* — quia in praxi hoc eſt adhærere propoſitioni 60. ab Inno. XI. damnatæ anno 1679. — *Pœnitenti habenti conſuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Eccleſiæ, etſi emendationis ſpes nulla appareat, non eſt neganda, nec differenda abſolutio, dummodo ore proferat ſe dolere, & proponere emendationem* —: quia cum hujuſmodi peccatoribus agendum eſt ſicuti ſancivit Cardinalis Curſius in Synodo Ariminenſi an. 1696. tit. 5. de pœnitent. §. 5. — *Concubinariis, meretricibus, uſurariis, inter ludendum blaſphemare ſolitis, & tamen a ludo non abſtinentibus, inimicitias exercentibus, aliiſque hujuſmodi, niſi per aliquod temporis ſpatium a ſimilibus abſtinuerint, abſolutio ſuſpendatur, quouſque Confeſſario probabilis ſpes emendationis eorum enaſcatur* —: quia demum, quum uſurarii, de quibus ſermo, manifeſti ſint, & notorii, abſolutionis capaces non ſunt, niſi prius ſcandalum illatum reparaverint, artem reliquerint uſurariam, & palam ſe oſtenderint paratos ad reſtituendas uſuras jam acceptas. Quod autem hujuſmodi abſolutio, generatim loquendo, irrita etiam ſit, & nulla, non auderem adſerere; non enim impoſſibile eſt, quod hi vere pœnitentes ſint, vere contriti, & parati ad reſtituendum juxta vires: tametſi ut in pluribus ſecus contingat, & abſolvendi non ſint, niſi prius unum præſtiterint ex iis duobus, quæ a Summo Pontifice Gregorio X. conſtituta ſunt.

Dicit tertio Author, quod Confeſſarius cautionem ſcienter recipiens pro minori quantitate veriſimiliter debita, tenetur ipſe de reſiduo. Et hoc ipſum expreſſe declaravit Summus Pontifex in capite recitato inquiens — *Ipſe tamen ſcienter non minorem, quam veriſimiliter creditur, moderetur: & ſi ſecus fecerit, ad ſatisfactionem reſidui teneatur* —. Id tamen intellige, ſi Confeſſarius ſcienter hoc faciat, ut exprimitur in textu: & quando uſurarius admonitus reſtituere nollet.

Dicit

Dicit quarto Author excipiendum eſſe caſum extremæ neceſſitatis , in quo tempus deficiat ad debitam cautionem præſtandam . Certe pœnitentia non eſt morientibus deneganda , ſicuti ſancivit Julius Summus Pontifex in cap. *Si quis Præsbyter* ab Authore indicato — *Si quis Præsbyter pœnitentiam morientibus abnegaverit , reus erit animarum : quia Dominus dicit — Quacumque die converſus fuerit peccator , vita vivet , & non morietur —. Vera enim confeſſio in ultimo tempore eſſe poteſt , quia Dominus non ſolum temporis ſed etiam cordis inſpector eſt : ſicut latro unius momenti pœnitentia meruit eſſe in paradiſo in hora ultima confeſſionis —*. Aliud eſt, quod pœnitentia tunc non ſit ſecura , & aliud , quod tunc haberi omnino nequeat vera pœnitentia . Primum eſt veriſſimum , quia , ut legitur in cap. *Si quis poſitus* ab Authore laudato — *Fateor vobis , non illi negamus quod petit , ſed non præſumimus , quod bene hinc exit : ſi ſecurus hinc exieris , ego neſcio : pœnitentiam dare poſſumus , ſecuritatem autem dare non poſſumus ..... Vis ergo a dubio liberari ? Vis , quod incertum eſt , evadere ? Age pœnitentiam , dum ſanus es . Si ſic agis , dico tibi , quod ſecurus es , quia pœnitentiam egiſti eo tempore , quo & peccare potuiſti . Si autem vis agere pœnitentiam , quando jam peccare non potes , peccata te dimiſerunt , non tu illa —*. Secundum autem eſt falſiſſimum , ut evidenter oſtendit cap. *Si quis Præsbyter* nunc recitatum . Jure igitur Author excipit caſum extremum ; in eo enim Confeſſarius unice poteſt uſurarium cogere ad id , quod fieri ab ipſo poteſt in iis anguſtiis poſito . Sed quoniam agitur hic de graviſſimo damno proximi , quod non ſatis compenſatur per intimum pœnitentis dolorem ; compenſari immo debet numerata pecunia , & per realem æris alieni reſtitutionem : laudo iccirco Authoris conſilium , quod nempe Confeſſarius adigat pœnitentem ad rem ipſi extra Confeſſionem aperiendam , & coram aliquo teſte , ſi fieri poteſt , ut rem geſtam ſignificet Epiſcopo , hujuſque auctoritate hæredes cogantur ad reſtitutionem . Nulla in hoc caſu , nec minima , habetur fractio ſigilli Sacramentalis , ut quiſque videt . Nulla item vel minima fit injuria pœnitenti , qui , ſi tantum temporis intereſſet , teneretur publicam, eamque idoneam præſtare cautionem . Nulla tandem injuria fit hæredibus , quum in caſu manifeſti uſurarii Gregorius X. in recitato cap. *Quanquam* velit non eſſe ſatis , ut Eccleſiaſtica gaudeat ſepultura , quod in ultima voluntate , expreſſa uſurarum quantitate , mandet ſatisfieri . Cave tamen , ne inde inferas deduci hoc poſſe ad praxim etiam in aliis caſibus , ut Confeſſarii paſſim cogere poſſint pœnitentes ad ipſis aperienda extra Confeſſionem nunc hæc , nunc illa peccata , de quibus confeſſi ſunt . Id poſtulat caſus hic ſingularis propter delicti qualitatem, atque ut ſerventur meliori modo , quo poſſunt , Summi Pontificis determinationes in excipiendis Confeſſionibus uſurariorum , de quibus ſermo . Id poſtulare poteſt etiam alter caſus propter ſpeciales ejuſdem circumſtantias . Aſt id reducere ad praxim , injurium eſt & pœnitentibus , & Sacramento ; & iccirco graviter corripiendi eſſent illi confeſ-

Digitized by Google

confeſſarii, qui etiam ſub quadam zeli imagine, ſub ſpecioſo quodam prætextu majoris profectus pœnitentium, paſſim hoc agerent, & quaſi ſine delectu: callidus enim humani generis hoſtis ſæpe numero in Angelum lucis ſe ſe transfigurat, & ementita boni ſpecie incautis illudit.

Concludit Author, quod ſine tali cautione abſolvi poteſt uſurarius ad inopiam redactus, Epiſcopo tamen ſciente, & permittente. Pauperies, & rerum pene omnium carentia excuſat quidem pro tunc a reſtitutione: quia — *nemo poteſt ad impoſſibile obligari* — ex Regula 6. Juris in Sexto: quia, ut opportune cap. *Si res aliena* 14. q. 6. — *Plerumque enim qui aufert amittit, ſive alios patiendo malos, ſive ipſe male vivendo, nec aliud habet, unde reſtituat. Huic certe non poſſumus dicere, redde quod abſtuliſti, niſi cum habere credimus, & negare* —. Hac igitur de cauſa abſolvi poteſt, immo debet a Confeſſario, dummodo ſit aliunde diſpoſitus, & paratus ad reſtituendum inopia ceſſante. Nihilo tamen minus, quum de re agatur, in qua Gregorius X. indiſtincte cautionem poſtulat; prudentiſſima eſt Authoris doctrina, quod ſuper eadem prius conſulatur Epiſcopus, nec abſolutio impertiatur ſine prævia ejuſdem facultate, qui unice id permittet, quando nulla ſpes affulgeat, quod uſurarius nunc egens, & mendicus progreſſu temporis reddi poſſit ſolvendo.

Super hoc paupere terret animadverſio S. Antonini part. 2. tit. 1. cap. 10. ſub initio — *Nota, quod ſi uſurarius manifeſtus eſt ita pauper, quod non poteſt idonee cavere de reſtituendis uſuris, dicit Speculator quoſdam tenere, quod non ſepeliatur talis, etiamſi pœniteat, & ſic ſervabitur rigor ad terrorem criminis* —.

Vigesimumprimum Dubium. Utrum Notarii, qui recipiunt Teſtamentum eorum, qui uſurarii manifeſti ſunt, & non faciunt cautionem prædictam, teneantur ad reſtitutionem: itemque teſtes, qui eidem Teſtamento interſunt?

Reſpondeo quod non: quia ſimilia Teſtamenta ſunt ipſo jure irrita dicto cap. *Quanquam*; & ideo non dant cauſam efficacem non reſtitutioni. Peccant tamen mortaliter, ſi ſcientes prohibitionem Teſtamentum recipiunt, & ei interſunt, quia ſic contemnerent Eccleſiaſticam prohibitionem.

(51) Adde cum S. Bernardino Tom. 1. ſerm. 35. art. 3. cap. 4. — *Quidquid Notarius inde lucratus eſt, reſtituere obligatur* —. En textum expreſſum capitis *Quanquam* pro teſtamento irrito — *Teſtamenta quoque manifeſtorum uſura-*

*uſurariorum aliter facta non valeant, ſed ſint irrita ipſo jure* —. Super hiſce verbis appoſite Gloſſa — *Quia iſtud crimen Eccleſiaſticum eſt, potuit Papa irritare teſtamenta laicorum, per quæ in alios transferebantur bona, & fiebat durior conditio exactorum .... habet enim ratione hujus criminis juriſdictionem in talibus: ſupra DE IUDICIIS cap. NOVIT, ſupra QUI FILII SINT LEGITIMI cap. PER VENERABILEM, ſupra DE FORO COMPETENTI cap. ultimo* —.

Quid, ſi teſtamentum facit, & poſtea cavet: numquid poſtquam caverit, teſtamentum valebit? (Aſteſanus lib. 3. tit. 11. art. 6.) Reſpondeo. Dixit Bartolus, quod non, quia ad initio nullum fuit lib. 6. de Regulis juris cap. *Non firmatur* (videlicet — *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non ſubſiſtit*). Sed ſecundum Joannem Andreæ ſatis videtur ſufficere, ſi cavit ante mortem, cum teſtamentum in morte firmetur. Nec obſtat Regula illa, ſcilicet *Non firmatur*, quia de ſolo tractu temporis loquitur. Et quidem Joannes æquitati meliori inniti videtur, eo quod ad conſervationem teſtamentorum nititur, prout omnia jura nituntur, ut C. *de Sacroſanctis Eccleſiis* L. 1. Facit etiam pro eo quantum ad legata ad pias cauſas, quod ſecundum leges ff. *de legatis tertio* L. 1. §. 1. legata relicta a filio familias, vel a ſervo, licet tempore teſtamenti non valeant, ſi tamen ſervus manumiſſus, vel filius emancipatus in eadem voluntate perſeveraverit, valebunt. Accipere enim cautionem eſt quomodocumque accipere, ſic & dare eſt quomodocumque dare 1. q. 1. cap. *Eos*.

Quid de Codicillis, numquid valebunt facti ab uſurario manifeſto? Reſpondent Guillelmus, Garſias, & Joannes Andreæ, quod non. Et idem eſt de qualibet alia ultima voluntate, ut patet ex principio dicti cap. *Quanquam*, & arguitur Extra *de teſtamentis* cap. *Cum eſſes*, quia etiam Codicillus large dicitur teſtamentum, quia teſtatio mentis 13. q. 2. §. *Sed aliud*. Hactenus Aſteſanus ibidem. Addit Gloſſa nunc indicata — *Alias facile eſſet Conſtitutionem hanc in hoc eludere* —.

VICESIMUMSECUNDUM DUBIUM. Utrum ſepelientes in ſepultura Eccleſiaſtica manifeſtos uſurarios, qui non ſatisfecerunt ſicuti dictum eſt, dubio viceſimo, teneantur ad reſtitutionem?

Reſpondeo, quod, ſi negata hiſce uſurariis ſepultura, parentes ipſorum ſatisfeciſſent, tunc ſepelientes eos tenerentur ad reſtitutionem, ſive ſepeliviſſent illos vere, ſive ficte ſicuti faciunt illi, qui capſam vacuam ponunt in pheretro: quia dediſſent cauſam efficacem non reſtitutioni. Secus

Digitized by Google

cus ſi parentes non ſatisfeciſſent, licet ſic ſepelientes ſint excommunicati Clementina cap. 1. *de ſepulturis*. Gloſſa ſuper hoc capite notat, quod ſepelire dicitur quicumque ſive Clericus, ſive Laicus, qui cum ſolemnitate aſſociat, vel tumulat, vel fabricat ſepulcrum, licet dicat conſulendum eſſe Papam.

(52) An tradi debeant nec ne Eccleſiaſticæ ſepulturæ manifeſti uſurarii, qui decedunt non ſatisfactis creditoribus, ſeu mutuatariis, vel non præſtita idonea cautione de ſatisfaciendo, eſt caſus ipſe propoſitus Gregorio X., & cui Summus Pontifex reſpondit cap. *Quanquam*. En caſus expoſitionem exhibitam a Gloſſa ſuper eodem — *Titius uſurarius manifeſtus, veniens ad mortem, in teſtamento ſuo ante mortem præcepit hæredibus ſuis, ut ipſi reſtituerent uſuras illis perſonis, a quibus eas acceperat; deinde mortuus eſt. Eo mortuo hæredes ſui voluerunt eum tradere, ſeu tradi facere Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Dicebant creditores uſurarii, a quibus ipſe Titius acceperat uſuras, quod erat ſibi deneganda Eccleſiaſtica ſepultura, donec, & quouſque ipſi hæredes reſtituiſſent uſuras, quas Titius defunctus acceperat. Dubitabatur, quid juris ſit. Unde conſultus Papa reſpondet, quod ipſe defunctus non debet ſepeliri, neque tradi Eccleſiaſticæ ſepulturæ, donec ſui hæredes tradant, & reſtituant uſuras illis perſonis, a quibus fuerunt extortæ: vel præſtent cautionem cum fidejuſſoribus, vel pignoribus, & ſic reddant creditores certos de pecuniis recuperandis, & habendis* —. Jam mandaverat Concilium Lateranenſe ſub Alexandro III. cap. *Quia in omnibus*, quod uſurarii manifeſti in hoc peccato decedentes non traderentur Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Id ut eluderent uſurarii, injungebant hæredibus reſtitutionem; ex quo enim mandabant de reſtituendo, non decedebant in peccato uſuræ, & per conſequens in ipſis non habebat amplius locum pœna Concilii. Sed huic eluſioni occurrit Gregorius X. hic, reſpondens caſui propoſito; & iccirco ad pœnam Concilii evadendam non ſufficit nunc ſolum mandatum de reſtituendo, ſed vel uſurarius ipſe, vel ipſius hæredes ſatisfacere prius debent, aut idoneam de reſtituendo præſtare cautionem.

Dices. Nonne qui mandat ſolvere videtur ff. *de ſolutionibus* L. *Qui mandat* — *Qui mandat ſolvi, ipſe videtur ſolvere* —? Nonne qui mandavit uſuras reſtitui, peccatum confeſſus eſt, & ſic divino judicio jam relictus? Ita eſt. *Sed* (ad rem Gloſſa ibidem in ver. *Denegetur*) *imponitur hæc pœna, non quod de ſalute ipſius deſperetur propter hoc: quia ſepultura nec prodeſt, nec nocet apud Deum: ſupra DE SEPVLTVRIS cap. SACRIS* —: bene vero in odium tanti criminis, ad aliorum terrorem, & ut creditores certi reddantur de pecuniis recuperandis. Accipe quod habetur cap. *Sa-*

*cris*,

*eris*, quod eſt Innocentii III. — *Cum licet non obſit juſtis ſepultura nulla, vel vilis, impiis tamen celebris, vel ſpecioſa non proſit —*.

Hiſce præhabitis venio ad caſum hic exhibitum. Jure Author reſtitutioni obnoxios vult ſepelientes in caſu; ſcientes enim hi, quod, ſi defuncto Eccleſiaſtica ſepultura denegaretur, ſicuti præcipit Gregorius X., hæredes facile inducerentur ad reſtituendum, vel ad cautionem præſtandam, ut ſic a publica infamia liberum eſſet cadaver defuncti: dubio procul in cauſa ſunt, cur non ſequitur reſtitutio.

Fingere ſepulturam adverſatur fini legis; & iccirco merito ſic fingentes pari pœna puniuntur ac illi, qui reipſa ſepeliunt, ideſt nedum tenentur & ipſi ad reſtitutionem, ſed inſuper evadunt excommunicati. De excommunicatione lata contra ſepelientes loquitur expreſſe Gregorius X. in eod. cap. *Quanquam* inquiens — *Omnes autem Religioſos, & alios, qui manifeſtos uſurarios contra præſentis ſanctionis formam ad Eccleſiaſticam auſi fuerint admittere ſepulturam, pœnæ Lateranenſis Concilii contra uſurarios promulgatæ ſtatuimus ſubjacere —*. Atqui Lateranenſe Concilium in cap. *Quia in omnibus* excommunicationi ſubjicit uſurarios manifeſtos, iiſdem interdicendo communionem Altaris, & ſepulturam, ut ſupra vidimus. Eidem igitur excommunicationi obnoxii ſunt eos ſepelientes. Inſuper Clemens V. eoſdem ſimpliciter excommunicatos voluit in Clementina *de ſepulturis* cap. 1. ſic conſtituens — *Eos, qui propriæ temeritatis audacia .... vel uſurarios manifeſtos ſcienter ſepelire præſumunt, decernimus ipſo facto excommunicationis ſententiæ ſubjacere —*. Nec eos eximit ſola fictio ſepulturæ: quoniam ſcite S. Antoninus part. 3. tit. 24. cap. 23. ultra medium — *Quæris etiam Dominus Laurentius de Ridolphis in tract., quem fecit de uſuris, quid dicendum de Officialibus, Clericis, & portantibus cruces, & cereos, & aſſociantibus, & portantibus feretrum tamquam eſſet ibi cadaver alicujus prædictorum, ſcilicet manifeſti uſurarii, nominatim interdicti, vel publice excommunicati, cum in veritate realiter ibi non ſit. Reſpondet, & dicit idem judicandum ac ſi ibi eſſet, & ideo dicendum ut ſupra ſubjacere —*. Brevibus Roſella ver. *Reſtitutio nono* num. 30. — *Et dicit Geminianus, quod etiamſi non ſepeliunt, ſed fingunt, quod tales incurrunt pœnam dicti capitis: quia hæc ſimulatio eſt in deluſum Conſtitutionis —*.

Quod demum verbo *ſepelire* non ſolum comprehendantur illi, qui humo corpus tradunt, ſed etiam illi, de quibus Author, tametſi ex Regula 15. Juris in Sexto — *Odia reſtringi, & favores convenit ampliari —* docet Gloſſa ibidem, cujus verba conveniunt cum iis, quæ lego apud S. Antoninum modo laudatum — *Joannes Andreæ ſuper verbo SEPELIRE ſic dicit. Hic occurrunt dubia, quæ Principis declarationem pluſquam gloſſantis expoſcunt: ſcilicet an portantes ad ſepulturam, qui tamen non ſepeliunt, ſint excommunicati. Item de comitantibus funus. Item de fodientibus, & fabricantibus, vel aperientibus ſepulturam. Item de Prælatis, Clericis, vel Mi-*

*niſtris Eccleſiarum, in quorum cæmeteriis ſepeliuntur, qui id non prohibent; vel patiuntur. Item de Clericis portantibus crucem, cereos, & ſimilia. Et poſt quædam ſic dicit. Cum hic puniat ſepelientem, non admittentem, intereſſentem, & cooperantem: ſepelire autem eſt mortuum humo, vel tumulo condere: videtur ſolos humo, vel tumulo corpus imponentes ligatos eſſe. Facit pro hoc æquitas, ne ex unius funere multitudo ligetur. Item conſtat, quod portantes, comitantes, vel fabricantes ſepulturam, ſi non ſequeretur talis ſepelitio, excommunicati non eſſent. In contrarium eſt: quia eſſet hæc Conſtitutio ludibrio, ſi unus ſolus ribaldus, vel ſervient, per quem id poterit expediri, ligari dicatur: reliquis viſitatis pompoſe, & ſolemniter expeditis. Joannes Andreæ. Stephanus vero non dubitat omnes iſtos ligari. Nota quod Joannes Calderinus in Tractatu, quem fecit, de Eccleſiaſtico interdicto circa finem, movens prædictum dubium, ſeu quæſtionem ſic dicit. Mihi proculdubio videtur, quod nominatim interdictus, vel etiam non nominatim interdictus, ſed tempore interdicti in caſu non permiſſo a jure, ſi cum divino officio eſt ſepultus, omnes prædicti, ſcilicet aperientes ſepulturam, vel fabricantes, vel fodientes terram, vel ponentes in ſepulcro, vel portantes cruces, vel cereos, vel portantes funus, vel aſſociantes cauſa honoris, vel amicitiæ, vel Clerici divinum officium facientes, vel non prohibentes cum poſſunt, omnes pœna excommunicationis ligantur per iſtam Clementinam EOS. Ratio eſt: quia hoc caſu omnes ſunt participes criminis, ſive cooperantes* —. Finis Conſtitutionum Papalium fuit, privare uſurarium ſic decedentem omni Eccleſiaſtico honore, ut homines hac publica infamia abſterriti caveant ab uſuris. Sancto huic Pontificum fini audaciter obſiſtunt omnes illi, de quibus ſermo. Omnes igitur ſic operando incidunt in excommunicationem.

VICESIMUMTERTIUM DUBIUM. Utrum Cleri recipientes oblationes ab uſurariis manifeſtis, teneantur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Alexandrum, & Doctores, quod ſic, ſcilicet reſtituere tenentur quidquid acceperunt, & illi, a quo acceperunt. Arguitur cap. *Cum tu* Extra *de uſuris*: & donec ſatisfecerint, ad arbitrium Epiſcopi remanent ſuſpenſi ab executione proprii officii cap. *Quia in omnibus* in fine Extra *de uſuris*. Si interim celebrent, irregulares ſunt ipſo facto ſecundum Innocentium, licet Archidiaconus velit, quod ſententia ſuper hoc non ſit lata, ſed ferenda. Opinionem Innocentii ſequitur Panormitanus ibidem, & eſt verior.

Defini-

(53) Definitum hoc eſt ab Alexandro III. in cap. *Quia in omnibus* Extra *de uſuris* jam laudato — *Sed nec oblationes eorum quiſquam accipiat. Qui autem acceperit, vel Chriſtianæ tradiderit ſepulturæ, & quæ acceperit reddere compellatur, & donec ad arbitrium Epiſcopi ſui ſatisfaciat, ab officii ſui maneat executione ſuſpenſus* —. Quod ſint irregulares, ſi interim celebrent, adſeruit etiam S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 35. art. 3. cap. 3. ſcribens — *Caveat igitur, ne interim celebret; alias fieret irregularis. Hæc eſt ſententia Hoſtienſis. Sed ſecundum Archidiaconum decretum illud non eſt latæ ſententiæ, ſed ferendæ. Raymundus autem dicit, quod, ſi ſunt uſurarii manifeſti, ipſo jure ſunt excommunicati quantum ad ea, quæ ponuntur in dicta Decretali QUIA IN OMNIBUS §. IDEOQUE* —.

Sed cui talis oblatio reddenda eſt? Quæſitum eſt S. Bernardini ibidem. Accipe igitur ejuſdem reſponſum —. *Dicendum ſecundum quoſdam, quod Epiſcopo debet dari, ut ſecundum providentiam ejus illi reſtituatur, a quo eſt habita, ſi inveniatur: alioquin pauperibus diſpenſetur: arg. 14. q. 5. cap. IMMOLANS. Secundum vero Alexandrum Lombardum, & Willelmum reſtitui debet illi, qui eam dedit. Et hoc primo in opprobrium ſui Extra DE HOMICIDIO cap. SICUT DIGNUM §. EOS. Secundo, ut illi ſatisfacere poſſit, a quo accepit: arg. Extra DE USURIS cap. CUM TU MANIFESTOS. Et hæc ſententia melior eſſe videtur* —.

Duas hujuſmodi opiniones componere conatur Author in Angelica ver. *Reſtitutio ſecundo* num. 6., ubi ſtatuit, quod, ſi uſurarius paratus eſt ad reſtituendum, reſtituatur ei; ſin minus, tradatur Epiſcopo, vel illis, qui damnum paſſi ſunt. Hæc omnia intellige de uſurariis manifeſtis; nam de aliis ſecus eſt dicendum, uti ſcribit Roſella ver. *Reſtitutio nono* num. 14. — *Secus tamen dicendum de uſurariis non manifeſtis: quia tunc Sacerdos recipiendo oblationes a talibus uſurariis non incurrit ſuſpenſionem, nec ipſi uſurarii non manifeſti incurrunt dictas pœnas poſitas in dicto cap. QUIA IN OMNIBUS, nec etiam pœnas capitis QUANQUAM de uſuris lib. 6. ſecundum Doctores* —.

VICESIMUMQUARTUM DUBIUM. Utrum locantes domos ad fœnus exercendum uſurariis manifeſtis alienigenis, vel non oriundis de terris ſuis, teneantur reſtituere penſionem acceptam?

Reſpondeo, quod tenentur, ſi uſurarius non eſt ſolvendo: quia, ut docet Monaldus *Uſura quinto*, de ſervitio illicito non debet quis accipere mercedem. Nec excuſatur quis dicens, quod uſurarius habet commodum domus, cum talis conceſſio cedat potius in majus ipſius detrimentum.



Digitized by Google

tum. Et ideo tales locatores, ſi perſonæ ſunt Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, vel Epiſcopi remanent ſuſpenſi: alii inferiores, ſi ſunt perſonæ ſingulares, ſunt excommunicati; Collegium vero, aut alia Univerſitas, incurrunt ipſo facto pœnam Interdicti: & ſi per menſem indurato animo ſuſtinuerint excommunicationem, aut Interdictum, Terræ ipſorum ſubjiciuntur Interdicto tamdiu, quamdiu uſurarii in eis commorantur; & non amplius ſecundum Joannem Andreæ. Si autem ſunt perſonæ ſæculares, per Epiſcopos debent Eccleſiaſtica cenſura compelli ad expellendos conductores uſurarios, ſicuti patet cap. 1. *de Uſuris* lib. 6. Et hoc intellige etiam de Judæis uſurariis manifeſtis ſecundum Paulum de Liazariis, Geminianum in cap. *Uſurarum* de uſuris lib. 6., Baldum in quodam Conſilio, quod incipit = *Inter Judæos*, & Laurentium de Florentia q. 146. ſui Tractatus de uſuris.

(54) Ut Authoris doctrina percipiatur, recitari debet integrum caput *Uſurarum*, quod eſt Gregorii X. in Concilio Lugdunenſi *de uſuris* in Sexto — *Uſurarum voraginem ( quæ animos devorat, & facultates exhaurit ) compeſcere cupientes, Conſtitutionem Lateranenſis Concilii contra uſurarios editam ſub divinæ maledictionis interminationem præcipimus inviolabiliter obſervari. Et quia quo minor fœneratoribus aderit fœnerandi commoditas, eo magis adimetur fœnus exercendi libertas: hac generali Conſtitutione ſancimus, ut nec Collegium, nec alia Univerſitas, vel ſingularis perſona, cujuſcumque ſit dignitatis, conditionis, aut ſtatus, alienigenas, & alios non oriundos de terris ipſorum publice fœnebrem pecuniam exercentes, aut exercere volentes, ad hoc domos in terris ſuis conducere, vel conductas habere, aut alias habitare permittant: ſed hujuſmodi uſurarios manifeſtos omnes intra tres menſes de terris ſuis expellant, nunquam aliquos tales de cætero admiſſuri: nemo illis ad fœnus exercendum domos locet, vel ſub alio titulo quocumque concedat. Qui vero contra fecerint, ſi perſonæ fuerint Eccleſiaſticæ, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, ſuſpenſionis: minores vero perſonæ ſingulares, excommunicationis: ſi autem Collegium, ſeu alia Univerſitas, interdicti ſententiam ipſo facto ſe noverint incurſuros. Quam ſi per menſem animo ſuſtinuerint indurato, terræ ipſorum ( quamdiu in eis iidem uſurarii commorantur ) ex tunc Eccleſiaſtico ſubjaceant interdicto. Cæterum ſi Laici fuerint, per ſuos Ordinarios ab hujuſmodi exceſſu ( omni ceſſante privilegio ) per cenſuram Eccleſiaſticam compeſcantur* —. Hæc

Hæc Conſtitutio facta fuit propter Florentinos , Senenſes , Piſtorienſes , Lucanos , & Aſtenſes , qui varias circuibant Provincias ad exercendum uſuras immoderatas , & a multis tum Prælatis , tum Principibus recipiebantur . Ita Gloſſa ibidem ſub initio .

Hæc Conſtitutio non extenditur ad indigenas ..... & potuit eſſe ratio : quia majus ſcandalum eſt in alienigena uſuras exercente , quam in indigena : & minus ſcandalum in expulſione illius , quam iſtius : & magis conſueverunt vereri inter ſuos exercere fœnus , quam inter extraneos . Ita Gloſſa ibidem in ver. *Alienigenas* .

Oriundus de Civitate dicitur , qui ibi ortus eſt , vel cujus pater inde originem duxit . Non ſic in avo : alias inquirendus eſſet ager Damaſcenus , ubi natus eſt Adam . Ita Gloſſa ibi in additione .

Hæc Conſtitutio complectitur etiam Judæos , ut dicit Author , & adferunt communiter Doctores . Dicitur autem quis locare Judæo ad fœnerandum , ſi ſciebat , quod talis conſueverat publice fœnerari : nam ex qualitate perſonæ præſumitur quod ad hoc fecerit , ut C. *Familiæ erciſcundæ* L. *Si filius* , & ff. *de pignoratitia actione* L. *Vel univerſorum* : & præſumitur animus ex affectu C. *de injuriis* L. *Si non convicii* . Immo ſi locator a principio hoc neſcivit , ſtatim quod ſcivit Judæum publice fœnerari , debet eum de domo expellere ; alias ad hoc conſentire videtur 83. diſt. cap. *Error* . Ita Nicolaus de Auximo in ſupplemento ad Piſanellam ver. *Reſtitutio quarto* .

Sed quid , ſi ad fœnus non conducat illam , ſed ad alia opera ſua ? Dicendum hoc non eſſe prohibitum . In dubio autem præſumitur ad hoc conducere illam , ſi conſueverunt exercere uſuras ff. *de obligationibus & actionibus* L. *Si quis* . Ita S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 35. art. 3. cap. 4.

Quod poſtmodum ſic locantes teneantur ad reſtitutionem in caſu , id probat Author in Angelica ver. *Uſura ſecundo* num. 14. ultra medium — *quia cauſam efficacem dant damno proximi , & ſine qua non damnificarentur* — . Id etiam adſeruit S. Bernardinus ibidem ſcribens — *Dicendum , quod licet participes ſint omnium peccatorum , quæ in ea ex fœnore perpetrantur : nihilominus ratione contractus locationis , in quo lucrum transfertur in locantem , poſſunt tale lucrum non illicite retinere , niſi uſurarius tunc impotens eſſet reſtituere acquiſitas uſuras , quia tunc non poſſent recipere penſionem , niſi prius debuiſſent habere* — .

VICESIMUMQUINTUM DUBIUM . Utrum vendentes domos ad fœnus exercendum prædictis uſurariis , incurrant prædictam pœnam ?

Reſpondeo ſecundum Joannem Andreæ , & Archidiaconum , quod ſic , quocumque titulo eas concedant .

De

Digitized by Google

(55) De hoc præclare Gloſſa ibidem ver. *Titulo* ſcribens — Sed ſi vendit, donat, vel permutat, non videtur habere locum hæc Conſtitutio per verbum *concedat*, quod ſolum uſus conceſſionem non dominii translationem notare videtur. Sed Gullielmus dixit idem, ſi maniſeſte apparet, quod ad exercendum fœnus vult accipere: quia præſumitur etiam in fraudem agi, ſupra *de pignoribus* cap. *Illo*, & *de emptione & venditione* cap. *Ad noſtram*: nam verbum *concedo* eſt generale, & accipitur ſecundum naturam contractus, cui adjicitur. Arg. ff. *Locati* L. *Si uno* — Hactenus Gloſſa. Brevioribus S. Bernardinus modo laudatus rationem adſignat inquiens — *Quia ibi dicitur quocumque titulo. Ergo nec locare, nec precario concedere, nec vendere poteſt* —. Recole verba Summi Pontificis, nempe — *Nemo illis ad fœnus exercendum domos locet, vel ſub alio titulo quocumque concedat* —: & ſtatim cognoſces eum prohibuiſſe quamcumque conceſſionem domus, ſive locatione ſive venditione, ſive alio quocumque modo fiat: ita ut velit, quod uſurarii maniſeſti nullo modo habere poſſint in illis terris domum ad habitandum inſimul & fœnerandum, ſed domus omnes ſive conductas, ſive emptas deſerere debeant, & ad propria reverti.

Vicesimumsextum Dubium. Utrum hæres uſurarii teneatur reſtituere omnes uſuras illius, cujus eſt hæres?

Reſpondeo ſecundum Monaldum tit. *Reſtitutio octavo*, quod ſic; immo non ſolum uſuras, ſed etiam debita, & legata defuncti: ſive hæres ſit filius, ſive conſanguineus, aut quicumque alius, dummodo hæres ſit: ſive debita ſint ex contractu, qui eſt quædam obligatio ſurgens ex voluntate partium, ut emptio, locatio, conductio, mutuum, & hujuſmodi: ſive ex quaſi contractu, qui eſt obligatio, quà quis alteri tenetur ex officio, vel ex aliquo facto licito, licet non interveniat voluntas expreſſa amborum, ut eſt tutela, cura, negotiorum alienorum geſtio: ſive ſint ex maleficio, quod eſt quodcumque crimen, puta rapina, furtum, & hujuſmodi: vel ex quaſi maleficio, quod contingit, quando malum infertur proximo præter intentionem, puta cum Judex imperitia ſua male judicat, vel cum de domo alicujus aliquid effunditur, quod alteri nocet, ſicuti habetur Inſtitut. *de obligationibus, quæ quaſi ex delicto naſcuntur*. Immo ſive res, pro qua contractum eſt debitum, pervenerit



Digitized by Google

rit ad hæredem, ſive non pervenerit 16. q. 6. cap. *Si Epiſcopum*, & *de pignoribus* Extra cap. *Ex præſentium* in fine, & *de ſolutionibus* cap. 1., & *de uſuris* cap. *Tua nos*, & *de raptoribus* cap. *In literis*, & *de ſepulturis* cap. ultimo, & *de ſententia excommunicationis* cap. *A nobis* 2. in fine. Arguitur ff. *de condictione furtiva* L. *Si pro fure* §. 2.

(56) Hæres ſubſtituitur in locum defuncti, eumque repræſentat quoad bona, jura, ac debita realia; & iccirco ſicuti ſuccedit in bona, ac jura, ita ei ſuccedit in onera, ac debita realia, quæ omnia in ſe ſuſcipit ex contractu implicito ſemel atque hæreditatem acceptat. Quæ hic ſcribit Author pene in verbis ipſis conveniunt cum iis, quæ ſcripta ſunt ab Hoſtienſi *de Teſtamentis & ultimis voluntatibus* in Additione incipiente — *Tenetur autem hæres* —, & a S. Bernardino Tom. 1. ſerm. 35. art. 3. cap. 1. verſus finem, qui inſuper monet, doctrinam hanc ſecundum leges, & forum judiciale ſuis eſſe diſtinctionibus obnoxiam, non autem ſecundum forum conſcientiæ, & in judicio animæ, pro quo conſtituit, & docet, quod hæres non tenetur niſi in quantum ſufficit hæreditas, quam acceptavit. Excipe, dum ſermo eſt de uſuris, caſum ab eodem Sancto ibidem expreſſum — *Ad quod quidem addendum eſt, quod talis hæres ultra hæreditatem tenetur in judicio animæ ad omnia, quæ prædictus uſurarius pro eo expendit, ſi illa ſuſcepit mala fide. Ratio eſt, quia ad non reſtituendum præſtitit cauſam efficacem. Et hoc intellige, ſi talia habuit, eo tempore, quo erat uſurarius non ſolvendo* —.

Profero nunc leges ab Authore indicatas, aliaſque nonnullas idem præſtituentes.

*Si enim, ut dicunt, Comitiolus defunctus eſt, ab hærede ejus, quæ injuſte ablata ſunt, ſine excuſatione reddantur* — 16. q. 6. cap. *Si Epiſcopum*.

*Ex præſentium latoris inſinuatione accepimus, quod Sacerdos Eccleſiæ de Offitona calicem argenteum, & medietatem unius Breviarii ejuſdem Eccleſiæ pro ſua neceſſitate pignori obligavit, & ea, morte præventus, minime recollegit. Unde, quoniam indignum eſt, ut eidem Eccleſiæ res ſuæ (præſertim quæ ſacris miniſteriis deputatæ ſunt) taliter debeant deperire: mandamus, quatenus, ſi verum eſt, quod aſſeritur, filium ejus, qui ex ſucceſſione ipſius patrimonii jus dicitur obtinere, moneas, & compellas, ut ea recolligat, & reſtituat Eccleſiæ memoratæ* — Alexander III. Extra *de pignoribus* cap. *Ex præſentium*.

*Sicut filius debita Patris ſolvere tenetur: ita Prælatus ſui Prædeceſſoris pro Eccleſiæ neceſſitate contracta* — Alex. item III. Extra *de ſolutionibus* cap. 1.

*Tua nos duxit Fraternitas conſulendos, quid ſit de uſurariorum filiis obſervandum, qui eis in crimine uſurarum defunctis ſuccedunt, aut de extraneis,*

ad

*ad quos bona uſurariorum aſſeris devoluta? Tuæ igitur quæſtioni literis præſentibus reſpondemus, quod filii ad reſtituendas uſuras ea ſunt diſtrictione cogendi, qua parentes ſui, ſi viverent, cogerentur. Idipſum etiam contra hæredes extraneos credimus exercendum* — Alex. itidem III. Extra *de uſuris* cap. *Tua nos*.

*In literis tuis continebatur, quod cum H. multis fuiſſet criminibus irretitus, qui Eccleſiarum incendium Diabolo inſtigante commiſerat, tandem in ægritudine conſtitutus, accepta pænitentia de commiſſis per manum Capellani ſui, fuit a ſententia anathematis abſolutus, ſed moriens Eccleſiaſticam ſepulturam habere nequivit. Quapropter, ſi res ita ſe habet, mandamus, ut corpus ejuſdem, appellatione ceſſante, facias in cœmeterio ſepeliri, & hæredes ejus moneas, & compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra juſtitiam irrogaverat, juxta facultates ſuas condigne ſatisfaciant, ut ſic a peccato valeat liberari* — Alex. pariter III. Extra *de raptoribus* cap. *In literis*.

*Parochiano tuo, qui excommunicatus pro manifeſtis exceſſibus, videlicet homicidio, incendio, violenta manuum injectione in perſonas Eccleſiaſticas, Eccleſiarum violatione, vel inceſtu, fuit, dum ageret in extremis, per Presbyterum ſuum juxta formam Eccleſiæ abſolutus, non debent cœmeterium, & alia Eccleſiæ ſuffragia denegari. Sed ejus hæredes, & propinqui, ad quos bona pervenerunt ipſius, ut pro eodem ſatisfaciant, cenſura ſunt Eccleſiaſtica compellendi* —. Gregorius IX. Extra *de ſepulturis* cap. ultimo.

*Hæredes quoque ipſius ad ſatisfaciendum pro ipſo, ſi monitione præmiſſa noluerint, per diſtrictionem Eccleſiaſticam compellas* —. Innocentius III. Extra *de ſententia excommunicationis* cap. *A nobis* 2. in fine.

*Condictio rei furtivæ, quia rei habet perſecutionem, hæredem quoque furis obligat: nec tantum, ſi vivat ſervus furtivus, ſed etiamſi deceſſerit; ſed & ſi apud furis hæredem diem ſuum obiit ſervus furtivus, vel non apud ipſum, poſt mortem tamen furis, dicendum eſt, condictionem adverſus hæredem durare. Quæ in hærede diximus, eadem erunt & in cæteris ſucceſſoribus* — ff. *de condictione furtiva* L. *Si pro fure* §. 2.

*Veteris juris altercationes decidentes, generaliter ſancimus, omnem ſtipulationem, ſive in dando, ſive in faciendo, ſive mixta ex dando, & faciendo inveniatur, & ad hæredes, & contra hæredes tranſmitti, ſive ſpecialis hæredum fiat mentio, ſive non. Cur enim, quod in principalibus perſonis juſtum eſt, non ad hæredes, & adverſus eos tranſmittatur?* C. *de contrahenda, & committenda ſtipulatione* L. *Veteris*.

*Bona autem hic (ut plerumque ſolemus dicere) ita accipienda ſunt, Univerſitatis cujuſque ſucceſſionem, qua ſucceditur in jus demortui, ſuſcipiturque ejus rei commodum, & incommodum* — ff. *de bonorum poſſeſſionibus* L. *Bona*.

Dixi, doctrinam hanc juxta leges, & forum judiciale ſuis eſſe diſtinctio.ii-

Digitized by Google

ctionibus obnoxiam , quæ ſunt hujuſmodi — *Diſtingue ſecundum leges* ( Ita Aſteſanus lib. 3. tit. 36. , ubi *quid ſi non ſufficiat* ) *an fecerit inventarium , vel non . Si fit , non tenetur ultra vires hæreditatis . Si non , tenetur C. DE JURE DELIBERANDI* §. *IDEOQUE SANCIMUS* — . Fuſius hujuſmodi rem exponit Joannes Pontas ver. *Inventarium* ſub initio ſcribens — . Inventarium dicitur juxta ſtilum forenſem , quod ab Ulpiano *Repertorium* dicitur : hoc eſt deſcriptio effectuum hæreditatis alicujus facta cum formalitatibus jure , aut conſuetudine requiſitis . Prinſquam autem rem iſtam aggrediamur , juvat obſervare , quod , ut hæres quilibet jus obtinet accipiendi , & adeundi hæreditatem , quæ ſibi obtigit , aut eam repudiandi ; ſic ei competit jus deliberandi de alterutrius delectu , ut cognoſcat , an ſibi ſit fructuoſa , nec ne — *ut perinde inſtruere ſe poſſint , expediet nec ne agnoſcere hæreditatem* — ( ff. *de jure deliberandi* L. *Ariſto* ) : nam — *nec damnoſam quiſquam hæreditatem adire compellitur* — ait lex ( C. *de jure deliberandi* L. *Nec emere* ) . Hæres tamen in dubio valoris bonorum hæreditatis ſe pro hærede gerere poteſt , Inventarii Beneficio utens , quo de juſto rei hæreditariæ pretio certus eſſe poſſit . *Sin autem dubius eſt* ( hæres ) . . . . . *Inventarium ab eo conficiatur* — ( C. eod. tit. L. *Scimus* §. 2. ) . Modus ille ſe hæredem gerendi dicitur *Beneficium Inventarii* , quia ejus hic eſt effectus , quod , ſi a defuncto rei derelictæ valorem ſuperent hæreditatis onera , de iis non tenebitur hæres niſi ad concurſum acceptæ hæreditatis , confirmiter ad hæc legis verba — *In tantum hæreditariis creditoribus teneantur , in quantum res ſubſtantiæ ad eos devolutæ valeant* — ( C. ibidem §. 4. ) Alioquin ſe nudum ac ſimplicem gerens hæredem de toto exceſſu teneretur — . Hactenus ille . Aſteſanus ibidem proſequitur quidem inquiens — *Et idem videtur ſecundum jus canonicum Extra DE TESTAMENTIS cap. RAYNALDUS* — ; ſed ſtatim ſubdit — *In judicio autem animæ ſecundum Hoſtienſem , & Raynerium non tenetur ultra quam ad eum pervenerit de ipſa hæreditate , licet poſſet imputari ſibi quoad falcidiam detrahendam* — . Placet etiam recitare verba S. Bernardini — *Quarti ſunt uſurarii hæredes , de quibus ſecundum Archidiaconum , & Canoniſtas eſt dicendum , quod , licet aliter ſecundum leges diſtinguatur , tamen de jure canonico hæredes tenentur ad omnia debita defunctorum , in quorum loca ſuccedunt , ſive hæres ſit filius . . . . & hoc intelligas ſi hæreditas ſufficit . Si autem hæreditas non ſufficit ad omnia debita perſolvenda , ſecundum Raynerium in judicio animæ , etiamſi hæres non fecerit inventarium , non tenetur niſi quantum ſufficit hæreditas . Secus autem in foro judiciali ſecundum Joannem Andreæ in Novella , ubi dicit , quod , ſi fecit inventarium , non tenetur ultra vires hæreditarias . Quo autem ad judicium animæ , illud indiſtincte affirmat* — . Diſtinctio hæc Inventarii facti vel non facti in foro fori , eſt veluti lapis lydius hac ſuper re ; quum ſit beneficium legis in favorem hæredum , excogitatum ab Imperatore Juſtiniano , & ab eodem ſancitum L. *Scimus* per totam C. *de jure deliberandi* ,

*Tom. I.* Q quod

quod & ipſum Jus Canonicum adprobavit , ejuſdem mentionem faciens , & ſecundum idem definiens Extra *de Teſtamentis* cap. *Raynaldus*, quod eſt Gregorii IX. . In foro igitur fori ea diſtinctio præ oculis habenda eſt, & ſecundum eandem ferri debet judicium.

Ad conficiendum Inventarium conceduntur tres menſes a lege , ut ſcriptum eſt ead. L. *Scimus* §. 2. *Ut intra triginta dies poſt apertas tabulas, vel poſtquam nota fuerit ei apertura tabularum, vel delatam ſibi ab inteſtato hæreditatem cognoverit , numerandos exordium capiat Inventarium ſuper his rebus, quas defunctus mortis tempore habebat : & hoc Inventarium intra alios ſexaginta dies modis omnibus impleatur ſub præſentia tabulariorum , cæterorumque , qui ad hujuſmodi confectionem neceſſarii ſunt* —. Ad deliberandum poſtmodum, utrum hæres adire velit hæreditatem nec ne , conceditur ei ab eadem lege annus integer, & non amplius §. 13.— *Ne quis nos putaverit antiquitatis penitus eſſe contemptores, indulgemus quidem eis petere deliberationem vel a nobis, vel a noſtris Judicibus , non tamen amplius ab Imperiali quidem culmine uno anno, a noſtris vero Judicibus novem menſibus, ut neque ex Imperiali largitate aliud tempus eis indulgeatur , ſed , etſi datum fuerit, pro nihilo habeatur* —.

Cum hac communi lege pene in omnibus convenit, quod ſancitum legitur in Conſtitutionibus Victorii Amedæi Regis Sardiniæ lib. 5. tit. 5. num. 2. & 3. — *S' intenderà ſempre, che il poſſeſſo paſſi negli Eredi col titolo ereditario , ſe nel termine di giorni trenta continui non avranno giudizialmente dichiarato, che lo ritengono con altro titolo , nel qual caſo ſi procederà all' Inventario, o ſia deſcrizione per mano di Notajo di tutti gli effetti, e beni ereditarj, tanto mobili, che immobili , affermando con giuramento di non averne avuti altri, che quelli, ch' avrà conſegnati ; ſenza che poſſano più tornare al titolo d' eredi , e con obbligo di non potere detti giorni pendenti diſtrarne alcuno a riſerva di quanto può occorrere per le ſpeſe de' Funerali, e per gli alimenti loro, e della loro Famiglia , quando la neceſſità lo richieda . Nel caſo poi , che non ritengano alcun' effetto dell' eredità, nè ſi meſchino in alcun modo nella medeſima , avranno un anno di tempo per deliberare ſovra l' accettazione di eſſa, ſecondo il diſpoſto dalla legge comune* —. Aſt non ita in foro conſcientiæ, & in judicio animæ; ſive enim hæres ſit beneficiarius , gaudens ſcilicet beneficio legis per Inventarium factum, ſive non ſit ejuſmodi : æquitas non patitur, ut cogatur ad dandum pro alio id , quod ad ipſum non pervenit, ad ſolvenda ære proprio ea, ad quæ ipſe nullum habuit influxum , & ad quorum ſolutionem , non ſufficit hæreditas a defuncto relicta.

Nota etiam ſecundum prædictum Monaldum ubi ſupra , quod hæres tenetur ſolvere debita ſine detractione legiti-

gitimæ. Similiter & legata ad pias cauſas, ut patet Authentica & in L. *Similiter* C. *ad Legem Falcidiam*, & in Authent. *de Eccleſiaſticis titulis* cap. *Si autem*, & *de Teſtamentis* Extra cap. *Cum eſſes*, & Gloſſa ibi ver. *Improbamus*.

De aliis autem legatis, ſi legitima non ſuperſit, poteſt hæres detrahere ſuam legitimam: quia per legata, & fidei commiſſa Pater non potuit eum in legitima gravare, quæ ipſi debetur jure naturæ. Hæc omnia obſervanda ſunt in quocumque hærede alicujus debitoris: & de hoc vide quæ latius dicuntur tit. 20. Dubio 12.

(57) Legitima eſt illa portio hæreditatis, quæ in teſtamento jure naturæ relinqui debet hæredibus neceſſariis, filiis ſcilicet, nepotibus, aliiſque deſcendentibus, & in horum defectu ipſis aſcendentibus. Qualis, & quanta eſſe debeat hujuſmodi portio, definitum habemus Authentica L. *Noviſſima C. de inofficioſo teſtamento — Noviſſima lege cautum eſt, ut, ſi quatuor ſint filii, vel pauciores, ex ſubſtantia deficientis triens: ſi plures ſint, ſemis debeatur eis quoquo relicti titulo, ex æquo ſcilicet inter eos devidendus: cujus portionis nec uſufructu defraudari liberi a parentibus poſſunt —*. Vulgares ſunt verſus editi hac ſuper re.

Quatuor aut infra dant natis jura trientem.
Semiſſem vero dant natis quinque, vel ultra.
Arbitrium ſequitur ſubſtantia cætera Patris.

Quod ante detractionem legitimæ ſolvi debeat æs alienum, ita ut nec æs alienum, nec expenſæ funerum tranſeant in illam ſummam, ſeu in illum aſſem, ex quo legitima detrahenda eſt, & accipienda: definitum pariter fuit L. *Papinianus* §. 9. ff. *de inofficioſo teſtamento — Quarta autem accipietur, ſcilicet deducto ære alieno, & funeris impenſa —*, & L. *Veniſſe* ff. *de verborum ſignificatione — Veniſſe ad hæredem nihil intelligitur, niſi deducto ære alieno —*.

Dum Author ſubdit — *Similiter & legata ad pias cauſas* — videlicet quod hæres teneatur hæc ſolvere ſine detractione legitimæ: arbitror legitimæ nomine ipſum intellexiſſe Falcidicam, quæ & ipſa legitima portio vocitari ſolet, ſicut & Trebellianica; de Falcidia enim loquuntur jura ab ipſo in medium producta — *Similiter Falcidia ceſſat in his, quæ ad pias cauſas relicta ſunt* C. *ad legem Falcidiam* L. *Similiter — Si autem hæres, quæ ad pias cauſas relicta ſunt, non impleverit, dicens relictam ſibi ſubſtantiam non ſufficere ad iſta, præcipimus omni Falcidia vacante, quicquid invenitur in*

*tali ſubſtantia proficere proviſione ſanctiſſimi locorum Epiſcopi ad cauſas, quibus relictum eſt* — Authentica *de Eccleſiaſticis titulis* cap. *Si autem* — *Super relictis Eccleſiæ Decretalis iſta intelligitur .... in his enim ceſſat Falcidia* Gloſſa in ver. *Improbamus* Extra *de teſtamentis* cap. *Cum eſſes* —.

Lex Falcidia ita dicitur, quia edita a Falcidio Tribuno plebis ſub Octaviano Imperatore, ſicuti ſcribitur diſt. 2. cap. *Quædam*. *Sub eodem quoque Imperatore Falcidius Tribunus plebis legem fecit, ne quis plus extraneis in teſtamento legaret, quam ut quarta pars ſupereſſet hæredibus, ex cujus nomine lex Falcidia nuncupata eſt* —. De Falcidiæ origine & natura aptiſſime Inſtitut. *de lege Falcidia* ſub initio — *Supereſt ut de lege Falcidia diſpiciamus, qua modus noviſſime legatis impoſitus eſt. Cum enim olim lege duodecim tabularum libera erat legandi poteſtas, ut liceret vel totum patrimonium legatis erogare, quippe cum ea lege ita cautum eſſet: UTI QUISQUE LEGASSET SUÆ REI, ITA JUS ESTO, viſum eſt hanc legandi licentiam coarctare: idque ipſorum teſtatorum gratia proviſum eſt, ob id, quod plerumque inteſtati moriebantur, recuſantibus ſcriptis hæredibus pro nullo aut minimo lucro hæreditates adire. Et cum ſuper hoc tam lex Furia, quam lex Voconia latæ ſunt, quarum neutra ſufficiens ad rei conſummationem videbatur: noviſſime lata eſt lex Falcidia, qua cavetur, ne plus legare liceat, quam dodrantem totorum bonorum, ideſt, ut ſive unus hæres inſtitutus ſit, ſive plures, apud eum, eoſve pars quarta remaneat* —. Lege Furia hic indicata vetitum fuit legare uni legatario ultra mille aureos: & lege Voconia fuit injunctum, quod teſtator non relinqueret plus alicui quam hæredi.

Trebellianica eſt quarta pars bonorum Teſtatoris poſt mortem ejus, deducto ære alieno, & expenſis funeralibus, reſidua, hæredi ſcripto, Fideicommiſſo univerſali gravato, debita §. *ſed quia* Inſtitut. *de fidei — commiſſariis hæreditatibus*, & C. *ad Senatus Conſultum Trebellianum*. Trebellianica dicitur a Trebellio Conſule, a quo prodiit Senatus Conſultum Trebellianum, quo ſtatuitur, ut hæres Fideicommiſſarius rogatus, ſeu gravatus totam hæreditatem reſtituere, poſſit quartam partem ſibi retinere, ut habetur in citato §. *Sed quia* ..... Unde ſicuti per Falcidiam poſitum eſt temperamentum legatis, ita per Trebellianicam, ſeu Senatus Conſultum Trebellianum, poſitum eſt temperamentum Fideicommiſſis. Hinc Falcidia, & Trebellianica in hoc differunt, quod Falcidia detrahatur a nimiis, & exceſſivis legatis, Trebellianica vero ab exceſſivo Fideicommiſſo univerſali —. Haſtenus Ferraris in ſua Bibliotheca ver. Falcidia num. 4. & ſeq.

Hæc pene omnia complectitur S. Antoninus part. 3. tit. 10. cap. 3. §. 2. ſcribens — Quantum ad legitimam nota, quod triplex eſt legitima portio. Una, quæ eſt debita jure naturæ, & dicitur bonorum ſubſidium. Et hæc debetur filiis tantum, qui ſine cauſa exhæredari non poſſunt: & huic portioni nullum gravamen poteſt imponi ff. *de inofficioſo teſtamento* L. *Cum modo*, & duabus ſequentibus. Et hæc portio eſt: ſi ſunt quatuor filii, & ita

ita debent habere ſimul tertiam partem bonorum. Si ſunt quinque vel ultra debent habere medietatem ejus, quod ab eis deferebatur ab inteſtato C. *de inofficioſo teſtamento* Authentica *Noviſſima*, Et intelligi debet detractis debitis, ſi quæ eſſent. Item eſt alia portio, ſcilicet quarta Falcidia, quæ debetur jure inſtitutionis, ut cum aliquis eſt inſtitutus hæres, & illa hæreditas eſt exhauſta per legata: & tunc inſtitutus poteſt detrahere ſibi uſque ad quartam partem hæreditatis, detrahendo de ſingulis legatis, niſi ad pias cauſas Extra *de teſtamentis* cap. *Raynaldus* ad finem, C. *ad legem Falcidiam* per totum. Item eſt tertia, quæ dicitur Trebellianica: ut cum aliquis inſtitutus hæres rogatur, ut alii reſtituat hæreditatem: nam talis inſtitutus poteſt retinere quartam partem de tota hæreditate C. *ad Senatus Conſultum Trebellianum* per totum. Hæc detrahitur de univerſitate hæreditatis, & in hac computantur legata, & donationes ff. *ad legem Falcidiam* L. *in quarta*, alias *in quantitate* eodem titulo. Notantur hæc Extra *de teſtamentis* cap. *Raynutius*. Et ſi plures hæredes inſtituti fuerint, divident inter ſe dictas portiones. Hæc quæ dicta ſunt, de jure communi ſcilicet ſunt. Cæterum ſuper hoc diverſarum terrarum varia eſt conſuetudo, quæ ſi ſit rationabilis, & præſcripta, ſervari debet Extra *de conſuetudine* cap. finali –. Hæc ille. Opportuna ſunt, quæ ſuper hac re animadvertit Aſteſanus lib. 3. tit. 25. art. 5. ubi *de generalibus documentis* inquiens – *In prima, & ſecunda portione ideſt in legitima & Trebellianica computantur omnia hæreditaria & legata, & fideicommiſſa; unde ſi filius, vel rogatus aliqua perceperit de legatis, vel fideicommiſſis a teſtatore, illa computabit in legitima, vel Trebellianica. In tertia vero, ideſt in Falcidia computantur ſola hæreditaria non legata, nec donata, nec fideicommiſſa Extra DE TESTAMENTIS cap. RAYNUTIUS. Hæc Ber. Unde deductio Falcidiæ eſt conditionis melioris, quam deductio legitimæ, quantum ad hoc, quod donationes, & legata non computantur in ea. Unde ſi inſtitutus aliquid de legatis, vel fideicommiſſis a teſtatore percepit, illud in Falcidia non computabitur* –.

Vicesimumseptimum Dubium. Utrum ille, qui ſponte ſe obligavit ad reſtituendum pro uſurario, putans quod bona uſurarii ſufficerent, quæ poſtmodum inſufficientia deprehendit, teneatur reſtituere de proprio?

Reſpondeo, quod aut ſe obligavit indiſtincte, & tunc tenetur etiam in coſcientia, ſi alius ſe obligaſſet pro toto niſi ipſe ſe obligaſſet: quia tunc dedit damnum creditoribus, ſine quo non. Item tenetur, etiamſi nullus alius ſe obligaſſet, ſi ipſe juravit ſe ſatisfacere indiſtincte. Si autem

Digitized by Google

tem ſe obligavit duntaxat diſtincte, ſcilicet quantum ſe extendit hæreditas, ſive quanti valent bona uſurarii, tunc non tenetur niſi ad eam ſummam, ad quam ſe extendit hæreditas uſurarii.

(58) *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur* Regula 85. Juris in Sexto. Obligatio iſthæc habet naturam contractus. Ipſi igitur ſtandum eſt; & iccirco ſi dumtaxat diſtincte ſe obligavit, non tenetur ſupplere de proprio. Tenetur autem, ſi ſe obligavit generatim, & indiſtincte: & ratio hujus eſt, uti notat S. Bernardinus To. 1. ſerm. 35. art. 3. cap. 4. — *quia ſe ipſum propriis verbis illaqueavit* —.

Sed quid juris, ſi verbis quidem ſe obligavit indiſtincte, ſed non animo, non voluntate, in mente habens oppoſitum: Excuſatur ne in hoc caſu a debito ſupplendi de proprio?

Accipe reſponſum S. Bernardini ibidem — *Dicendum, quod non: quia ſtatur magis obligationi expreſſæ, quam intentioni occultæ, & ideo, ſi explicite non expreſſit, ſibi imputet: quia non debent propter ſtultitiam ſuam creditores ſuo fraudari jure* —

Vicesimumoctavum Dubium. Utrum cum duo ſunt hæredes ab uſurario inſtituti, & unus ex his efficitur non ſolvendo, alter teneatur in ſolidum?

Reſpondeo, aut ſermo eſt de rebus formaliter datis pro uſuris, & ſic, cum hæc obligatata ſint ubicumque fuerint ſive titulo oneroſo, ſive lucrativo, ea tenetur reſtituere. Ubi nota ſecundum Petrum de Ancharano in Regula peccati veni. q. 18., quod licet diviſa hæreditate obligatio hæreditaria dividatur ipſo jure L. 1. C. *Si certum petatur*, &; L. *Pro hæreditariis* C. *de hæreditariis actionibus*, & ſic, ſi unus efficitur non ſolvendo, alter in foro civili non teneatur L. *Legatorum* ff. *de legatis ſecundo*: in foro tamen canonico, in quo dicit textus, quod hæredes ea ſunt diſtrictione cogendi, qua cogeretur defunctus, ſi viveret cap. *Tua nos* Extra *de uſuris*, tenetur in ſolidum quoad æs alienum ex delicto & peccato proveniens, nec in tali ære locum habet diviſio L. 12. Tabularum. Arguitur cap. *Cum tu* Extra *de uſuris* reſponſione prima.

Aut

Aut ſermo eſt de bonis ſpecialiter emptis de pecunia uſurarum, & hæc etiam reſtituere tenetur dicto cap. *Cum tu*.

Aut demum ſermo eſt de rebus aliis, quæ nec formaliter datæ ſunt pro uſuris, nec ſpecialiter emptæ fuerunt de pecunia uſurarum: & de iis reſpondet Gloſſa in cap. *Tua nos* Extra *de uſuris*, quod eas tenetur reſtituere quantum ſe extendunt bona uſurarii, quæ ad ipſum pervenerunt. Ratio eſt: quia omnia bona defuncti erant obligata. Arguitur cap. *Cum tu* eo titulo, & pro hoc facit dictum cap. *Tua nos*. In hoc concordant communiter antiqui Doctores, & eſt opinio ſecurior in coſcientia: licet aliqui juniores in dicto cap. *Tua nos* aliter ſentiant; quoniam eſt in favorem animæ, ut ſic citius liberetur anima defuncti, & iccirco in praxi tenenda eſt ſecundum Butrium in dicto cap. *Tua nos*, tametſi de rigore juris opinio juniorum ſit verior.

(59) Dum res formaliter datæ pro uſuris adhuc extant apud unum ex hæredibus, recte dicit Author, quod hic tenetur eas in ſolidum, & ex integro reſtituere; tametſi alter factus ſit non ſolvendo: quia 14. q. 6. cap. 1. *Si res aliena, propter quam peccatum eſt, cum reddi poſſit, non redditur non agitur pœnitentia ſed fingitur. Si autem veraciter agitur, non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum*—.

Si poſtmodum res ipſæ non amplius extant, ſed extant res aliæ, puta poſſeſſiones, ſpecialiter emptæ cum pecunia habita pro uſuris, recte item ſcribit Author, hunc hæredem, ſeu potius cohæredem, teneri in ſolidum, & ex integro: quum id definitum habeamus ab Alex. III. cap. *Cum tu* Extra *de uſuris* in hæc verba — *Poſſeſſiones vero, quæ de uſuris comparatæ ſunt, debent vendi, & ipſarum pretia his, a quibus uſuræ ſunt extortæ, reſtitui: ut ſic non ſolum a pœna, ſed etiam a peccato poſſint (quod per uſurarum extorſionem incurrerant) liberari* —; nam, ut optime Gloſſa ſuper hoc eod. capite ſub initio — *res emptæ de uſuris ſuccedunt loco pecuniæ de uſuris receptæ* —.

Tota igitur diſputatio reducitur: an hic cohæres pariter teneatur in ſolidum, & ex integro, quamvis hæreditas gravata quidem ſit onere reſtituendi uſuras acceptas a defuncto, puta patre, ſed nihil in ea reperiatur neque de acceptis in ſpecie pro uſuris, neque de rebus ſpecialiter emptis cum pecunia uſurarum. Opinionem ab Authore hic propugnatam tuetur Gloſſa in cap. *Tua nos* Extra *de uſuris*, in ver. *Cogendi*, &, ut alios

præte-

Digitized by Google

prætercam, pro eadem ſtetit S. Bernardinus To. 1. Serm. 35. art. 3. cap. 1. in fine ſcribens – *Sed quid, ſi de duobus hæredibus uſurarii, alter factus eſt non ſolvendo? Dicendum ſecundum Hoſtienſem, quod alter in ſolidum obligatur, & hoc uſque ad quantitatem, quæ ad eum de hæreditate pervenit. Ratio eſt, quia ſuccedit in crimine, & etiam quia omnes res hæreditariæ obligatæ ſunt Extra DE VSVRIS cap. CVM TV §. finali* –

Ingenue tamen fateor, Authorem ſuper hac re immutaſſe ſententiam: quoniam in Angelica ver. *Reſtitutio primo* ubi de uſurario num. 16. hunc eundem caſum proponens aliter docuit inquiens – *Aut loquimur de aliis rebus, quæ non ſunt formaliter datæ pro uſuris, nec ſpecialiter emptæ de pecunia uſurarum, ſic tene, quod, cum bona uſurariorum, ſecundum communem opinionem Modernorum, & Doctorum in dict. cap. TVA NOS non ſint tacite hypothecata pro uſuris reſtituendis, non tenetur de neceſſitate, niſi pro medietate, quamvis alter hæres factus ſit non ſolvendo: licet dicant Doctores, quod opinio Gloſſæ in dict. cap. TVA NOS, & antiquorum Doctorum, qui tenent, quod omnia bona uſurariorum ſunt tacite hypothecata, ſit in foro animæ practicanda. Quod intellige de bono conſilio, cum nullo jure probetur: & ſecundum hanc diſtinctionem intellige, & limita Petrum de Ancharano, & Doctores in hoc* –. Pro hac poſtrema Authoris opinione pugnant Nicolaus de Auximo in Supplemento &c. ver. *Reſtitutio ſexto*, Aſteſanus lib. 3. tit. 11. art. 6. ubi *Quid ſi alter hæredum*, Roſella ver. *Vſura quarto* num. 6., Colletus in ſuis Inſtit. *de Contractibus* part. 2. cap. 3. art. 5. concluſ. 7., Joannes Pontas ver. *Reſtitutio* Caſu 112., Antoine de juſtitia & jure part. 3. cap. 5. q. 23., Cajetanus Tom. 2. Opuſc. tract. 8. de uſuris q. 5., Cuniliati *de Contractibus* cap. 4. §. 8. num. 2., aliique plurimi tum Veteres, tum Recentiores. Et revera: ut hæredes hominis uſurarii in ſolidum teneantur ad reſtitutionem, oportet, ut creditor, qui damnum paſſus eſt, expreſſam, vel tacitam habeat hypothecam in bona illius. Atqui creditor uſurarii nec expreſſam, nec tacitam habet hypothecam in bona illius. Non expreſſam; hæc enim nonniſi expreſſo contrahentium conſenſu comparatur; non tacitam; ea enim nonniſi legis beneficio conceditur. Atqui nulla eſt lex, nullum Regis edictum, quo qui ab uſurario mutuum recepere hanc in ejuſdem uſurarii bona hypothecam acquirant. Ergo. Ita Colletus laudatus. Cum enim obligatio omnium bonorum uſurarii ad uſuras reſtituendas non ſit realis, ſed ratione perſonæ ...., conſequens eſt, quod, diviſa perſona uſurarii in hæredes, diviſa quoque proportionaliter tranſeat ad hæredes obligatio illa: ac per hoc nullus hæres tenetur ex hoc, niſi ſecundum ſuam portionem. Ita Cardinalis Cajetanus. Ratio eſt, quia ſicuti actiones & credita defuncti dividuntur inter hæredes duntaxat pro rata hæreditatis, ita etiam pro rata dividenda erunt debita, ut colligitur ex L. 2. C. *de hæreditariis actionibus*, & L. *Pacto ſucceſſorum* C. *de pactis*. Hujus rationis vis modo, quo hæredes repræſentant defun-

ctum,

Digitized by Google

ctum, innititur. Non enim verum eſt, quod ſinguli eorum ipſum repræſentent totaliter, ſed (cum ſint ab invicem diviſi) partialiter tantum, quem totaliter repræſentant ſimul ſumpti, & collective. Unde v. g. Petrus hæres nonniſi ex parte repræſentat defunctum, ſi adhuc extent Paulus & Carolus cohæredes. Illum autem repræſentant totaliter ſimul accepti, & ad modum unius perſonæ. Et propterea ſinguli neque quoad omnia onera, neque quoad omnia credita ſuccedunt, ſicut ad hæc omnia ſuccedunt ſimul ſumpti. Sicut ergo, facta bonorum defuncti diviſione, & deinde moriente Petro, ejus portio non accreſcit Paulo & Carolo, ſed tranſit ad hæredes Petri cum ſuis juribus, & oneribus, ita ut, ſi ea non ſolvit, illius hæredes teneantur; ita etiam de aliis duobus dicendum eſt. Conſulto dixi facta hæreditatis diviſione; ſi enim hæredes eſſent v. g. filii defuncti nondum inter ſe diviſi, ſed communi penu viventes; tunc, cum omnes moraliter unum ſint, ſinguli tenerentur in ſolidum. Ita Cuniliati.

Oppoſitum ſentientes inficiari non audent Jus civile hujus eſſe ſententiæ; perſpicua ſiquidem eſt L. 2. C. *de hæreditariis actionibus* — *Pro hæreditariis partibus hæredes onera hæreditaria agnoſcere etiam in fiſci rationibus placuit: niſi intercedat pignus, vel hypotheca; tunc enim poſſeſſor obligatæ rei conveniendus eſt* —. Perſpicua item L. 26. C. *de pactis* — *Pacto ſucceſſorum debitoris ex lege duodecim Tabularum æs alienum hæreditarium proportionibus quæſitis ſingulis ipſo jure diviſum, in ſolidum unum obligare creditori non poteſt* —. Perſpicua demum L. 1. C. *Si certum petatur* — *Neque æquam, neque uſitatam rem deſideras: ut æs alienum patris tui non pro portionibus hæreditariis exſolvatis tu & frater cohæres tuus, ſed pro æſtimatione rerum prælegatarum; cum ſit explorati juris, hæreditatis onera ad ſcriptos hæredes pro portionibus hæreditariis, non pro modo emolumenti pertinere* —. Unice igitur contendunt id erui ex Jure Canonico, & quibuſdam nempe Decretalibus Summorum Pontificum. Hallucinantur tamen, ſicuti ſtatim oſtendo. In cap. *Tua nos* ſupra laudato, quod eſt Alex. III. ad Epiſcopum Placentium Extra *de uſuris*, unice conſtituitur, *quod filii ad reſtituendas uſuras ea ſunt diſtrictione cogendi, qua parentes ſui, ſi viverent, cogerentur*, & ne verbum quidem, quod ſinguli filii diviſa hæreditate teneantur in ſolidum. In cap. *Cum tu*, quod eſt ejuſd. Alex. III. ad Archiepiſcopum Salernitatum Extra *de uſuris*, ſancitur, quod poſſeſſiones comparatæ de uſuris debeant vendi, & quod earum pretium iis elargiatur, a quibus uſuræ fuerunt extortæ. At nihil hoc confert ad caſum, de quo in præſenti, quum hic non agatur de rebus ſpecialiter emptis cum pecunia uſurarum, ut ſuperius monui. Si plura cupis, vide Joannem Pontas loco ſupra memorato. Merito igitur ſcripſit Author in Angelica, quod hæc opinio nullo jure probatur. Et ne quis ſuſpicetur, hoc eſſe ſpeciale in uſuris, ita ut extendi non debeat ad cætera debita defuncti audiat Roſellam loco jam laudato ſecus ſcribentem — *Et hoc non eſt ſpecia-*

*le in hæredibus uſurariis, ſed idem eſt regulariter de quibuſcumque hæredibus: quia actiones competentes contra defunctum diviſæ ſunt in hæredes pro portionibus hæreditariis* –.

Hæc quum ita ſint, & ipſe poſtremam hanc complector ſententiam, quæ, ſi ut par eſt expendatur, priori eſt præferenda.

Quæ hucuſque dixi, intelligantur oportet ſecundum jus commune; prudenter ſiquidem adjicit Colletus – *Si conſuetudine alicubi receptum eſſet, prout in Normannia receptum eſſe dicunt, ut creditor uſurarii hypothecam haberet in ejus bona, tunc hæredes in ſolidum reſtituere tenerentur* –.

Dum audis Legem duodecim Tabularum, intellige legem ſcriptam in duodecim Tabulis, quarum decem habuere Romani a Civitatibus Athenienſium, & Lacedemoniorum, & aliæ duæ a Decemviris Romanis fuerunt adjectæ. Placet exſcribere quod ſcriptum eſt ff. *de origine juris* §. 1. & ſeq. – *Et quidem initio Civitatis noſtræ populus ſine lege certa, ſine jure certo primum agere inſtituit, omniaque manu a Regibus gubernabantur. Poſtea aucta ad aliquem modum Civitate, ipſum Romulum traditur populum in triginta partes diviſiſſe, quas partes CURIAS appellavit: propterea quod tunc Reipublicæ curam per ſententias partium earum expediebat. Et ita leges quaſdam & ipſe CURIATAS ad populum tulit. Tulerunt & ſequentes Reges: quæ omnes conſcriptæ exſtant in Libro Sexti Papirii: qui fuit illis temporibus, quibus ſuperbus Demarati Corinthii filius, ex principalibus viris. Is liber, ut diximus, apellatur Jus civile Papirianum: non quod Papirius de ſuo quicquam ibi adjecit, ſed quod leges ſine ordine latas in unum compoſuit. Exactis deinde Regibus, LEGE TRIBUNICIA omnes leges hæ exoleverunt: iterumque cœpit populus Romanus incerto magis jure & conſuetudine ali, quam per latam legem: idque prope viginti annis paſſus eſt. Poſtea ne diutius hoc fieret, placuit publica auctoritate DECEM conſtitui VIROS, per quos peterentur leges a Græcis Civitatibus, & Civitas fundaretur legibus: quas in tabulas eboreas perſcriptas pro Roſtris compoſuerunt, ut poſſent leges apertius percipi: datumque eſt eis jus eo anno in Civitate ſummum: uti leges & corrigerent, ſi opus eſſet, & interpretarentur; neque provocatio ab eis, ſicut a reliquis Magiſtratibus fieret. Qui ipſi animadverterunt aliquid deeſſe iſtis primis legibus: ideoque ſequenti anno alias duas ad eaſdem Tabulas adjecerunt: & ita ex accidente appellatæ ſunt LEGES DUODECIM TABULARUM: quarum ferendarum auctorem fuiſſe Decemviris Hermodorum quendam Epheſium, exulantem in Italia, quidam retulerunt* –. Nomina horum Decemvirorum qui Athenas miſſi ſunt ad petendas leges, exhibet diſt. 7. cap. 2. – *Fuerunt autem hi App. Claudius, T. Genucius, P. Seſtius, Sp. Veturius, C. Julius, H. Manlius, Ser. Sulpicius, P. Curatius, T. Romilius, Sp. Poſthumius* –. Traditur Athenienſes Romam miſiſſe quemdam ſapientem, ut exploraret an Romani digni eſſent legibus nec ne: & quod Romani elegerunt quemdam ſtultum ad diſputandum cum Græco, ut, ſi perderet, hoc eſſet

Græ-

Digitized by Google

Græcis in deriſum. Lepidam hiſtoriam initæ hujus diſputationis vide apud Gloſſam ibi in ver. *Conſtitui*, & apud Vocabularium utriuſque juris ver. *Lex duodecim Tabularum*.

VICESIMUMNONUM DUBIUM. Utrum recipiens ab aliquo per publicum Inſtrumentum cautionem de reſtituendis uſuris, & male ablatis, & relaxans ei promiſſionem factam, inſtrumentum cautionis reddendo, vel delendo, teneatur ipſe de proprio?

Reſpondeo, quod aut eſt Prælatus ſuus, & tunc tenetur: aut non eſt ſuus Prælatus, & tunc non tenetur, licet relaxet. Ratio eſt: quia de neceſſitate non tenetur quis compellere ad reſtituendum niſi illum, qui eſt ſibi ſubditus.

(60) Quum in cap. *Quanquam* Extra *de uſuris* ſuperius annotatione 50. ex integro recitato ſancitum fuerit, quod, abſentibus illis, a quibus uſuræ fuerunt extortæ, cautio uſurarii recipiatur ab aliis, qui eiſdem poſſint acquirere actionem ad uſuras repetendas; de his poſtremis loquitur Author in præſenti, non vero de prioribus, qui utpote Domini pecuniæ eiſdem debitæ libere poſſent uſurarium ab ejuſdem reſtitutione abſolvere, & liberare. Hi certe, niſi per vim compellantur ad inſtrumentum cautionis uſurario reddendum, lacerandum, atque delendum, non agerent negotium Domini; & iccirco eos a peccato immunes non dicerem; tametſi eoſdem non peccare dixerit S. Bernardinus loco nuper laudato cap. 4., ſi uſurarius inſtrumentum cautionis ab iiſdem duntaxat importune poſtularet. Immunes tamen cum Authore eos dicerem ab onere reſtitutionis: quia per talem Inſtrumenti deletionem a reſtitutione non abſolvitur uſurarius, & etiam quia ipſi ex munere non tenentur uſurarium cogere ad reſtituendum: & tandem quia non dant cauſam efficacem non reſtitutioni, quæ in caſu non ſequeretur ex ſola perverſa voluntate uſurarii redeuntis ad vomitum. Secus tamen cum Authore ſtatuendum eſt, ſi id fieret a Prælato, & Judice: quoniam præterquamquod huic non poteſt uſurarius gravem aliquam inferre violentiam, ex munere ipſe tenetur uſurarium cogere ad reſtituendum, quemadmodum Extra *de uſuris* Summi Pontifices pluries reſcripſere. Præſertim quum, ſecuta publica confeſſione uſurarii per Inſtrumentum, nullo amplius pallio uſuras poteſt hic obtegere, nec quicquam afferre in ſui excuſationem.

Tricesimum Dubium. Utrum in rebus habitis pro uſuris uſurarius acquirat dominium?

Reſpondeo, quod aut ſunt res uſu conſumptibiles, quæ conſiſtunt in numero, pondere, & menſura, puta pecunia, frumentum, & hujuſmodi. Quum hæc recipiant functionem in genere ſuo L. 2. §. 1. ff. *Si certum petatur*, & ſic conſumantur, & pereant, abſque dubio in iſtis transfertur dominium, quum etiam fur tradendo alteri pecuniam furtivam transferat dominium, quando permixta eſt, vel conſumpta L. *Si alieni nummi* ff. *de ſolutionibus*, & ff. *Si certum petatur* L. *Nam & ſi fur*. Idem ergo dicendum in vino, & frumento conſumptis L. *Si frumentum* ff. *de rei vindicatione*.

Si autem ſunt res mobiles, quæ ſervando ſervari poſſunt, aut immobiles, ſuper his fuere opiniones hinc atque illinc. Gloſſa, & Innocentius in cap. *Michael* Extra *de uſuris* tenent, quod transferatur dominium, & quod uſurarius teneatur ad reſtitutionem ex quaſi contractu per conditionem indebiti, & conſequenter dominium ſit translatum: cum nemo condicat rem ſuam præterquam a fure L. finali in fine ff. *Uſufructuarius quemadmodum caveat*, & Inſtitut. *de actionibus* §. *Sic itaque*. Idem tenet Gloſſa in cap. *Si quis uſuram* 14. q. 4., & in cap. *Si Epiſcopum* 16. q. 6., & in cap. *Ex tranſmiſſa* Extra *de decimis*, & in cap. *Debitores* Extra *de jure jurando*. Poteſt pro hac opinione adduci ratio: quia, quando traditio habet conſenſum Domini tradentis, tunc transfertur dominium L. *Contractus*, & ibi per Gloſſam C. *De fide Inſtrumentorum*, & in L. *Multum* C. *ſi quis alteri vel ſibi*, & ſicuti notatur in L. *Traditionibus* C. *de pactis*. Immo etiamſi tradat voluntate coacta, quia voluntas hæc adhuc ſufficit ad transferendum dominium, quamvis ei competat repetitio L. *Si mulier* ff. *quod metus cauſa*, & 15. q. 1. cap. *Merito*.

Sed

Digitized by Google

Sed contrarium verius eſſe puto , quod ſic probo . Ex nuda traditione non transfertur dominium L. *Nunquam nuda* & ibi per Gloſſam ff. *de acquirendo rerum dominio* , & L. *Traditionibus* C. *de pactis* . Sed datum pro uſura nude traditur , quod patet : quia nullo veſtitur titulo , nam non traditur pro ſoluto , nec pro empto , nec pro tranſacto , nec pro hærede , nec pro derelicto , nec pro legato , nec pro dote , nec pro ſuo , nec pro donato , nec pro uſucapto , nec pro præſcripto , nec pro mutuo , nec pro commiſſo , nec pro judicato , nec pro ſocio , nec pro pœna , nec pro quocumque alio titulo juris , quum pene omnes , ut credo , referantur ad prædictos . Ergo per conſequens non transfertur dominium per talem traditionem , cum ſit nuda .

Si dicis , quod traditur pro ſoluto , dico quod non : quia nihil debet ſolvi niſi ſors .

Si dicis , quod debetur ratione pacti , dico quod non : quia tale pactum ipſo jure non valet , ut infra patebit .

Si dicis , quod veſtitur pro donato , non eſt hoc verum : quia dantes non proferunt tale verbum , nec ipſum intendunt .

Si dicis , quod veſtitur pro pœna , vel pro commiſſo , patet caſus , in quo id licet ſine uſura , & in quo non licet .

Concludendum ergo , quod non transferatur dominium : quum alii tituli applicari non poſſint ad hoc , ut non ſit nuda .

Hoc ipſum confirmo ſic . Ex contractu nullo , & cui lex reſiſtit , non transfertur dominium L. *Non dubium* . C. *de legibus* , & tenet Bartolus , & Doctores communiter in L. 1. §. *Si vir uxori* ff. *de acquirenda vel amittenda poſſeſſione* . Quum ergo contractus uſurarius ſit nullus , recte infertur , quod non oritur obligatio nec civilis , nec naturalis , ut in cap. *Debitores* in principio Extra *de jure jurando* , in quo ſancitur , quod debitores non ſunt cogendi ad ſolven-

Digitized by Google

vendas uſuras. Si enim oriretur obligatio etiam naturalis tantum, cogerentur ad ſolvendum: arguitur cap. 1. Extra *de pactis*: quamvis daretur repetitio, ſicuti contingit quando interponitur juramentum. Patet inſuper quod non oritur obligatio: quia, cum lex reſiſtit, non poteſt oriri obligatio ne quidem naturalis, tametſi lex reſiſtat tantum uni ex contrahentibus ff. *de fidejuſſoribus* L. *Cum lex*, & ibi Bartolus. Sed lex reſiſtit uſurario, ne recipiat uſuras, quod patet cap. 2. & 3. & cap, *Conſuluit* Extra *de uſuris*. Concludendum eſt igitur, quod, ex quo contractus uſurarius eſt nullus, & reprobatus omni jure: ex quo lex ipſi reſiſtit, quia continet in ſe notorium peccatum: nulla oritur obligatio, ſicuti tenent Panormitanus in dicto cap. *Debitores*, & prima Gloſſa ibi in principio: & Joannes de Imola ibi in prima Gloſſa, quum uſura utriuſque Teſtamenti pagina prohibeatur, & ſit contra naturam, ut probat Ariſtoteles primo Politicorum: nec per ipſam transfertur dominium.

Probatur inſuper alio modo. Ille, qui tenetur ex delicto de aliqua re, non eſt ipſius Dominus, ſicuti patet in fure, & latrone L. *In furtiva re* & L. *Sive manifeſtus* ff. *de conditione furtiva*. Sed uſurarius tenetur ex delicto damnato, & reprobato pagina utriuſque Teſtamenti cap. 3. & 4. & cap. *Tua nos* Extra *de uſuris*: tenetur, inquam, ex delicto ad reſtitutionem, ſicuti docent communiter Doctores in cap. *In literis* Extra *de raptoribus*, & Joannes Andreæ, & Butrius ibidem, & idem Joannes Andreæ, & Geminianus in cap. *Quanquam* de uſuris lib. 6., & Federicus in ſuo Conſilio 21., & Dominus Angelus de Peruſio in ſua Diſputatione, quæ incipit = *Aſtenſis miles* = circa finem. Ergo uſurarius non eſt Dominus, & per conſequens nec transfert dominium.

Addi poteſt pro hac opinione, quod non transfertur domi-

dominium in uſurarium , iſtud alterum argumentum . Illicite acquiſitum eſt alienum , dicit L. *Cum duobus* §. 51. ff. *Pro ſocio* . Sed qui injuſte acquirit , illicite acquirit 14. q.4. cap. *Quid dicam* = *Hoc enim certe alienum non eſt* , *quod jure poſſidetur* = . Ergo injuſte acquiſitum eſt alienum . Cum ergo omne alienum non ſit proprium , recte infertur , quod uſurarius non eſt ejuſdem Dominus . Patet in L. *Falſus* §. *Qui alienum* ff. *de furtis* , & in L. fin. C. *Unde vi* , & L. 1. C. *de fundo dotali* . Ergo uſurarius , cum injuſte acquirat , non erit Dominus . Hoc idem tenet Gloſſa in Clement. cap. unico *de Uſuris* , ubi in textu prohibetur , ne fiant ſtatuta , quod uſuræ &c. Quærit ibi Gloſſa : an valeant ſtatuta , quæ tollunt dominia rerum . Ergo præſupponit , quod de jure communi non eſt translatum .

Cum hac opinione concordant communiter Theologi . Ergo eſt ſequenda : quum fundent ſe ſuper vetus & novum Teſtamentum , & ſuper textus Decretalium . Et quamvis Legiſtæ , & Canoniſtæ communiter teneant contrarium ; tamen Theologi in hoc ſunt præponendi . Præterea etſi de ſubtilitate juris civilis , non attenta intentione , ſed ſpectatis ſolis verbis , dominium transferatur ; nihilominus in conſcientia non eſt declinandum ab opinione Theologorum quoad effectum : quod ſic probo . Si res extat , ſemper uſurarius tenetur eam reſtituere cum fructibus , ut dicetur dubio ſequenti : nec poteſt uſurarius dare tantumdem juxta æſtimationem , cum jura obſtringant eum ad reſtituendum quod accepit cap. *Cum tu* Extra *de uſuris* ibi = *donec reddant , quod tum prave receperant* = , & id eruatur ex L. 2. in principio ff. *Si certum petatur* , & textus eſt clarus , in cap. *Si res aliena* 14. q. 6. Si vero eam alienavit , tunc de æquitate canonica tertius poſſidens poteſt conveniri , & dicta res ab eo advocari officio Judicis , ut notabiliter tenet Baldus in L. *Rem quam* in fine C. *de jure dotium* : nulla habita diſtin-

Digitized by Google

ſtinctione, an rem poſſideat titulo oneroſo, vel lucrativo: quoniam talis diſtinctio fieri quidem debet in re empta de pecunia uſuraria, ut per Gloſſam in cap. *Cum tu* in fine *de uſuris*; non autem in re ipſa formaliter data pro uſura, quæ poteſt repeti a quocumque, etiamſi eam poſſideat titulo oneroſo, quia tranſiit ad ipſum affecta eo vitio. Facit L. *Si cum exceptione* §. *Aliquando*, & L. *Metum* §. *Julianus* ff. *quod metus cauſa*, juncta æquiparatione, quam adhibet Achidiaconus in cap. *Si quis uſuram* in fine 14. q. 4. Tum quia mala fides uſurarii nocet cuilibet ſingulo ſucceſſori, ut in Authentica *Malæ fidei* C. *de præſcriptione longi temporis*.

Hanc opinionem credo veriorem, ſalva ſemper meliori determinatione juxta illud L. *Claudius Felix* in fine ff. *qui potiores in pignore vel hypotheca habeantur*. Nec obſtat dictum Gloſſæ: quoniam poteſt dici, quod ibi non figit pedes, ſed potius loquitur, ut communiter opinantes tenent: vel dici poteſt, quod locuta eſt de rebus conſumptibilibus. Et quod re ipſa non figat pedes in hoc, patet, ſi attendatur, quod eadem Gloſſa in cap. *Cum tu* Extra *de uſuris* docuit, quod in re empta ex pecunia uſuraria jus non acquiratur, ſed ea debeatur creditoribus. Ergo a fortiori id dicendum eſt de re in ſpecie habita pro uſura, & per conſequens quod non transferatur dominium. Ad rationem in contrarium adductam dico, quod in translatione dominii non ſolum requiritur traditio, & conſenſus tradentis, ſed inſuper titulus verus, aut putative talis, qui in caſu noſtro non habetur, ut patet.

(61) Quum Author hac de re nedum opinionem aperuerit ſuam, ſed inſuper eam apertiſſimis legibus, validiſſimiſque rationibus communiverit: ſupervacaneum duco leges alias, aliaſque rationes in medium proferre. Unice igitur adjiciam, pro hac ſententia ſtetiſſe Alexandrum Alenſem; parte enim 3. q. 36. membro 4. art. 2. in reſponſione ad quartum ait — *Accipere vero uſuram eſt contrectare rem alienam manentem alienam, & facere ut* de

*de ſua ; hoc autem eſt malum ſecundum ſe , & contra jus naturale* —: & ibidem q. 66. membro 3. ad quartum — *Duplex eſt voluntas , ſcilicet voluntas abſoluta , & voluntas reſpectiva , ſeu comparata . De voluntate abſoluta non vult Dominus hujus pecuniæ , quod uſurarius habeat eam . Libentius enim eam ſibi retineret . Sed de voluntate comparata vult , quod habeat eam , ex quo ſcilicet uſurarius non vult dare mutuum gratis . Uſurarius ergo contrectat rem alienam invito Domino* — . Idem docuit S. Bonaventura in 4. diſt. 15. art. 2. q. 1. *Ad illud* inquiens — *Quædam ſunt male acquiſita , in quibus transfertur dominium , & non competit repetito : & talia non eſt neceſſe reſtitui , & poſſunt licite retineri , ut pretium proſtibuli , & lucrum hiſtrionis , & talia poſſunt dari in eleemoſynam , ſed tamen non debent recipi in oblationem , ſi ſint publica , propter reverentiam altaris , & confuſionem peccati , ut reſipiſcant . Et hoc eſt quod dicitur Deuter. 23. v. 18.* — *NON OFFERES MERCEDEM PROSTIBULI* — . *Quædam autem ſunt , in quibus non transfertur dominium , ſed competit repetito , ut in furto , & rapina : & de talibus non debet fieri nec oblatio , nec eleemoſyna , ſed debet fieri reſtitutio . Ad hujuſmodi autem genus reducuntur omnia , quæ injuſto titulo , & mala fide poſſidentur , quia injuſtus titulus pro nullo eſt habendus . Malæ autem fidei poſſeſſor dicitur , qui contra legum interdicta mercatur : talia ſunt quæ habentur per ſimoniam , & uſuram ; & ideo de talibus nullo modo nec poteſt , nec debet fieri eleemoſyna* — . Non ſecus opinatus eſt Aſteſanus, qui lib. 3. tit. 11. art. 3., probans uſuram non tantum de ſe , ſed etiam ſecundum ſe eſſe peccatum , hæc ſcripſit — *Tertio , quia eſt contrectatio rei alienæ manentis alienæ , & hoc invito Domino , & privatur voluntas abſoluta , non comparata . Debitor enim ſimpliciter nollet dare aliquid ultra ſortem ; magis tamen vult aliquid ultra ſortem dare , quam pecunia carere ; ſicut enim ſcienter cognoſcere uxorem alienam manentem alienam eſt malum in ſe , & ſecundum ſe ; ſic ex mutuo recipere rem alienam manentem alienam , & eam contrectare ut ſuam , eſt contra jus naturale : & hæc tertia ratio eſt Alexandri de Ales 3. tit. 4. c. de præcepto mutui art. 3. circa 4. , & Ricardi 4. diſt. 15. q. 5. art. 6. , qui volunt quod illud , quod accipitur ultra ſortem ex vi mutui , non tranſit in dominium creditoris recipientis* — . Idem demum firmiter tenuere Raynerius in tit. de decimis , Hugo ſuper cap. *Si quis* 14. q. 4. , Maſtrius in ſua Morali Theologia Diſput. 5. q. 2. art. 5. , Daniel Concina lib. 3. de juſtitia & jure Diſſert. 3. cap. 23. num. 1. , aliique plures tum Veteres , tum Recentiores . Placet exſcribere rationem , quam Concina ad id probandum adduxit — *Contractus fœneratitius jure tum naturali , tum divino nullus eſt . Ergo impar ad dominium transferendum . Mutuatarius enim eo modo fœneratori pecunias ſolvit , quo traderet eas latroni , ut ſibi caveret : nec plus dare fœneratori re ipſa intendit quam quod debet . Uſuras autem nullo modo debet . Quid quod , ſi etiam vellet , nequit mutuatarius ſua libertate efficere validum contractum , qui omni jure nullus eſt ? Poteſt utique libere ſua donare ; at*

*non poteſt cum fœneratore concurrere ad celebrandum contractum jure ſuo nullum. Libertas, quæ in mutuatario aſſeritur, reipſa fictitia eſt: nam omnes vellent ſibi gratis mutuum tradi* —.

Non deſunt tamen Authores graviſſimi ſecus opinantes, quorum ſententiam probavit S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 8. §. 17. ſcribens — *Sed alia opinio eſt, quod in uſura transferatur dominium; licet competat repetitio. Cujus opinionis ſunt Thomas 2. 2. q. 78. in ſumma, Vldericus, Goffredus, Bernardus (Gloſſator Decretalium) & Gloſſa 14. q. 4. ſuper cap. SI QVIS VSVRAM. Et hæc eſt communior opinio, & mihi magis placet* —. Bona tanti Præſulis pace id dicam. S. Thomas eo loci immo docuit oppoſitum. Patronus mihi eſt ipſe Concina, qui loco nunc indicato ita aſſeruit — *Sed Sanctus Thomas, cui communiter Theologi ſubſcribunt, negat tale dominium uſurariis 2. 2. q. 78. art. 3.* —. Id equidem adſeruit, ſed non probavit Concina. Probatum tamen id video a Card. Cajetano Commentar. ſuper hoc articulo Angelici Doctoris in hæc verba — *In art. 3. ejuſdem q. 78. occurrit antiquum illud Dubium: An in uſura transferatur dominium. Et quoniam de hoc ordinatam quæſtionem in Quolibeto noſtro ſcripſi, & , ut puto, oſtendi partem negativam verum, quam hic Author pro indubitata præſupponit, dum reddens rationem reſtitutionis fructuum agri per uſuram extorti dicit — quia ſunt fructus rerum, quarum alius eſt Dominus* —, *nec occurrit nova ratio dubitandi: ad illam te remitto jam editam, & impreſſam. Et quamvis forte propter perfectionem Operis eſſet repetenda, nunc iter facturus propter calores menſis Julii, ad alia propero* —. Accipe nihilominus integra S. Thomæ verba, ſeu integram periodum in corpore ejuſdem articuli — *Quædam vero ſunt res, quarum uſus non eſt earum conſumptio, & talia habent uſumfructum, ſicut domus, & ager, & alia hujuſmodi; & ideo, ſi quis domum alterius, vel agrum per uſuram extorſiſſet, non ſolum tenetur reſtituere domum, vel agrum, ſed etiam fructus inde perceptos: quia ſunt fructus rerum, quarum alius eſt Dominus, & ideo ei debentur* —. Certiſſimum eſt igitur, quod Angelicus Doctor adeo firmam habuit ſententiam hanc de dominio in uſurarium non translato, ut eam poſuerit tamquam indubitatam. Et mehercle, quum (Theologis omnibus uno ore, unoque conſilio id conſtituentibus) uſura jure naturali, divino, & Eccleſiaſtico ſit vetita: quum uſurarius ad reſtitutionem teneatur auctarii accepti, & abſolvi non poſſit niſi vel reſtitutione ſecuta, vel præſtita idonea cautione: quum onus reſtitutionis probet uſurarium eſſe injuſtum rei alienæ detentorem: vix intelligo, quod nonnulli, emunctæ licet naris Theologi, de hac apertiſſima veritate dubitaverint.

Et ut quiſque ſciat, cui opinioni ſit adhærendum, dum Doctores non conveniunt, nota hanc diſtinctionem. Aut

una

una opinio habet pro ſe legem, vel antiquam conſuetudinem approbatam, & alia non. Tunc illa eſt præferenda: quia minime mutanda ſunt, quæ certam ſententiam ſemper habuerunt L. *Minime* ff. *de legibus*, & conſuetudo eſt optima legum interpres L. *Si de interpretatione* eod. titulo, & cap. *Cum dilectus* Extra *de conſuetudine*, & cap. *Licet* Extra *de foro competenti*. Aut non eſt lex, nec conſuetudo pro aliqua ex opinionibus invicem oppoſitis: & tunc debent concordari, ut dicatur in uno caſu unam obtinere, & aliam in alio, ſi fieri poteſt, ut in cap. *Literas* Extra *de reſtitutione ſpoliatorum*, & 25. q. 2. cap. *Poſteaquam* §. *his ita reſpondetur*, & *de cognatione ſpirituali* cap. 1. Arguitur C. *de Juſtinianæo Codice confirmando*; conveniens enim eſt jura juribus concordare, dicit textus cap. *Cum expediat* de Electione lib. 6., & L. 1. C. *de inofficioſis dotibus*, & L. *Præcipimus* in fine C. *de appellationibus*, & cap. *Eccleſia* 2. §. *Denique* Extra *de electione*. Contrarietas aliquando ſolvitur per aliud, & ſimpliciter, ut 12. q. 2. cap. *Sine exceptione*, & cap. *Cum Apoſtolica* Extra *de his, quæ fiunt a Prælato ſine conſenſu Capituli*. Aut per aliter cap. *Quod ſicut*, & cap. *Publicato* Extra *de electione*. Aut per ſe, ut cap. *Cumana*, & cap. *Cum in veteri* Extra *de electione*. Si vero non poſſunt jura concordari, tunc communis opinio Doctorum eſt ſequenda, ut Gloſſa in L. *Omnis definitio* ff. *de diverſis regulis juris antiqui*, & Bartolus in L. *Precibus* verſ. *Sed quid ſi ex præcedentibus* C. *de impuberum, & aliis ſubſtitutionibus*, & Clementina cap. unico in fine *de Summa Trinitate*; in dubiis enim, & deciſivis adhærendum eſt conſortio Doctorum: quod intellige niſi per rationem, cui reſponderi non poſſit, contrarium appareat, ut notatur cap. 1. *de Conſtitutionibus* lib. 6., & facit L. 1. in principio C. *de veteri jure enucleando* §. 6. ibi = *Cum poſſit unius (forſitan) & deterioris ſententia, & multos, & majores in ali-*



Digitized by Google

*qua parte ſuperare* =. Et pro hoc facit Gloſſa in cap. *Si habes* 24. q. 3.

(62) Quod, dum una opinio pro ſe habet legem apertam, præferri hæc debeat, probari etiam poteſt per L. *Contra* ff. *de legibus* — *Contra legem facit, qui id facit, quod lex prohibet: in fraudem vero, qui, ſalvis verbis legis, ſententiam ejus circumvenit* —.

Quod in defectu legis ſtandum ſit conſuetudini, oſtendit L. *Diuturna* cod. tit. — *Diuturna conſuetudo pro jure & lege in his, quæ non ex ſcripto deſcendunt, obſervari ſolet* —: & L. *Sed & ea* ibidem — *Sed & ea, quæ longa conſuetudine comprobata ſunt, ac per annos plurimos obſervata, velut tacita civium conventio non minus quam ea, quæ ſcripta ſunt, jura, ſervantur* —.

Quod, dum leges, quæ ab invicem oppoſitis opinionibus producuntur, in ſpeciem pugnare videntur, tunc expediat ob reverentiam legibus debitam eas, quantum fieri poteſt, componere: æquiſſima Regula hæc eſt utroque jure probata — *Cum expediat concordare jura juribus* — ait Bonifacius VIII. cap. *Cum expediat* in Sexto *de electione* —. *Leges legibus concordare promptum eſt* — ait L. 1. C. *de inofficioſis dotibus*.

Quod in eo caſu, in quo jura concordari nequeunt, audiri debeant Doctores tamquam legis interpretes, & cum ipſis ſit conſtituendum, id exemplo ſuo nos docuit Clemens V. in Con. Viennenſi ab Authore laudatus ita differendo §. 3. — *Quibuſdam ex ipſis dicentibus, per virtutem Baptiſmi parvulis quidem culpam remitti, ſed gratiam non conferri: aliis econtra aſſerentibus, quod & culpa eiſdem in Baptiſmo remittitur, & virtutes, ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etſi non pro illo tempore quoad uſum. Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Chriſti (quæ per Baptiſma applicatur pariter omnibus baptizatis) opinionem ſecundam (quæ dicit tam parvulis quam adultis conferri in Baptiſmo informantem gratiam, & virtutes) tamquam probabiliorem, & dictis Sanctorum, ac Doctorum modernorum Theologiæ magis conſonam, & concordem, ſacro approbante Concilio duximus eligendam* —.

Quod demum ex multitudine Authorum non ſemper judicari debeat, & haberi veritas, aurea ſunt Juſtiniani Imperatoris verba ab Authore ex parte recitata, quæ hic integra præbere non erit abs re — *Sed neque ex multitudine Auctorum, quod melius, & æquius eſt judicatote, cum poſſit unius (forſitan) & deterioris ſententia & multos, & majores in aliqua parte ſuperare .... nam qui non ſubtiliter factum emendat, laudabilior eſt eo, qui primus invenit* —.

Quod ſi non appareat, quæ ſit opinio communis, tunc præpo-

præponenda eſt, quæ validioribus rationibus innititur. Arguitur Inſtitut. *de emptione & venditione* §. *Item pretium*, & L. *Edicto* C. *de Edicto Divi Adriani tollendo*. Facit cap. *Domino ſancto* §. *Ecce in quantum* 50. diſt. Et maxime ſi talis opinio ſit ſubtilior, ut dicit textus in cap. *Cappellanus* Extra *de Feriis*.

(63) Præclara ſunt quæ ſeguntur in citato cap. *Domino ſancto — In fine autem hujus Epiſtolæ hoc adjiciendum putavi, ut quotieſcumque in geſtis Conciliorum diſcors ſententia invenitur, illius Concilii magis teneatur ſententia, cujus aut antiquior, aut potior extat auctoritas* —. Quod hic adjicit Author de opinione ſubtiliori, depromptum eſt nedum ex indicato cap. *Capellanus*, in quo legitur — *poſterior ſententia meliori, & ſubtiliori nititur ratione* —, ſed etiam ex Gloſſa, quæ ibidem ſub initio habet — *Nota, quod illa ſententia ſemper debet obſervari, quæ meliori ratione, & ſubtiliori juvatur* —. Ingenue tamen fateor, doctrinam hanc, ſubtiliorem rationem quod reſpicit, ſuis eſſe exceptionibus obnoxiam: quoniam Gloſſa ipſa ibidem ver. *Subtiliori* ita animadvertit — *Subtilitas hic commendatur, ſed alibi non excuſat errantes in fide 24. q. 1. cap. SCHISMA. Alibi etiam ſubtilitas perniciosa eſt C. AD SENATUS CONSULTUM TREBELLIANUM L. SANCIMUS, & ſupra DE JUDICIS cap. DILECTI. & cap. EXAMINATA: nec de apicibus juris eſt diſputandum ff. MANDATI L. SI FIDEJUSSOR §. QUÆDAM* —. Si opinio, quæ eſt ſubtilior, eſt inſimul melior, validioribus nempe rationibus innixa; tunc dubio procul alteri præponenda eſt tamquam veritati magis conſentanea. Aſt, ſi aliam duntaxat ſubtilitate ſuperat, non poteſt generatim conſtitui eam eſſe adverſanti opinationi anteferendam.

Licet opinio Doctorum non arctet neceſſario 9. diſt. cap. *Noli*, & cap. *Ego*, & cap. *Neque*, etiamſi eſſet Papa, dummodo loquatur tamquam Doctor privatus, & Gloſſans, ut dicit Hoſtienſis cap. *Paſtoralis* Extra *de decimis*: tamen ſi eorum opinio eſt probabilis, non eſt ab ea recedendum. Facit dictum cap. *Neque*, & cap. 1. Extra *de Decimis*, & L. *Si ædibus* ff. *de damno infecto*.

(64) Utinam prima tria capita hic ab Authore laudata, quæ omnia Auguſtini ſunt, in ſapientum omnium animis altius imprimerentur. Non adeo exardeſcerent, cum quis in eorum ſcriptis aliquid dicit eſſe veritati non conſonum. Ea igitur accipe — *Noli meis literis quaſi canonicis ſcripturis de-*

*ferve-*

*ſervire. Sed in illis, & quod non credebas, cum inveneris, incunctanter crede: in iſtis autem, quod certum non habebas, niſi certum intellexeris, noli firmum tenere* – Auguſtinus Prologo libri tertii de Trinitate. Super hoc capite, & ſingillatim ſuper. ver. *In iſtis* ita Gloſſa – *Loquitur hic ſecundum illa tempora, cum adhuc ſcripta Auguſtini, & aliorum Sanctorum Patrum non erant authentica, ſed hodie jubentur omnia teneri uſque ad ultimum jota, ut infra* 15. *diſt. cap. ultimo* –. Se fefellit tamen; Gelaſius enim, cujus eſt cap. ult. diſt. 15., in Concilio Romano id non dixit de Operibus Sanctorum Eccleſiæ Patrum, de quibus unice ſcripſit, quod recipiuntur in Eccleſia catholica, ſed unice de Epiſtola S. Leonis Papæ ad Flavianum – *Item Epiſtolam Beati Leonis Papæ ad Flavianum Conſtantinopolitanum Epiſcopum deſtinatam, cujus textum quiſpiam ſi uſque ad unum jota diſputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter receperit, anathema ſit* –. Quod ergo de ſcriptis Sanctorum Patrum cenſuit Auguſtinus, verum erat tunc, & nunc pariter eſt veriſſimum, ſi ea demas, quæ Eccleſia conſecravit, fidei canones efformando: Proſequor idcirco, alia duo recitans Auguſtini capita – *Ego ſolis eis Scriptorum* (ideſt *Scriptoribus* notat Gloſſa) *Scripturarum libris*, legunt alii) *qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem, honoremque deferre, ut nullum eorum ſcribendo erraſſe audeam credere: ac ſi aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quam vel mendoſum eſſe codicem, vel interpretem non aſſecutum eſſe quod dictum eſt, vel me minime intellexiſſe, non ambigam. Alios autem ita lego, ut quantulibet ſanctitate, doctrinaque polleant non ideo verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt, ſed quia mihi per alios auctores, vel canonicas, vel probabiles rationes, quod a vero non abhorreat, perſuadere potuerunt* – Auguſtinus ad Hieronymum. *Neque quorumlibet diſputationes, quamvis catholicorum, & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat ſalva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare, atque reſpuere, ſi forte invenerimus, quod aliter ſenſerint, quam veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta, vel a nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum* – Auguſtinus ad Fortunatianum.

Summum Pontificem, dum loquitur tamquam Doctor privatus, infallibilitate non gaudere, & ſalva reverentia opinionem ipſius ab aliis Doctoribus oppugnari poſſe, ingenue confeſſus eſt & ipſe Benedictus XIV. in Præfatione ad Synodum Diœceſanam in fine ejuſdem ſcribens – *Ad ſummum deinde Pontificatum evecti idem Opus multis partibus expolitum paucis ab hinc annis edidimus, & nunc amplificatum, & auctum de novo in lucem proferimus. At, ubi neque a Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris, neque a nobis ipſis aut in Bullario, aut alibi, Apoſtolica auctoritate quidquam definitum eſt, ac generaliter omnibus in rebus, quibus nullum ex publica Eccleſiæ auctoritate pondus acceſſit, nihil nos definire, ac veluti decre-*

*torium*

*terium exhibere intendimus. Ea enim nobis & ſemper fuit, & adhuc mens eſt, ut ſententiam noſtram proponentes, hanc catenus tueamur, quatenus illi ex rationibus, & auctoritatibus, quæ nos ad eam amplectendam impulerunt, ſatis roboris, & firmitatis adeſſe dignoſcatur; libensique animo ſubſcribimus doctrinæ Scriptoris egregii Melchioris Cani, qui lib. 6. de locis Theologicis cap. 8. in reſponſione ad nonum argumentum, de libris agens, qui a Summis Pontificibus conſcripti publicantur, hæc ait — CUM EDUNT LIBROS DE RE QUALIBET ROMANI PONTIFICES, SENTENTIAM SUAM UT HOMINES ALII DOCTI EXPRIMUNT, NON TAMQUAM ECCLESIÆ JUDICES DE FIDE PRONUNCIANT — . Magnus ille Prædeceſſor noſter Innocentius IV. Commentaria ſua in Libros Decretalium ſcripſit, cum Summum Pontificatum gereret: TRAHENS MORAM LUGDUNI, POST CONCILIUM IBI CELEBRATUM, COMPOSUIT APPARATUM SUPER DECRETALIBUS: uti teſtatur Thomas Diplovatatius in Vita ipſius Innocentii antedictis Commentariis præmiſſa. Neque profecto Innocentius hoc ſibi unquam arrogavit, ut, quidquid in eo Opere ſcripſiſſet, pro re deſinita haberetur; ſed facile paſſus eſt, opiniones ſuas, quas tamquam privatus Doctor propoſuerat, ab aliis Doctoribus oppugnari: ut patet ex ipſa, quam citavimus, illius Vita; multoque magis ex ea, quam ſibi ampliſſimam hac in re licentiam ſumpſerunt poſteriores Canoniſtæ, dum ſententias ab Innocentio ſuis Commentariis inſertas ſæpe deſerere, & in alia omnia ire non dubitarunt — .*

Aut una opinio innititur æquitati ſcriptæ, & alia rigori ſcripto; & tunc illa præponitur iſti cap. unico *de rerum permutatione* lib. 6., & L. *Placuit* C. *de judiciis*, & per Cynum in L. 1. C. *de Legibus*, & ibi plene Bartolus. Fallit hoc in odium Judæorum, contra quos rigor præfertur æquitati cap. 2. Extra *de Judæis*.

(65) Arbitror non eſſe hic ponendum — *æquitati ſcriptæ* — tametſi ita ſe exprimat Bartolus loco indicato, ſed duntaxat — *æquitati* — . Rationem adfert Gloſſa in L. *Placuit* C. *de judiciis* ſcribens — *Admonet Conſtantinus Imperator Judices, quoties pugnant inter ſe ſcriptum & voluntas: aut ſcripti tantum: aut voluntatis eſt quæſtio: alter ex bono & æquo voluntatem defendit, alter verborum aucupio, vel alias callida interpretatione deludit, boni & æqui rationem habendam, poſthabito eo jure, quod ſtrictum, & verſutum eſt. Porro in sexto vocem SCRIPTÆ adjectam a ſciolo quodam, ac proinde rejiciendam puto. Cum enim æquitas ſcripto comprehenditur, jam in aliquam ſpeciem, & nomen juris tranſit, ut elegantiſſime docet Marius Su-*

*lomo-*

Digitized by Google

*Domonius in Commentariis ſuis ad tit. de juſtitia & jure*, *ubi & hujus Conſtitutionis materiam docte*, *& copioſe explicat* —. Æquitas ergo juris ſcripto præferenda eſt ead. L. *Placuit* — *Placuit in omnibus rebus præcipuam eſſe juſtitiæ*, *æquitatiſque*, *quam ſtricti juris*, *rationem* —, & Gloſſa ibidem ſuper ver. *Placuit* — *Ubi æquitas ex una parte*, *jus ſcriptum ex alia eſt*, *& contradicunt*, *æquitas præferenda eſt* —, & Bonifacius VIII. *de rerum permutatione* cap. unico in Sexto — *Æquitatem præferentes in hac parte rigori* —.

Ab hac Regula excipit Author, dum agitur de Judæis, & in odium ipſorum, idque probat ex citato capite, quod eſt Gregorii Summi Pontificis ad Epiſcopum Lucenſem ita conceptum — *Nulli Judæo liceat Chriſtianum mancipium in ſuo dominio retinere*; *ſed ſi qui apud eos inveniuntur*, *libertas eis ſervetur*. *Hi vero*, *qui in poſſeſſionibus eorum ſunt*, *licet legum diſtrictione ſint liberi*, *tamen quia colendis terris eorum diutius adhæſerunt*, *utpote conditione loci debentes*, *ad colenda rura remaneant*, *conſuetas penſiones prædictis viris præbentes*. *Cuncta etiam*, *quæ de colonis*, *vel originariis jura præcipiunt*, *peragant*, *& nihil eis extra hoc oneris indicatur*. *Quod ſi quiſquam Judæorum aliquem de his*, *vel ad alium transferre locum*, *vel ad aliud obſequium retinere voluerit*, *ipſe ſibi imputet*, *qui jus colonarium*, *& jus dominii ſibi juris ſeveritate damnavit* —. Gloſſa ſuper ver. *Juris ſeveritate* — *Arg. quod juris ſeveritas*, *ſive rigor ſervandus eſt*. *Sed hoc eſt in odium illorum Judæorum Bernardus* —: & ſuper ultimum ver. *Damnavit* — *Ideſt abſtulit ſibi jus colonicum ipſo facto* —. Rigor juris erat hic, quod, ſi Dominus vellet vendere fundum, & transferre colonum ad alium locum, non poſſet eo invito, ut ſancitur L. *Si quis prædium* ff. *de agricolis & cenſitis* — *Si quis prædium vendere voluerit*, *vel donare*, *retinere ſibi transferendos ad alia loca colonos privata pactione non poſſit*. *Qui enim colonos utiles credunt*, *aut cum prædiis eos tenere debent*, *aut profuturos aliis derelinquere*, *ſi ipſi prædium ſibi prodeſſe deſperant* —.

In aliis autem opinio benignior debet ſervari L. *Benignius* ff. *de legibus*. Facit ad hoc cap. final. Extra *de tranſactionibus*, & ita ſtatuunt Paulus, & Butrius in Clement. *de electione* cap. *Ne Romani* in principio.

(66) Super hac re leges ab Authore indicatæ adeo perſpicuæ ſunt nihil ut magis — *Benignius leges interpretandæ ſunt*, *quo voluntas earum conſervetur* — Ita lex *Benignius* ff. *de legibus*, ſuper qua Gloſſa — *BENIGNIUS Duobus modis expone*. *Primo benignius*, *quam verba patiantur*, *& tunc pone exemplum*. *Probibetur alienatio*, *certe & uſusfructus & pignoris conſtitutio probiberi videtur*, *licet non ſit alienatio*, *ut C. DE REBUS ALIENIS NON ALIENANDIS L. finali*, *& DE FUNDO DOTALI L. 1.*

Digitized by Google

*L. 1. Secundo improprie, ideſt benigne, & pone exemplum ſicut ponitur C. DE NATURALIBUS LIBERIS, ubi interpretatur ſuperiorem legem CUM QUIS in eo, qui concubinam accipit in uxorem: nam filii prius geniti legitimi efficiuntur: ſi alii poſtea naſcuntur, interpretor, vel etiam ſi non naſcantur, vel nati moriantur* — In capite finali *de tranſactionibus* ita Honorius III. ad Cardinalem Sanctæ Praxedis ipſius Legatum — *In his vero, ſuper quibus jus non invenitur expreſſum, procedas (æquitate ſervata) ſemper in humaniorem partem declinando, ſecundum quod perſonas, & cauſas, loca, & tempora videris poſtulare* — Super quo Gloſſa — *IN HUMANIOREM. Quia ſemper debemus promptiores eſſe ad abſolvendum, quam ad condemnandum ff. DE OBLIGATIONIBUS ET ACTIONIBUS L. ARIANUS ..... & promptiores ad miſericordiam, quam ad rigorem: quia melius eſt præſtare cauſas pro miſericordia, quam prætendere inclementiam 86. diſt. cap. NON SATIS ....., & ſententia, quæ miſericordiam vetat, fugienda eſt 50. diſt. cap. PONDERET, & 26. q. ult. cap. ALLIGAT* —.

Et nota, quod benignior eſt opinio, quæ favet juramento, teſtamento, libertati, matrimonio, Religioni, & Sacramento. Et pro hoc facit cap. 2. Extra *de cognatione ſpirituali*, & L. *Sunt perſonæ* in fine ff. *de religioſis & ſumptibus funerum*. Similiter illa, quæ potius abſolvit, quam quæ ligat cap. *Odia* de regulis juris lib. 6., & L. *Arianus* ff. *de obligationibus & actionibus*: intelligendo ſemper quod Gloſſa præferatur, quia ubi ipſa figit pedes, non eſt ab ea recedendum, ut dicit Jacobus Butrigarius Regula cap. *Unde vi*, & maxime ſi eſt* ultima. Arguitur L. *Qui filium* §. *Fabius* ff. *ad Senatuſconſultum Trebellianum*, & per Hoſtienſem in cap. 1. *de pœnis*, & per Joannem Andreæ in cap. 1. *de ſententia excommunicationis* lib. 6. Verum hoc eſt, quando Gloſſa habet textum pro ſua opinione: quia ſecus licet tenere oppoſitum, & etiam Doctoribus adverſari, ut notat Panormitanus in cap. *Tua nos* de uſuris; quod intellige, quando habetur ratio in contrarium, quæ prevaleat, & non aliter.

(67) Libertatis nomine cave, ne intelligas effrenem operandi libidinem, ſed eam ſolam intellige, quæ ſervituti opponitur, & coactioni. De



aucto-

auctoritate Gloſſæ peroptime Anacletus noſter in Proemio ſui Juris Canonici num. 146. & ſeq. — Licet magna, & cæteris paribus major ſit auctoritas Gloſſæ, quam alterius Authoris; nihilominus ipſa neque habet authoritatem legis, neque eſt attendenda, quando meliora juris fundamenta, & rationes contra ipſam militant. Ita in re communis. Et quidem prior pars patet ex encomiis illis, quæ Gloſſæ attribui ſolent: nam quia Gloſſa digna judicata fuit, ut ad Canonis, ſeu legis declarationem in corpore Juris poneretur; hinc quod authoritas Gloſſæ major ſit, quam aliorum Doctorum, tradit Bartolus in L. *Ut vim*, & ibi Jaſon num. 34. ff. *de juſtitia & jure*, & Baldus in L. *Cum hæreditas* C. *Depoſiti*, & alibi, dicens, quod Gloſſæ authoritas omnes alias authoritates antecedat, a qua proin in cauſis magnis recedendum non eſt. Item Jacobus Butrius in L. 1. C. *Qui pro ſua juriſdictione* inquit, quod ubi cum Gloſſa concordat aliquis Doctor, illa opinio cenſeatur communis in judicando. Et rurſum Baldus in L. ult. §. *Neceſſitate* C. *de bonis quæ liberis* ait — *Adhæreas corotio veritatis Gloſſæ, & in æternum non errabis* —. Inſuper opinionem Gloſſæ communi opinioni præferendam eſſe, cenſet Felinus in cap. 1. num. 54. de Conſtit. citans Imolam, Salicetum, & alios. Unde Gloſſæ opinio appellatur *Idolum Advocatorum* ſecundum Cynum in L. *Non moriturum* C. *de contrahenda, & committenda ſtipul.*, quem refert, ac ſequitur Alexander Conſil. 51. num. 4. lib. 4., quibus ſimilia paſſim habent alii Doctores. Altera pars, quod Gloſſæ authoritas vim legis non habeat, eſt communis. Nullibi enim authoritas legis condendæ eidem attributa legitur: quinimmo Gloſſa a privatis Authoribus, videlicet Bernardo, Tancredo, Joanne Andreæ, & aliis, quorum nomina plerumque ad finem Gloſſarum apponuntur, textui Canonum appoſita fuit. Atqui tales privati Authores poteſtatem condendi leges non habuerunt. Accedit, quod dentur nonnumquam Gloſſæ inter ſe contrariæ. Et per hoc patet ad tertiam partem. Nam quia opinio Gloſſæ authoritatem legis non habet, merito per jura meliora, & rationes in oppoſitum occurrentes rejici poteſt, & non raro reprobatur. Siquidem inter plures opiniones illa eſt præferenda, & ſequenda, quæ meliori, & ſubtiliori nititur ratione, ut inquit Abbas in cap. *Capellanus* num. 3. *de Feriis*. Neque enim in delectu opinionum habendus eſt reſpectus ad qualitatem perſonæ v. g. Gloſſæ, illam opinionem foventis, ſed ad rationem ipſius, textu notabili in L. 1. §. *Sed neque* C. *de veteri jure enucleando*, ibi — *Sed neque ex multitudine Authorum, quod melius & æquius eſt, judicatote: cum poſſit unius forſan & deterioris ſententia & multos, & majores in aliqua parte ſuperare* —. Nec obſtant encomia Gloſſa in contrarium allegata. Nam illa procedunt non de neceſſitate, ſed per modum conſilii: quia enim veritas non facile poteſt inveniri, utilius eſt accedere opinioni Gloſſæ, cujus authoritate defendimur, & excuſamur, quam alterius privati Authoris non afferentis clariora Juris, aut rationum fundamenta. Non tamen idcirco cogimur ſequi Gloſſam, ut-

pote

poté cujus authoritas eſt duntaxat probabilis, non neceſſaria; ut fatetur ipſemet Baldus in L. *Conventiculam* num. 3. C. *de Epiſcopis & Clericis* —. Hactenus Anacletus.

Aut contrarietas eſt inter antiquos & juniores; & tunc antiqui ſunt præponendi, niſi juniores aliud ſentiant ex novis, gravibuſque rationibus, & cauſis; multoties enim intellectus junioris perſpicacior eſt, quam ſenis, L. *Gallus* ff. *de liberis & poſthumis*, & 63. diſt. cap. 28. §. *Verum*.

(68) En quod ad rem legitur in citato cap. 28., quod eſt Stephani Romani Pontificis — *Ac per hoc magna auctoritas iſta eſt habenda in Eccleſia, ut ſi nonnulli ex Prædeceſſoribus, & majoribus noſtris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt eſſe ſine culpa, & poſtea vertuntur in errorem, & ſuperſtitionem, ſine tarditate aliqua, & cum magna auctoritate a poſteris deſtruantur* —.

Aut contrariantes Doctores ſunt Theologi, Canoniſtæ, & Legales; & tunc Theologus præferendus eſt, ſi fundat ſe ſuper vetus, & novum Teſtamentum, vel ſuper textum Decretalium. Si vero fundat ſe ſuper Auguſtinum, Hieronymum, & hujuſmodi tantum; Canoniſta autem ſuper textum Decretalium, Canoniſta præferri debet Theologo. Percipitur hoc ex Gloſſa in cap. *de libellis* 20. diſt., & in 36. q. ultima §. finali. Si poſtmodum nullus ex his fundat ſe ſuper textum, tunc in materia Theologica & fidei præfertur Theologus, in Canoniſtali Canoniſta, & in Legali Legiſta præponitur.

(69) Scriptum eſt in laudato cap. *De libellis*, quod eſt Leonis IV. Summi Pontificis — *De libellis, & commentariis aliorum non convenit aliquem judicare, & Sanctorum Conciliorum Canones relinquere, vel Decretalium regulas, ideſt quæ habentur apud nos ſimul cum Canonibus. Quibus autem in omnibus Eccleſiaſticis utimur judiciis, ſunt Canones Apoſtolorum, Nicænorum..... Iſti omnino ſunt, & per quos judicant Epiſcopi, & per quos Epiſcopi ſimul judicant, & Clerici. Nam ſi tale emerſerit, vel contigerit inuſitatum negotium, quod minime poſſit per iſtos definiri: tunc ſi illorum, quorum meminiſtis, dicta Hieronymi, Auguſtini, Iſidori, vel cæterorum ſimiliter*

*liter Sanctorum Doctorum ſimilium reperta fuerint, magnanimiter ſunt retinenda, ac promulganda, vel ad Apoſtolicam Sedem referendum de talibus* —. Super hoc præclare Gloſſa. *Caſus. Epiſcopi Britanniæ judicabant cauſas tantum ſecundum expoſitiones Auguſtini, & Hieronymi, & aliorum, poſtponentes Canones Conciliorum, & Decreta Pontificum: quos Leo redarguit oſtendens, quod in cauſis definiendis primo recurrendum eſt ad Canones Conciliorum, & ad Decreta, vel Decretales Pontificum. Secundo ad Sanctorum expoſitiones, ſcilicet Hieronymi, & Auguſtini, & aliorum Sanctorum, in quibus ſi veritas non reperiatur, tunc recurrendum eſt ad Sedem Apoſtolicam, cujus ſtatuta qui non recipit, hæreticus eſſe convincitur* —.

Aut contrarietas eſt inter Eccleſiæ Doctores; & tunc Auguſtinus præfertur in ſubtilitatibus, & quæſtionibus, Ambroſius in Sermonibus, Hieronymus in translationibus, & Gregorius in Moralibus, ut 9. diſt. cap. *Ut veterum* in Gloſſa: *quia non omnes in omnia, ſed certi per certa*, ut L. 1. §. *Cumque hæc* C. *de veteri jure enucleando*.

(70) Quod hic ſcripſit Author, pene ad verbum depromptum eſt ex indicata Gloſſa, quæ ſic habet — *Inter iſtos tres, Auguſtinum, Hieronymum, & Gregorium, Auguſtino magis credendum eſt in diſputationibus. Hieronymus in hiſtoriis, & translationibus: Gregorius in Moralibus præponitur: quia non omnes in omnibus, ſed certi per certa &c. C. DE VETERI JURE ENUCLEANDO L. 1.* —: in qua ita lego — *Omnibus auctoribus juris æqua dignitate pollentibus, & nemini quadam prærogativa ſervanda: quia non omnes in omnia, ſed certi per certa, vel meliores, vel deteriores inveniuntur* —.

Tricesimumprimum Dubium. Utrum uſurarius teneatur reſtituere quidquid ex rebus uſurariis lucratus eſt?

Reſpondeo ſecundum Scotum, & Ricardum in 4. diſt. 15., quod aut tales res ſunt de ſe lucroſæ, quarum uſus non eſt ipſarum conſumptio, puta domus, poſſeſſio, & hujuſmodi; & tunc tenetur, deductis expenſis, & laboribus, quæ fiunt cauſa fructuum quærendorum, conſervandorum, & congregandorum, & deducuntur tam a malæ fidei poſſeſſore quam a poſseſſore bonæ fidei L. *Si a Domino, vel a Patre* §. *Fructus* ff. *de hæreditatis petitione* & L. *Plane* in fine,

& C. *de*

Digitized by Google

& C. *de fructibus & litium expenſis* L. 1. Pro Regula hoc eſt notandum: quia nullus intervenire poteſt caſus, qui hoc genus deductionis impediat L. *Fructus* ff. *ſoluto matrimonio*, & L. 4. ff. *de operis ſervorum*, & L. *Quod in fructus* ff. *de uſuris*, & L. *hæres furioſi* ff. *de hæreditatis petitione*. Nec diſtinguo, utrum tales fructus ſint mere naturales, ut poma, & hujuſmodi, quos natura producit: aut partim naturales, partim induſtriales, ut lac, lana, & ſegetes: quia indiſtincte tenetur; & non ſolum de perceptis, ſed etiam de iis, quæ verus poſſeſſor potuiſſet percipere L. *Si navis* §. ultimo ff. *de rei vindicatione*, et Inſtitut. *de officio Judicis* §. *Etſi in rem*; honeſte tamen, ut L. Fructus ff. *de rei vindicatione*. Ratio eſt: quia eſt poſſeſſor malæ fidei, nam mercatur contra omnia legum interdicta L. *Quemadmodum* C. *de agricolis & cenſitis & Colonis*. Quod autem tales fructus reſtituere teneatur, patet in L. *Videamus generali* §. *In Faviana quoque* ff. *de uſuris*, ubi in textu legitur = *Nam & verbum reſtituas, quod in hac re Prætor dixit, plenam habet ſignificationem, ut fructus quoque reſtituantur. Et ideo, cum reſtitui Prætor vult, veluti in interdicto UNDE VI, etiam fructus ſunt reſtituendi* =. A fortiori cum Papa id dixerit loquendo de uſuris. Ita igitur tenendum eſt in conſcientia, licet Archidiaconus contrarium ſenſerit in cap. *Si quis* 14. q. 4.

(71) Brevibus rem hanc complexus eſt Hoſtienſis *de pænitentiis & remiſſionibus* ubi *Quid de uſurariis* prope finem — *Dicas mediam viam tenendo, quod tenetur ad compenſandas expenſas, & intereſſe debitoris, in quo quidem lucrum, & damnum ſuum computandum eſt ſicuti expreſſe legitur ff. DE EO QUOD CERTO LOCO L. 2. §. penult. & finali, & L. ſequenti* —. Idem dixerat Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. — *De tertio, ſcilicet QUID, dico quod non ſolum tenetur quis ad reſtituendum rem ablatam, vel uſum rei, ſed etiam ad intereſſe, & fructum conceptum de re, ſi erat fructifera* —. Idem S. Thomas 2. 2. q. 78. art. 3. in corpore, cujus verba jam dedi annotatione 61., & hic iterum recitare juvat — *Quædam vero ſunt res, quarum uſus*

*non*

Digitized by Google

*non eſt earum conſumptio , & talia habent uſumfructum , ſicut domus , & ager , & alia hujuſmodi ; & ideo ſi quis domum alterius , vel agrum per uſuram extorſiſſet , non ſolum tenetur reſtituere domum , vel agrum , ſed etiam fructus inde perceptos : quia ſunt fructus rerum , quarum alius eſt Dominus ; & ideo ei debentur* — . Idem S. Bernardinus To. 1. ſerm. 33. art. 1. cap. 3. ſub initio, aliique pene omnes, tum Veteres, tum Recentiores. Et reipſa, quum uſurarius habeatur, & ſit injuſtus acceptor, atque detentor, ſicuti ſuperius Author oſtendit, aliter non poteſt conſtitui; jure enim injunxit Cœleſtinus III. cap. *Gravis* Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* — *Mandamus , quatenus ſi vobis conſtiterit de præmiſſis , prædictum Archidiaconum ablata prænominati Monaſterii Fratribus cum integritate reſtituere , damna plenarie reſarcire , & de illatis injuriis competenter ſatisfacere compellatis : proviſuri , ut non tantum fructus a novo , & violento poſſeſſore perceptos , ſed quos ( ſi eis poſſidere fuiſſet licitum ) poſſeſſores veteres percipiſſent , reddi faciatis eiſdem* — Ultimæ hujus Decretalis particulæ in ſpeciem contradicere videtur doctrina Auctoris noſtri — *Et non ſolum de perceptis , ſed etiam de iis , quæ verus poſſeſſor potuiſſet percipere* — . Non ita tamen, non ita eſt; quoniam ſubdit hoc intelligendum eſſe juxta phraſim L. *Fructus* , quæ eſt hujuſmodi — *Fructus non modo percepti , ſed & qui percipi ( honeſte ) potuerunt , æſtimandi ſunt* — : & quæ in idem recidit cum phraſi Summi Pontificis nunc recitata, nempe — *quos .... poſſeſſores veteres percepiſſent* — .

Quod Author conſtituit de expenſis deducendis, & laboribus, æquum id eſt quam quod maxime; mutuatarius enim, ſeu Dominus rei datæ pro uſuris ſervari quidem debet indemnis, non tamen lucrari ex peccato alterius. Deducantur ergo in quolibet caſu rei alienæ juxta textum expreſſum L. *Si a Domino* ab eodem laudatæ §. *Fructus* — *Fructus intelliguntur deductis impenſis , quæ quærendorum , cogendorum , conſervandorumque eorum gratia fiunt . Quod non ſolum in bonæ fidei poſſeſſoribus naturalis ratio expoſtulat , verum etiam in prædonibus , ſicuti Sabino quoque placuit* — .

Aut tales res de ſe lucroſæ non ſunt, ſed lucroſæ duntaxat fiunt ex induſtria; et tunc communis Theologorum opinio eſt, quod non tenetur reſtituere lucrum, ſed ſufficit, quod reſtituat principale acceptum. Hujuſmodi res ſunt vinum, frumentum, denarii, & hujuſmodi. Ita tene in conſcientia, licet alii contrarium dixerint, ut ſcribit Archidiaconus ubi ſupra. Nota tamen ſecundum Ricardum, & Scotum ubi ſupra, quod, ſi directe dedit damnum, puta quia propter carentiam talis rei alter fuit coactus emere frumen-

frumentum tempore, quo pluris valebat, vel recipere ab alio ſub uſuris, vel poſſeſſiones diſtrahere pro minori, ut ſolveret, vel conſimilia facere, tunc tenetur ſatisfacere omne damnum paſſo.

(72) Cum hac Authoris doctrina omnino convenit S. Thomas loco proxime indicato ſcribens -- *Res quædam ſunt, quarum uſus eſt ipſarum rerum conſumptio, quæ non habent uſumfructum ſecundum jura, & ideo ſi talia fuerint per uſuram extorta, puta denarii, triticum, vinum, aut aliquid hujuſmodi, non tenetur homo ad reſtituendum niſi id quod accepit: quia id, quod de tali re eſt acquiſitum, non eſt fructus hujuſmodi rei, ſed humanæ induſtriæ: niſi forte per detentionem talis rei alter ſit damnificatus, amittendo aliquid de bonis ſuis; tunc enim tenetur ad recompenſationem nocumenti* --. Egregia eſt ratio, quam profert Scotus item proxime laudatus, & adprobat S. Bernardinus capite itidem annotatione præcedenti indicato verſus finem -- *Sed non fructum, qui provenit ex induſtria ejus, qui utitur illa re. Ex quo ſequitur, quod lucrum acquiſitum ex pecunia fænebri non tenetur fænerator reddere; alioquin ille, qui reciperet, poſſet eſſe juſte uſurarius: quia recipere fructum de ſua pecunia provenientem per induſtriam alterius, eſt facere uſuram*. Non defuere ſecus opinantes -- *Quibuſdam vero* (ſcribit S. Bernardinus ibidem) *non imprudenter videtur aliter eſſe dicendum, ne facilis aditus præbeatur ad fænus. Nam cum ſolutio pro uſuris non fiat communiter niſi de rebus infructuoſis, ſicuti ſunt denarii, vinum, frumentum, & ſimilia: ſi lucrum proveniens uſurario ex uſurario lucro non ſit reſtituendum, multi conabuntur lucrari per uſurariam pravitatem. Cumque cumulaverint magnum lucrum, artem fænoris dimittentes, cum denariis ex fænore acquiſitis conabuntur lucrari per licitas mercaturas, & artes, ſperantes paullatim ſatisfacere uſuraria lucra, & ſic divites remanere, & animam ſuam ſalvare ..... Propterea tutius dicendum eſt, quod ſi res pro uſuris ſoluta non eſt lucroſa, & cum tali uſurario lucro lucretur uſurarius per alios contractus licitos, & honeſtos, de tali lucro tres debent fieri partes: quarum prima remaneat apud uſurarium: alia autem detur ei, qui ſolvit uſuras: tertia vero tamquam incertum pauperibus erogetur* --. Et hanc iniquorum hominum calliditatem animadvertit Scotus ibidem. Sed -- *non eſt conſilium contra Dominum* Prover. 21. v. 30. Ad coercendam hujuſmodi iniquitatem opportuna quidem eſſet hæc doctrina ad praxim redacta. Nihilo tamen minus, ſi caſus contingeret, ad eam cogere non poſſem uſurarium, nec ipſum ad eandem cogit S. Bernardinus eo loci propter rationem Scoti jam adductam. Hic eſſet certe caſus ſingularis, in quo uſurario ſua ipſi fraus prodeſſet ſecus ac generatim conſtituitur L. *Si legatarius* C. *de legatis* -- *Ut non accipiat fructum ſuæ calliditatis* --: cum, ſicut legitur cap. *Tuæ* Extra *de Clericis non reſiden-*

Digitized by Google

*reſidentibus — fraus, & dolus nemini debeat patrocinium impertiri —*. Et tamen recte concludit S. Bernardinus — *Tutius mihi videtur, quod iſte, qui dedit uſuras, nihil recipiat ultra pecuniam ſuam: & præcipue quando ille, qui dedit uſuram, ex hoc non eſſet damnificatus. Si autem notabiliter damnificatus eſſet ex carentia talis pecuniæ, quam alius ſibi reſtituit: non video quin uſurarius ille teneatur ad intereſſe —*.

TRICESIMUMSECUNDUM DUBIUM. Utrum uxor, filii, & filiæ uſurarii poſſint vivere de rebus ipſius?

Reſpondeo, quod aut uſurarius eſt ſolvendo, habens ſcilicet majora bona, quam quæ reſtituere debeat; & tunc dico ſecundum Alexandrum Lombardum, quod ſic: dummodo non vivant de impie acquiſitis in ſpecie, vel numero, puta de ove, aliiſve datis pro uſuris. Si autem hæc data pro uſuris ita eſſent permixta, ut non poſſent diſcerni, & iis poſsent uti; ſed habere debent in mente ſemper vivere de juſte acquiſitis. Concordat Rodonenſis.

Aut uſurarius non eſt ſolvendo, & omnia, quæ habet, tanta ſolum ſunt, quanta debet reſtituere; & tunc dico, quod duntaxat in quatuor caſibus poſſunt vivere de prædictis.

Primus caſus eſt: quando agunt negotium ſpoliatorum, inducendo ſcilicet eum ad reſtitututionem. Arguitur 11. q. 3. cap. *Quoniam multos*, & cap. *Inter alia* Extra *de ſententia excommunicationis*. Rodonenſis tamen hoc limitat, quando continue inſtant opportunis horis, non vero ſi inſtarent duntaxat ſemel in anno, vel bis: & cum eo concordant Hoſtienſis, & Monaldus tit. *Reſtitutio ſexto*. Item licet prædicatoribus vivere de prædictis, ſive eos inducant generali prædicatione, ſive perſuaſione ſpeciali. Arguitur cap. *Cum voluntate* §. 1. Extra *de ſententia excommunicationis*, ſive utilitas ſequatur, ſive non L. 2. et L. *Pomponius*, et L. *Sed an ultro* ff. *de negotiis geſtis*. Et hæc omnia vera intelligo ſecundum Magiſtrum Petrum Caſuel in Directorio tit. *de reſtitutionibus*, ſi habeatur ſpes correctionis, et omnia fiant

cum

Digitized by Google

cum tali moderamine, quod propter hoc uſurarius non reddatur in totum, vel in magna parte impotens ad reſtituendum; alias non liceret. Arguitur 2. q. 6. cap. *Anteriorum*.

Secundus caſus eſt: quando neç per eleemoſynam, nec alio honeſto modo et licito poſsunt invenire neceſsaria ad vivendum; neceſſitas enim non habet legem cap. *Sicut* diſt. 1. *de conſecratione*, et diſt. 5. eod. titulo cap. *Diſcipulos*, et de Regulis juris cap. *Quod non eſt*. Debent tamen ſumere cibum cum magna parcitate, et dolere in mente, et proponere reſtitutionem, ſi poſſibilitas adveniat.

Tertius caſus eſt: quando utiliter laborant, et bona ipſius augent, ſive conſervant, bene conſervando, curando, et hujuſmodi, ita ut hoc cedat in utilitatem creditoris. Hoc tamen intellige, ſi tanta ſit utilitas, quantus eſt ſumptus; aliter non: et quod non vivant de injuſte acquiſitis in ſpecie, ut dixi ſupra.

Quartus caſus eſt: quando uſurarius reſtituere debet multa incerta, et Epiſcopus diſpenſavit cum ipſis, ut de illis incertis tamquam pauperes vivant.

Nota tamen, quod uxor, quæ habet dotem de juſte acquiſitis, quamvis uſurarius non ſit ſolvendo, poterit vivere de ipſa dote, ſi aliqua ſint, quæ non ſint habita in ſpecie de uſuris: immo poteſt accipere totam dotem ſuam, etiamſi tales res eſsent emptæ de pecunia uſuraria: quia hypothecata ſibi ſunt, et præponitur omnibus habentibus tacitas hypothecas etiam anteriores L. *Aſſiduis* C. *qui potiores in pignore habeantur*. Si vero vir ejus non habet niſi accepta in ſpecie pro uſuris, tunc non poteſt ex ipſis dotem ſuam accipere, nec ex iiſdem vivere, niſi in caſibus ſupra enarratis.

Nec obſtat dictum Petri de Ancharano, qui ait in Regula *Peccati veni.* q. 18., quod, ſi conſtaret, quod de mea pecunia, quam uſurario ſolvi pro uſuris, ipſe emit prædium,



Digitized by Google

vel hujuſmodi, conceditur mihi privilegium hypothecæ, et temporis; et iccirco prius ſolvetur mihi, qui prior ſum in tempore, et poſtmodum habentibus perſonales actiones, ut L. *Si cum dotem* §. *Si mulier* ff. *ſoluto matrimonio*, cum quo concordat Petrus Caſuel tit. *de uſuris* in fine, & Magiſter Bernardus, & Hoſtienſis in cap. *Cum tu* de uſuris, & Archidiaconus, & Joannes Andreæ in cap. *Quanquam* eo titulo lib. 6. quia, ut dixi, mulier quoad dotem præfertur omnibus habentibus tacitas hypothecas, ut fuſius in ſecunda Conſideratione art. 2. Dubio 3.

(73) De hac re agunt S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 18. 19. S. Bernardinus To. 1. ſerm. 35. art. 3. cap. 1., Aſteſanus lib. 3. tit. 11. art. 7. ubi *Quid de uxore & familia*, Roſella *Reſtitutio octavo* num. 2. & 3., Nicolaus de Auximo in Supplemento *Reſtitutio quinto*, aliique. Et licet alii plures, alii minores caſus exhibeant, in quibus licite vivere poſſunt uxor, & filii; omnes tamen in eſſentialibus conveniunt. Pro filiis ſpeciale eſt, quod cum cæteris adnotavit S. Bernardinus ibidem — *Quinto propter neceſſitatem, puta quantum ad hoc, quia filioli, atque filiolæ in tali ætate ſunt, quod aliter commode vivere non poſſunt* —. Vere poſtmodum ſcripſit Roſella de uxore loquens — *Inter iſta quinque remedia valde præcipuum eſt, quod dictum eſt ſupra, ſcilicet quod inſtet circa ejus converſionem temporibus opportunis. Et licet aliquando videatur deſperatus; nihilominus numquam eſt deſperandum de homine in hac vita, quia accidit in puncto, quod non provenit in anno* —. Appoſite etiam Hoſtienſis *de pœnitentiis & remiſſionibus*, ubi *quid de rapina*, cujus doctrinam Scriptores omnes obſignant, atque commendant — *Quid ergo faciet uxor, vel filii, vel familia, ſi nulla ſit ſpes correctionis? Dicit Raynerius, quod ſi ſunt aliqua ſeparata de juſto, vivant de illis: ſi non ſunt, quærant victum ab amicis ſuis, vel conſanguineis, vel aliis perſonis honeſtis: vel quærant victum propriis manibus, ſeu oſtiatim. & nullo modo comedant de rapina. Sed quid ſi maritus crudelis non permittit, quod uxor ſua de alio comedat: numquid morietur fame mulier iſta? Non; immo habet triplex remedium ſecundum Raymundum. Primum eſt, ut vivat de dote ſua, vel ſponſalitio. Secundum eſt, ut denuntiet hoc talibus, qui maritum compeſcant, vel etiam Epiſcopo 2. q. 1. cap. SI PECCAVERIT, 22. q. 1. cap. HOC VIDETUR. Sed hæc duo remedia inania ſunt: tanta poteſt eſſe tyrannia mariti, ut patet ſupra QUOD METUS CAUSA cap. 1. Tertium eſt, quod, ubi aliud facere non poteſt, ex quo ita arctata eſt, poterit inde comedere: nec tenetur reſtituere, quia tempore neceſſitatis tuncæ etiam a furto excuſaretur in totum: licet, ſi periculum mortis non immi-*

*immineat, aliquod peccatum committeretur, & ideo aliqua pœnitentia injungeretur* — . Hoc intellige ad cautelam, ſicuti docet S. Antoninus ibidem §. 18. ſcribens — *Et ſi non immineat extrema neceſſitas, videtur aliquantulum peccare; & ideo ad cautelam injungenda eſt ei aliqua pœnitentia Extra DE FVRTIS cap. SI QVIS PROPTER NECESSITATEM FAMIS* — . Placet ſummopere quod adjicit Sanctus Archiepiſcopus — *Quicquid autem ſit, expedit doleat animo, & proponat quam citiſſime potuerit reſtituere, & utatur parcius, ſcilicet ad ſolam neceſſitatem* — .

De privilegio dotis perſpicua eſt L. *Aſſiduis* ab Authore laudata, in cujus §. 1. hæc leguntur — *Hæc omnia in unum colligens, ſancimus, ex ſtipulatu actionem, quam mulieribus jam pro dote inſtituenda dedimus, cuique etiam tacitam donavimus ineſſe hypothecam, potiora jura contra omnes habere mariti creditores, licet anterioris ſint temporis privilegio vallati* — . Sed de hoc plenius cum Auctore Conſideratione ſecunda.

Tricesimumtertium Dubium. Utrum filius uſurarii tempore ſtudii habuit centum a Patre, ut Doctor efficeretur, teneatur illa centum reſtituere?

Reſpondeo, quod ſi Pater, quando ei dedit pecuniam, non erat ſolvendo, & filius hoc ſciebat, tunc in foro conſcientiæ tenetur reſtituere. Si vero id ignorabat, immo credebat, quod ſibi provideret de licitis, ratione bonæ fidei non tenetur tunc de conſumptis, ſed ſolum de extantibus. Notandum hic eſt pro Regula, quod poſſeſſor bonæ fidei numquam tenetur niſi de extantibus Inſtitut. *de officio Judicis* §. *Et ſi in rem* verſus finem, & L. *Certum eſt* C. *de rei vindicatione*: vel niſi in quantum factus eſt locupletior L. *Utrum* ff. *de hæreditatis petitione*. De hoc plene Gloſſa in L. *Ex diverſo* in principio ff. *de rei vindicatione*. Aut pater tunc erat ſolvendo, & tunc non tenetur, niſi recepiſſet rem in ſpecie habitam pro uſuris.

(74) Eodem modo reſpondet S. Bernardinus To. 1. ſerm. 35. art. 3. cap. 1. ſcribens — *Poteſt quæri; ſi dum viveret Titii pater expendit trecentas libras in ſtudio pro filio ſuo, ut Doctor efficeretur, cum nihil niſi de uſuris haberet: cumque de uſuris habuiſſet mille, poſt mortem non dimiſit filio niſi quinquaginta libras. Quæritur: utrum de illis trecentis Titius ad reſtitutionem ſit obligatus? Ad quod dicendum, quod ſi pater Titii non erat ſolven-* V 2 *do,*

Digitized by Google

*do, quando filium in ſtudio nutriebat, tunc diſtinguendum eſt: nam ſi Titius credebat, quod pater ſuus ſibi de bonis licitis provideret, ratione bonæ fidei de rebus jam conſumptis ſatisfacere non tenetur, ſed ſolum de extantibus. Si autem novit ſuum patrem de uſuris omnia poſſidere, propter conſcientiam læſam, quam habebat in utendo alienis rebus, debet illas trecentas libras reſtituere ſecundum divinum jus; & ſic de conſimilibus idem judicium fieri poteſt* --. Eadem lego penes Roſellam *Reſtitutio octavo* num. 4. Secus tamen opinatus eſt S. Antoninus, qui part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 19., poſtquam opinionem Authoris declaravit inquiens — *Ad quod dicendum ſecundum quoſdam, quod ſi pater non erat ſolvendo, cum filium nutriebat in ſtudio, ſi filius ſciebat patrem ſuum omnia habere obligata reſtitutioni, quia male ablata ſciebat eſſe, tenetur. Si vero patrem credebat de licite acquiſitis ſibi providere, non tenetur de conſumptis, ſed tantum de extantibus, puta libris de illis emptis, & hujuſmodi* —, ſubdidit mentem ſuam aperiens — *Ego credo teneri etiam de conſumptis, & neceſſariis victus, cum aliter ſibi non poſſet providere: ut de his, quæ expendit pro Doctoratu, & veſtitu non neceſſario, & aliis diſtractis ſine neceſſitate. Bona enim fides ſua excuſat eum a peccato pro tunc; ſed non ab obligatione reſtitutionis* —. Ut candide aperiam quod ſentio, id libenter darem Sancto Archiepiſcopo, ſi ſermo eſſet de puro putoque conſilio, & ad melius eſſe, ut ajunt. Aſt ſi ſermo fiat de debito, de onere, de obligatione reſtitutionis, id non obſigno: quum Sanctus Archipræſul id quidem adſeruerit, ſed non probaverit: quum inſuper, ſemel poſita hujuſmodi doctrina, ruat in totum quod communiter ſancitur de poſſeſſoribus bonæ fidei ad diſcrimen poſſeſſorum malæ fidei. Nec aſſertionem hanc infirmat, quod filius factus eſt Doctor, & Doctor remanet: hoc enim non eſt per ſe fructus pecuniæ a Patre acceptæ, ſicuti eſſent poſſeſſiones, ſi eas pecunia illa ſibi comparaſſet, ſed fructus eſt ſtudiorum ſuorum, & proprii intellectus: fructus, ut ita dicam induſtrialis, pro quo nihil tenetur reſtituere.

Tricesimumquartum Dubium. Utrum conſanguinei, amici, & quicumque alii, qui comedunt de bonis uſurarii, bibunt, accipiunt, vel in alienos uſus convertunt, teneantur ad reſtitutionem?

Reſpondeo, quod, aut cum talia accipiunt, uſurarius eſt ſolvendo, aut non. Si non, tunc tenentur reſtituere, quia dant cauſam efficacem damni. Quod ſi de hoc dubitent, & res adhuc extet, tenentur eam reſtituere, ne pro re temporali animam in diſcrimine ponant, ſecundum Alexan-

xandrum de Alexandria in 4. Si autem eſt ſolvendo, aut accipiunt rem in ſpecie habitam pro uſuris, & eam reſtituere tenentur: aut rem emptam ex pecunia uſuraria, & tunc ſolum tenentur, ſi uſurarius efficiatur impotens ad reſtituendum: quia creditor, qui uſuram ſolvit, poteſt illam petere a poſſeſſore ſaltem per officium Judicis, & hic tenetur eam dare, vel pretium ejus per cap. *Cum tu* Extra *de uſuris*: nam in tali caſu res cedit loco pretii, ſicuti ejus pretium cedit loco rei, L. *Si & rem* ff. *de hæreditatis petitione*. Quod verum credo ſecundum Doctores, ſi ex cauſa lucrativa eam habuit, ut ex dubio præſupponitur: ſecus enim eſſet dicendum, ſi eam habuiſset ex titulo oneroſo. Et cum hoc concordant Hoſtienſis, & Goffredus, qui addunt, quod, ſi talis res ex cauſa lucrativa ad illum perveniat, qui ſolvit uſuras, ille, cui prius data fuerat, liberatur, ita ut contra eum agi amplius non poſſit L. *Omnes debitores* ff. *de obbligationibus & actionibus*; immo & ipſe liberatur uſurarius. Nota tamen, quod, ſi ille primus eam habuiſset ex titulo oneroſo, quamvis poſtmodum ex cauſa lucrativa perveniat ad eum, qui ſolvit uſuras, tunc uſurarius non liberatur L. *Inter ſtipulantem* ff. *de verborum obbligationibus*, & concordat Directorium lib. 3. tit. 44. §. 57. uſque ad 62. Quod ſi uſurarius & tunc eſt ſolvendo, & non dat rem in ſpecie habitam pro uſuris, neque emptam de pecunia uſuraria, ſed habitam juſto titulo, tunc non tenentur reſtituere, etiamſi uſurarius poſtea efficiatur non ſolvendo, dummodo ex tali donatione, & acceptione uſurarius factus non ſit non ſolvendo. Hiſce omnibus concordat Petrus Caſuel ubi ſupra.

(75) Nihil in hac deciſione non rectum, non æquitati quam maxime conſonum. Placet recitare, quod poſt S. Bernardinum eodem ſerm. 35. art. 3. cap. 2. ſcripſit Roſella *Reſtitutio octavo* num. 8. — *Reſpondet S. Bernardinus, quod ſi uſurarius non eſt ſolvendo, ideſt quod omnia bona, quæ habet, vix ſatis-*

*ſatisfactioni ſufficiunt, licet habeat aliqua de licite acquiſitis: tales inquam*
*quicquid prædictis modis ſuſcipiunt ſatisfacere obligantur: quia etiam ad non*
*ſatisfaciendum præſtant cauſam efficacem. Si autem eſt ſolvendo, tunc non te-*
*nentur. Si autem de hoc dubitant, & adhuc extat res, ſatisfacere obligan-*
*tur, ne pro re temporali in diſcrimine animam ſuam ponant ſecundum Regu-*
*lam ſupra poſitam. Si tamen habuiſſent bona fide tales ab uſurario, creden-*
*tes illas res eſſe ſuas: durante tali bona fide de conſumptis non tenentur. Ca-*
*veant tamen, ut dictum eſt ſupra, ne ducantur bona fide lupi, quæ ſcilicet*
*ſit ignorantia craſſa, vel ſupina, quæ etiam eos de conſumptis non excuſa-*
*ret* —.

Ut poſtmodum etiam illi, qui res morales nondum perfecte callent,
ea intelligant quæ ſcribit Author de cauſa lucrativa, & non lucrativa, ſeu
titulo oneroſo, animadverto, quod res ad aliquem pervenire dicitur cauſa
lucrativa, quando ei obvenit titulo donationis, vel cauſa legati, vel cau-
ſa alia non abſimili: pervenire autem dicitur titulo oneroſo, quando obve-
nit ei titulo emptionis, venditionis, & hujuſmodi. Hoc præhabito facile
quis intelliget, quod ſi res in ſpecie data pro uſuris, vel empta ex pecu-
nia uſuraria de uno ad alium cauſa lucrativa tandem pervenit ad eum, a
quo ſolutæ fuerunt uſuræ, nedum hic agere amplius non poteſt contra ali-
quem, ne quidem contra ipſum uſurarium; ſed uſurarius ipſe tunc rema-
net a reſtitutione liber: quia Dominus quod ſuum erat accepit, & nemo
iis hoc gravatur, quum omnes eam habuerint gratis. Non liberatur tamen
uſurarius ab onere reſtitutionis, ſi primus ex illis eam habuit titulo one-
roſo: quia tametſi agere non poſſit Dominus, agere tamen hic poteſt con-
tra ipſum tamquam gravatus ob ipſius culpam, propter quam uſurarius te-
netur eum reddere indemnem, *Omnes debitores* (ait L. 17. ff. *de obligatio-*
*nibus & actionibus*) *qui ſpeciem ex cauſa lucrativa debent, liberantur, cum*
*ea ſpecies ex cauſa lucrativa ad creditores perveniſſet* —. Super qua oppor-
tune Gloſſa — *Caſus. Teneor dare tibi Stichum ex cauſa donationis, vel ſi-*
*mili cauſa lucrativa: eundem Stichum acquiſiviſti ex cauſa legati a quodam*
*tibi relicti, vel ex ſimili cauſa lucrativa: dicitur, quod liberatus ſum a te.*
*Secus autem eſt, ſi promiſerim eum tibi dare ex cauſa emptionis: deinde ſuc-*
*ceſſiſti cuidam, cui debebatur idem Stichus ex cauſa legati. Nam licet eum*
*Stichum acquiſieris ex prædicta cauſa legati, adhuc tamen tibi teneor. Idem*
*econtra, ſcilicet ut licet eum a me habeas actione ex teſtamento. Idem ſi ex*
*cauſa dotis eum Stichum acquiſiviſti: adhuc ego teneor, quaſi non ex lucra-*
*tiva cauſa habeas. Et ut breviter dicam: cum ex cauſa non lucrativa te-*
*near tibi dare Stichum, non liberor, licet eum habere cœperis ex cauſa lu-*
*crativa. Idem in converſo caſu: & hoc dicit hæc lex cum duabus ſequen-*
*tibus* —.

Tricesimumquintum Dubium. Utrum famuli uſurario-
rum,

Digitized by Google

rum, qui ſerviunt in licitis, poſſint accipere mercedem de rebus uſurarii?

Reſpondeo ſecundum Doctores, quod aut tales ſunt utiles uſurario tantum, vel plus quam merces, quæ ipſis traditur, ſicuti ſunt coloni, qui agros colunt, & alii, & tunc eam recipere poſſunt, quia non reddunt uſurarios pauperiores. Aut tales non compenſant propriis operibus quod accipiunt, ſicuti ſunt qui aſſociant per plateas, qui nutriunt accipitres, canes, & hujuſmodi, & hi mercedem non poſſunt accipere, ſi uſurarius non eſt ſolvendo, niſi tale ſalarium ſibi deberetur priuſquam fierent uſuræ: quia in hoc ultimo caſu, ſi uſurarius habet aliqua non habita in ſpecie de uſuris, vel non empta ſpecialiter de pecunia uſuraria, credo quod famuli, de quibus ſermo, poſſint accipere propriam mercedem, quæ iiſdem debebatur antequam eſsent uſuræ. Pro Regula ergo tene, quod ab uſurario, ſive ſit ſolvendo, ſive non, numquam licet accipere rem in ſpecie habitam pro uſuris, & quicumque eam accipit, quocumque titulo muniatur, eandem tenetur reſtituere. Similiter nec rem, quam ſcit emptam ex pecunia ſpecialiter data pro uſuris; & quicumque eam ſumit titulo lucrativo, tenetur ad ejuſdem reſtitutionem, ſi uſurarius vel ſit, vel efficiatur non ſolvendo.

(76) Super hac re conſulere potes S. Antoninum part. 2. tit. 1. cap. 9. §. 1., S. Bernardinum To. 1. ſerm. 35. art. 3. cap. 2., Roſellam *Reſtitutio octavo* num. 7., Aſteſanum lib. 3. tit. 11. art. 7. ubi *quid de ſervientibus uſurariorum*, Joannem Pontas ver. *Uſura* Caſu 36., alioſque. Author noſter certe hujuſmodi rem adeo dilucide expoſuit, ut non eſſet opus aliud adjicere. Pro clariori tamen intelligentia audiamus S. Bernardinum — *Dicendum eſt, quod ſi uſurarius quæcumque habet obligata ſunt pro uſuris, ſeu non eſt ſolvendo, tunc diſtinguendum eſt: quia aut illi ſerviunt in rebus licitis, & honeſtis: & tunc ſi propter diminutionem ſubſtantiæ uſurarius non fiat magis impotens ad ſolvendum, licite poſſunt ſuſcipere condignam mercedem: & hoc, quia utilitas, quam inde conſequitur uſurarius, talis ex eorum opere cum mercede merito compenſatur, & propter mercedem mercenariis datam* pauper-

*pauperior minime dici poteſt, cum loco mercedis habeat commodum operum. Idem quoque dicendum eſt de his, qui vendunt uſurario ſuas merces: quia ſi recipiunt denarios de uſurario lucro, ipſi quoque ejuſdem valoris rependunt merces; unde, niſi alia cauſa ſubſit, non faciunt eum ad ſatisfaciendum magis impotentem..... Aut tales ſervitores ſerviunt uſurario in illis, in quibus eum ad ſatisfaciendum, dum recipiunt mercedem, faciunt impotentem. Et tunc licet, ſi ſerviant ei in rebus licitis & honeſtis, non peccent, immo quandoque apud Deum plurimum mereantur, tamen mercedem, ſeu pretium ſuſcipere minime poſſunt, cum ex hoc eum ad ſatisfaciendum faciant impotentem, atque ad hoc præſtent cauſam efficacem. Hujuſmodi ſunt Medici, Barbitonſores, & varii conſimiles. Et licet tales ab uſurario mercedem acceptare non poſſint, tamen in extrema neceſſitate illi ſubvenire tenentur amore Dei ex ipſa lege naturæ, & ex ipſo Dei præcepto Lucæ* 10., *ubi ait* — *DILIGES PROXIMUM TUUM SICUT TEIPSUM* —.

Sed quid de illis, qui uſurario inſervirent, nihil eidem conferentes, ſed unice cuſtodientes ipſius veſtes, animalia, vel alia hujuſmodi: poſſent ne hi mercedem accipere, vel acceptam tenerentur eam reſtituere? Huic quæſito reſpondet Roſella ibidem — *Et forte dicendum idem de illis ſervitoribus, qui haberent curam veſtium, & aliarum rerum ipſius uſurarii: ut recipere valeant expenſas, & ſalarium uſque ad tantam ſummam, ad quantam aſcendit iſta utilitas, ſed plus recipere nequeunt. Idem dic de uxore ut ſupra dictum eſt, quando haberet curam prædictarum rerum, quod poſſet recipere expenſas uſque ad dictam quantitatem, ad quam ſe confert dicta ſua utilitas* —.

Quum jam conſtitutum ſit, eos, qui utiles ſunt uſurario, & qui operibus ſuis permanentibus compenſant mercedem acceptam, non teneri ad reſtitutionem: quod perſpicue etiam docuit *de uſuris* cap. 17. Author Opuſculi 73. inter Opera Divi Thomæ connumerati inquiens — *Artifices, & laborantes, & ſervientes poſſunt juſte aliquando percipere de bonis uſurariorum, quæ acquirunt ab uſurariis: quia quantum accipiunt ab uſurariis, tantundem reddunt ipſis per recompenſationem operis, vel laboris, vel artificii: ita quod per hoc non ſunt uſurarii impotentes effecti ad reſtitutionem faciendam* —: inquiri adhuc poteſt; an peccent nec ne locando operas ſuas uſurario, dum probe ſciunt eundem non habere niſi de alieno, niſi de uſuris?

Reſpondet Pontas poſt Authorem Opuſculi nunc indicati — Si neceſſitas non impellat prædictos artifices, ad operam ſuam uſurario præfato locandam; atque aliunde locus ipſis detur, ex eadem opera ſua perſonis aliis locata victum ſuum ſibi commode quærendi; non poſſunt ſine peccato ſuam operam eidem locare, ab eodem accipiendo debitam operi ſuo mercedem; cum certo certius noverunt, pecuniam, quæ ſibi rependitur, de iniquis, quas exercet, exactionibus provenire, ut in propoſita ſpecie ponitur, eoſdem iſtius rei eſſe nullatenus inſcios: quoniam in eo caſu re-

cta

ſta conſcientia non poteſt debitum, ſeu merces recipi, quæ ſcitur ex aliena re rationibus iniquis parta perſolvi — *Nihilominus tamen hujuſmodi artifices* (addit citatus Auctor) *ſi credant uſurarios nihil habere de bono, & eadem facilitate poſſunt ab aliis lucrari, peccant ſcienter uſurariis communicando opera ſua pro lucro, quod ſciunt eſſe rem alienam, & maxime propter ſcandalum* —. Hæc ille.

TRICESIMUMSEXTUM DUBIUM. Utrum accipiens filiam uſurarii in uxorem teneatur reſtituere dotem?

Reſpondeo. Gerardus Obdonus, & alii ſolemnes Doctores dicunt, quod, ſi pater pater erat ſolvendo tempore, quo dedit dotem, aut gener ignorabat Socerum ſuum eſse uſurarium, aut, ſi ſciebat, credebat tamen eum eſse ſolvendo, tunc poteſt gener recipere dotem in ſolidum, et retinere, etiamſi poſtea cognoſcat eum eſse non ſolvendo. Hoc verum ego credo, ſi pater habet alia bona præter ea, quæ in ſpecie data ſunt pro uſuris, de quibus dictum eſt in præcedenti Regula. Si autem pater non erat ſolvendo, et hoc gener ſciebat: aut id ignorabat ignorantia craſsa, aut pater non habebat alia bona præter ea, de quibus dictum eſt in Regula præcedenti, tunc gener dotem non poteſt recipere, nec retinere. Culpa igitur in hoc caſu erit illius, qui eſt in cauſa ne reſtituatur, ſive fuerit vir, ſive uxor, cum unus ſine alio non poſſit durante matrimonio reſtituere; alius enim, per quem non ſtat, excuſabitur, dummodo nihil recipiat de fructibus illius, niſi eo modo, quo licet accipere de bonis uſurarii. Remedium in hoc caſu foret, quod, ſi pater eſt ſolvendo pro certis, et inſuper reſtituere debet aliqua incerta, adeat Epiſcopum, et ab ipſo obtineat, ut hæc incerta applicentur genero, et filiæ; id enim facere poteſt Epiſcopus, ſi indigeant.

(77) Fortaſſis erravit Amanuenſis tribuens Gerardo Obdono opinionem aſſerentem, quod, ſi gener ignorabat Socerum ſuum eſſe uſurarium, aut ſi id quidem ſciebat, ſed arbitrabatur nihilominus eum eſſe ſolvendo, poteſt gener eo in caſu & dotem recipere, & eam retinere, tametſi poſt-

hæc evidenter cognoſcat eundem tunc fuiſſe uſurarium, & nihil habuiſſe niſi de uſuris. Id S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 9. §. 12. adſcribit Guillelmo, ſeu VVillelmo. Id S. Bernardinus To. 1. ſerm. 35. art. 3. cap. 1. quibuſdam generatim adjudicat, eos non nominando, eſpreſſim tamen excludendo Gerardum Obdonum. Id tribuunt Rodonenſi Aſteſanus lib. 3. tit. 11. art. 7. ubi *Quid de genero*, & Author ipſe in Angelica *Reſtitutio primo* ver. *Uſurarius* num. 19. (Nota quod VVillelmus, ſeu Gullielmus, & Rodonenſis unam eandemque perſonam indigitant). En genuinam ſententiam Gerardi Obdoni, ſeu Obdonis exhibitam a S. Bernardino ibidem — *Secundum vero Girardum Obdonum., alioſque ſolemnes Doctores talis gener, ex quo ſcit, quod dos accepta, quando eam accepit, erat neceſſaria ad ſolvendum alia debita, non poteſt talem dotem cum bona conſcientia retinere, ſi certi ſunt hi, quibus primo talia debebantur. Cujus ratio eſt, quia de aliorum rebus nullatenus ſecundum Deum illa potuit dotari* —. De opinione Rodonenſis ſcribit Author hic, quod duntaxat poteſt haberi tamquam vera — *Si pater habet alia bona præter ea, quæ in ſpecie data ſunt pro uſuris* —. Sed quoniam ſupereſſet videndum, an illa alia bona debeantur nec ne & ipſa creditoribus, qui ſolverunt uſuras; melius iccirco in Angelica loco laudato inquit — *quia ſi hoc ignorabat, nihilominus ſecundum Rodonenſem poterit dotem recipere, & retinere, etiamſi poſtea ſciat, quod eſt non ſolvendo: quod eſt dictum mirabile, & mihi non placet, quia nullo jure probatur* —.

Rem hanc præclare declararunt Sancti Bernardinus, & Antoninus locis proxime indicatis. Hujus poſtremi verba non refero, quum, ſi ut par eſt expendatur, potius aliorum ſententias recenſeat, quam propriam aperiat. Audiamus igitur S. Bernardinum — *Tertii ſunt filia uſurarii, atque maritus ejus. De quibus notandum eſt, quod ſi quis accepit filiam uſurarii in uxorem, qui nihil tunc temporis habebat niſi reddendum: tunc ſecundum quoſdam dotem, quam inde accepit cum filia, reddere non tenetur, ſi non craſſa, ſed probabili ignorantia ductus fuerit, quia ſcilicet probabiliter credebat ſocerum non eſſe uſurarium, aut præter illam dotem habere ſufficientiam ad ſolvendum. Secundum vero Girardum Obdonum, alioſque ſolemnes Doctores talis gener, ex quo ſcit, quod dos accepta, quando eam accepit, erat neceſſaria ad ſolvendum alia debita, non poteſt talem dotem cum bona conſcientia retinere, ſi certi ſunt hi, quibus primo talia debebantur. Cujus ratio eſt, quia de aliorum rebus nullatenus ſecundum Deum illa potuit dotari. Sed tamen ſi uſurarii filia talem dotem vult reſtitui, & ejus maritus obſtat: culpa erit mariti, non uxoris, & hoc ſi illa proponat dotem illam ſatisfacere, ſi vir ejus ante illam obiret. Si autem e converſo vir ejus vult illam reſtitui, ſed uxor ejus obſiſtit, nec patitur illam reddi: tunc forte ſufficit illi, quod ipſe non percipiat de bonis illis, & proponat quando poſſet reſtituere illam. Si vero uterque in non ſatisfaciendo ex mala voluntate concordant, ambo in ſtatu damnationis vivunt. In remedium tamen periculi dici poſſet, quod ſi pa-*

*ſi pater talis uxoris, ſive ejus hæredes haberent ſufficientiam ad ſatisfaciendum certa: tunc talis dos, ſi parva eſt, in totum, ſi autem magna, in partem de incertis Diœceſanus poſſet cum tali muliere ſecundum diſcretum judicium diſpenſare. Conſulendum eſt etiam tali mulieri de bonis uſuræ certis habenti dotem, cum ſibi non poteſt aliter providere: quod ſi contingeret eam præmori viro, debet in fine vocare virum, & filios, ſi illos habet, ac eis proteſtari dotem ſuam de uſuris fuiſſe, obſecrans, & obteſtans, quatenus reſtituant eam, quia illam nullo modo poſſunt licite retinere. Quod ſi non fecerint, non ei, ſed illis imputabitur. Sed quid, ſi pater uſurarius dotavit filiam ſuam eo tempore, quo etiam remanebat ſolvendo, & per conſequens non propter dotes illas factus eſt impotens ad ſolvendum? Dic ſicut patet in ſerm. 39. art. 1. cap. 2. circa principium* — . En quod habet loco hic indicato — *Si igitur res quædam ab uſurario habita fuit dono, ſeu quocumque alio modo lucrativo, de quo uſurario conſtat, quod quicquid habet eſt de uſuris, & quaſi totum eſt neceſſarium ad ſolvendum: tunc dicendum, quod ſi id habitum eſt, quando ſatisfacere potens erat, & poſtea impotens eſt effectus, non tenetur recipiens ſatisfacere quod recepit: quia, cum uſurarius dedit, vere Dominus erat, & ſine ipſa re ſatisfacere potens erat. Propterea recipiens non dedit ei ad non reſtituendum efficacem occaſionem. Si autem impotens poſtea factus eſt, non eſt culpa recipientis. Idem quoque de dotibus mulieribus aſſignatis cum tali diſtinctione dicendum eſt* — .

Super opinione Rodonenſis, de qua ſupra, propoſitus fuit caſus ſpecificus inſigni Theologo Sambovio, quem ipſe exhibet Tomo 2. caſu 152., & quem ex eodem exſcripſit Joannes Pontas, ut ipſemet teſtatur ver. *Reſtitutio* Caſu 20. Caſus erat hujuſmodi. Caſſius uxorem ſibi adjunxit Michaelam filiam Cræſi, a quo loco dotis accepit ſummam numerorum 30000. Poſt aliquot annos exploratum habuit ſocerum ſuum divitias ſibi comparaſſe & uſuris, & aliis rationibus non æquioribus. Quærit prælatus Caſſius, an, quum Cræſus nulla facta reſtitutione vitam finierit, teneatur ipſe ad reſtitutionem dotis, quæ pars erat rerum, quas Cræſus iniqua ratione ſibi comparaverat. Præſertim quum ei fuerit pro certo affirmatum a nonnullis, quod ipſi nulla incumbebat reſtituendi neceſſitas. Primo, propterea quod ex nuptialibus tabulis iſta ei ſumma acceſſiſſet. Secundo, quia eandem & accepit, & bona fide hactenus retinuit, omnino inſcius tum uſurarum, tum aliarum rationum iniquarum, quibus Cræſus rem ſuam adauxerat. En reſponſum Sambovii ex Pontaſio — *Reſpondet, prædictis equidem rationibus Caſſium reddi immunem obligatione reſtituendarum uſurarum, quas ex dote ſuæ uxoris percepit, quin etiam reddendæ portionis ipſiuſmet dotis, quam bona fide conſumpſiſſet; ſed eaſdem nullatenus ſufficere, ut eum ſolvant lege reſtituendæ ipſius ſortis principalis, quæ in ejus manibus etiamnum extat, neque neceſſitate rependendarum uſurarum, quæ deinceps poſſent inde ei provenire, & quæ jam ei acceſſiſſent, ex quo tempore ceſſavit ipſius bona fides, cum pri-*

*num exploratam habuit iniquam rationem , qua Craſſus rem ſuam ampliaverit. Cujus rei ratio aperta eſt. Conſiderare namque debet 30000. nummos, quos loco dotis uxoris ſuæ percepit, tamquam rem alienam, quam dotis loco non potuiſſet ſine graviſſimo peccato accipere, ſi de rei veritate tunc temporis ei conſtitiſſet, quamque nec ſibi retinere abſque iniquitate , nec in proprium quæſtum ulla quavis ratione poteſt convertere . Prædictam igitur dotem actu debet de propriis manibus dimittere, ſi tuto fieri poſſit: & cenſet Theologus, quem appellavimus: Primo, ab eo deponendam eſſe integram ſummam in manus Michaelæ ei ſignificando id ita a ſe agi , quoniam res aliena eſt, quam ſine aperta iniquitate nequit in proprium uſum ac commodum ſibi adhibere. Secundo, ſi eandem non poſſit tuto deponere in manus ſuæ uxoris, eam oportere ab eo in emendo aliquo fundo collocari nomine & in propriam ſuæ uxoris utilitatem; nullatenus vero nec ſuo, nec hæredum aut proximorum aliorum ſuorum nomine. Exiſtimamus tamen , id tutius , atque æquitati magis conſentaneum eſſe, ſi notos habere nequeat ſingulos, quibus ſit reſtituendum, ut aut pauperibus, aut Eccleſiæ, quæ reſtituenda ſunt, ſimul cum eo concurrente propria uxore, modo velit aſſentiri, aſcribat juxta quod a S. Thoma docetur. Sed ſi noluerit aſſentiri, æquum non eſt ex propria ſua ſententia eum reſtituere. Primo, quoniam ei nullum jus cedit, invita ſua uxore, diſponendi de rebus dotalibus, quas ipſa ei ex matrimonio ſuo attulit. Secundo, propterea quod non poſſet ex iiſdem reſtituere , quin ſe ſe exponeret evidenti periculo ejuſdem reſtitutionis iterum faciendæ, quippe qui ſi ſuæ uxori ſuperſtes futurus eſſet, ei forſan neceſſitas induceretur prædictorum 30000. nummorum hæredibus uxoris ſuæ defunctæ refundendorum. Ex quibus concludimus, ſatis igitur facturum, quod Caſſius repudiet iſtam dotem, de cætero dimiſſa cura Michaelæ , quantum ad eam rem debito propriæ conſcientiæ ſatisfaciendi , quin ſe ſe conjiciat in periculum evidens notabilis omnino detrimenti occaſione rei, in qua ab omni prorſus culpa remotus eſt —.*

TRICESIMUMSEPTIMUM DUBIUM . Utrum mutuam dantes pecuniam uſurario poſſint eam repetere ?

Reſpondeo , quod , ſi mutuum dedit bona fide , ut videlicet ex illo uſurarius commodum ſuum licite reportaret, poteſt repetere pecuniam , etiamſi uſurarius non eſſet ſolvendo . Si vero mutuum præſtitit non ob juſtam cauſam , ſed ut ea pecunia uſurarius uteretur ad ludum , et hujuſmodi , non poteſt eam repetere , ſi uſurarius non eſt ſolvendo . Concordant Doctores .

(78). Nullum vel minimum reperio ſuper hac re inter Doctores diſſidium. Videſis Alteſanum lib. 3. tit. 11. art. 7. ubi *quid de creditore*, Roſel-

lam

ſam *Reſtitutio octavo* num. 10., Nicolaum de Auximo in ſupplemento ver. *Uſura primo*, S. Antoninum part. 2. tit. 1. cap. 9. §. 11., S.Bernardinum To.1. ſerm. 35. art. 3. cap. 2. in fine, alioſque, & eos omnes reperies unum idemque conſtituentes. Accipe verba S. Bernardini — *Quarti autem ſunt denarios uſurariis mutuantes, de quibus diſtinguit Willelmus: quia aut bona fide creditor uſurario pecuniam mutuavit, ut ex ipſa commodum ſuum faceret, & licite lucrando forte ex ea ſe liberaret: & tunc recipere poteſt quod liberaliter mutuat, etiamſi alias ille non ſufficeret ad ſolvendas uſuras. Aut alia, & non juſta cauſa illam mutuo ei dedit, puta ad ludendum in alea, aut ad meretrices, vel hiſtriones, & ad conſimilia diſpergendum: & tunc non poteſt debitum ab illo recipere, qui alias non eſt ſolvendo* —. Ratio primi eſt, quia ſi uſurarius aliquid ex ea lucratus eſt licite, mutuator geſſit negotium creditorum; ſi autem nihil eſt lucratus, nullam iiſdem injuriam intulit recipiendo quod ipſemet dedit, quum ex hoc uſurarius non fiat magis impotens ad ſolvendum, ſed remaneat in ſtatu, in quo erat antequam acciperet mutuum. Ratio ſecundi eſt, quia per mutuum tali cauſa præſtitum deterior fit ſtatus uſurarii, qui tunc magis gravatur ære alieno, & impotentior fit ad ſolvendum.

Tricesimumoctavum Dubium. Utrum recipientes eleemoſynas ab uſurariis, teneantur ad reſtitutionem? Item utrum Prædicatores poſſint uti de bonis uſurariorum?

Reſpondeo. Vide quæ dixi Dubio 32., & 34.

(79) Et ſuper hoc non pigeat audire S. Bernardinum loco proxime laudato cap. 3. — *Primi ſunt eleemoſynas acceptantes, de quibus diſtinguendum eſt: quod ſi uſurarii propter hoc efficiantur non ſolvendo, & hoc intellige de certis, tunc qui recipit reſtituere obligatur. Secus autem ſi habent aliqua alia, quæ non ſunt de uſura, ſeu per hoc ad ſatisfaciendum uſuram impotentes non fiant. Concordat Willelmus. Inſuper eſt notandum, quod etiamſi uſurarii eſſent non ſolvendo, excuſantur Religioſi, & Prædicatores, qui vadunt, ut ad pœnitentiam, & ad ſatisfactionem illos inducant, ſi comedant de uſuris: & hoc maxime, ſi apud alios commode invenire non poſſunt; ſive inducant illos prædicatione generali, ſive etiam perſuaſione ſpeciali Extra DE SENTENTIA EXCOMMUNICATIONIS cap. CUM VOLUNTATE §. 1. Quod quidem ſecundum Raymundum verum eſt, ſi de correctione ſpes probabilis habeatur, & ſi etiam propter eorum expenſas non ſubtrahatur uſurario reſtituendi facultas in toto, ſeu in magna parte. Arg. 2. q. 6. cap. ANTERIORUM §. ILLUD. Concordant Raymundus, Archidiaconus, & Hoſtienſis* —. Memento illius, quod cum Roſella dixi annotatione 73., videlicet numquam eſſe deſperandum de reſipiſcentia uſurarii; immo jugiter, ut

ut ita dicam, eſſe inſtandum: quia, ut fert commune proloquium; accidit in puncto, quod non contingit in anno.

Tricesimumnonum Dubium. Utrum debentes habere aliquid ab uſurario ex contractu, vel quaſi, aut ex maleficio, vel quaſi, poſſint ex rebus uſurariis recipere, quod ſibi debetur?

Reſpondeo, quod ſic ſecundum Alexandrum Lombardum, & Monaldum tit. *Uſura quarto*, & Doctores: dummodo non recipiant rem in ſpecie datam pro uſuris. An poſtmodum iſti in reſtitutione debeant præponi aliis, vel non, dicetur infra in ſecunda Conſideratione art. 2. Dubio 2., & 3.

(80) Quid in re Morali ſibi velint hujuſmodi formulæ: ex contractu, vel quaſi: ex maleficio, vel quaſi: nitide expoſuit Author Dubio viceſimo ſexto proxime recitato, quod potes recolere. Hi omnes, de quibus ſermo, ſunt veri reales creditores, quibus competit actio adverſus uſurarium. Scite igitur Aſteſanus lib. 3. tit. 11. art. 7. ubi *quid de creditore — Omnes autem alii, quibus ex contractu debetur, vel quaſi ex maleficio, recipere poſſunt ex hujuſmodi rebus quod ſibi debetur: dum tamen rem furtivam, vel raptam, vel uſurariam in ipſa ſpecie non recipiant: maxime ſecundum illos, qui dicunt, quod in uſura dominium non transfertur. Secundum etiam eos, qui dicunt, quod transferatur dominium in uſura, credo, quod ipſa res uſuraria in ſpecie in ſolidum recipi non debet: quia debitor, qui dedit eam, contradicere poteſt, ſi extat, nec eo inviro creditor aliam pro ea ſolvere poſſet* —. Vide, ſi lubet, S. Antoninum part. 2. tit. 1. cap. 9. §. 11., Roſellam *Reſtitutio octavo* num. 9., Nicolaum de Auximo in ſupplemento ver. *Uſura primo*, alioſque idem unanimi conſenſione firmantes.

Quin-

# QUintus Titulus qui eſt de Raptoribus, continet quinque quæſtiones, ſeu Dubia.

Primum Dubium. Utrum raptor alicujus mulieris, vel pueri, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo, quod non ſolum raptor talium, ſed etiam plagiarii, qui adducunt filios, vel uxores, & hujuſmodi, & ſubtrahunt qualitercumque ſive blanditiis, ſive minis, & hujuſmodi, tenentur non ſolum ſubtractos reſtituere, ſed etiam omne lucrum, quod habuiſſet pater a filio, vir ab uxore, & hujuſmodi, illo tempore, quo ſubtracti ſteterunt. Concordat Dominus Joannes de Platea Inſtitut. *de obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur §. Interdum.*

(81) *Rapina eſt manifeſta, & Violenta alienæ rei contrectatio* — Ita S. Bonaventura part. 1. Centiloquii ſect. 31. Raptor igitur erit ille, qui vi, & aperte rapit aliena — *Eripere enim eſt de manibus auferre per raptum* L. *Sed eximendi* ff. *Ne quis eum, qui in jus vocabitur*. Rapi poſſunt nedum bona, ſed etiam homines, ſive mares ipſi ſint, ſive fœminæ — *Interdum etiam liberorum hominum furtum fit: veluti ſi quis liberorum noſtrorum, qui in poteſtate noſtra ſunt, ſubreptus fuerit* Inſtitut. *De obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur* §. 9. Si rapiuntur bona, dicitur rapina; raptus autem appellatur, ſi homines rapiantur. Mulieres rapi poſſunt tripliciter, vel cauſa explendæ libidinis, vel cauſa matrimonii, vel alia de cauſa non turpi, puta animo lucrandi. De primo mulierum raptu, qui eſt quædam ſpecies luxuriæ, loquitur S. Thomas 2. 2. q. 154. art. 7. in corpore — *Dicendum quod raptus, prout nunc de eo loquimur, eſt ſpecies luxuriæ. Et quandoque quidem in idem concurrit cum ſtupro: quandoque autem invenitur raptus ſine ſtupro: quandoque vero ſtuprum ſine raptu. Concurrunt quidem in idem, quando aliquis violentiam infert ad virginem illicite deflorandam, quæ quidem violentia quandoque infertur tam ipſi virgini quam patri; quandoque autem infertur patri, ſed non virgini, puta cum ipſa conſentit, ut per violentiam de domo patris abſtrahatur. Differt etiam violentia & raptus alio modo, quia quandoque puella violenter abducitur a domo parentum, & violenter corrumpitur: quandoque autem, etſi violenter abducatur, non tamen violenter corrumpitur,*

*ſed*

*ſed de voluntate virginis, ſive corrumpatur fornicario concubitu, ſive matrimoniali. Qualitercumque enim violentia adſit, ſalvatur ratio raptus. Invenitur autem raptus ſine ſtupro, puta ſi aliquis rapiat viduam, vel puellam corruptam. Unde Symmachus Papa (36. q. 2. cap. RAPTORES) RAPTORES VIDUARUM, VEL VIRGINUM OB IMMANITATEM FACINORIS TANTI DETESTAMUR —. Stuprum vero ſine raptu invenitur, quando aliquis abſque violentiæ illatione virginem illicite deflorat —* De ſecundo raptu mulierum, qui definiri ſolet — violenta fœminæ abductio de loco ad locum matrimonii cauſa —, eſtque unum ex impedimentis dirimentibus matrimonium, loquitur Tridentina Synodus Seſſ. 24. in Decreto de reformatione matrimonii cap. 6. ita conſtituens — *Decernit Sancta Synodus inter raptorem, & raptam, quandiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit, nullum poſſe conſiſtere matrimonium. Quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, & libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat. Et nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, ſint ipſo jure excommunicati, ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces: &, ſi Clerici fuerint, de proprio gradu decidant. Teneatur præterea raptor mulierum raptam, ſive eam in uxorem duxerit, ſive non duxerit, decenter arbitrio judicis dotare —.* De tertio mulierum raptu loquitur præſertim Author in præſenti, eſtque hic raptus potius plagium, ſeu plaga, quæ parentibus, maritis, vel Dominis infertur, ſurripiendo ipſorum filios, uxores, vel famulos. Hi raptores vocantur plagiarii, ut adnotat Author ipſe in Angelica *Reſtitutio primo* ver. *Seducens* inquiens — *Seducens mulieres, vel pueros, ſubtrahendo eos qualitercumque ſive blanditiis, ſive minis, ab his, ſub quorum poteſtate ſunt, qui a legibus vocantur plagiarii —;* & de iiſdem opportune L. ultima C. *ad legem Fabiam de plagiariis — Plagiarii, qui viventium filiorum miſerandas infligunt parentibus orbitates, metalli pœna cum cæteris ante cognitis ſuppliciis teneantur —.* Pueri item rapi poſſunt non una, ſed duplici de cauſa, cauſa ſcilicet libidinis, & abuſus, & alia de cauſa non turpi puta animo lucrandi, & hujuſmodi. De primo puerorum raptu loquitur L. 3. ff. *ad legem Corneliam de Sicariis* §. 4. inquiens — *Et qui hominem libidinis, vel promercii cauſa caſtraverit, Senatus conſulto pœna legis Corneliæ punitur —,* & L. *Cum vir* C. *ad legem Juliam de adulteriis — Cum vir nubit in fœminam viris porrecturam, quid cupiatur, ubi ſexus perdit locum? Ubi ſcelus eſt id, quod non proficit ſcire? Ubi venus mutatur in alteram formam? Ubi amor quæritur, nec videtur, jubemus inſurgere leges, armari jura gladio ultore, ut exquiſitis pœnis ſubdantur infames, qui ſunt, vel qui futuri ſunt rei —.* De ſecundo raptu puerorum ſermo fit L. *Et eum* ff. *ad legem Juliam de vi publica — Et eum, qui puerum ingenuum rapuit, puniendum D. Pius reſcripſit —;* & de hoc uno pariter, ut reor, loquitur Author in præſenti Dubio.

Hiſce

Digitized by Google

Hiſce præhabitis animadverto, quod rapina diſtinguitur a furto; furtum enim ſicuti ſcribit Alexander de Ales part. 3. q. 36. Membro 1. — *proprie dicitur contrectatio rei alienæ ignorante Domino contra ſuam voluntatem* — rapina vero ex eodem ibi — *eſt contrectatio rei alienæ ſciente Domino contra ejus voluntatem* —. Immo rapina gravior eſt furto. Probatur id cap. *Pœnale* 16. q. 5., ubi dicitur — *Pœnale eſt occulte auferre: multo majoris pœnæ eſt viſibiliter eripere* —: & fuſius ex D. Thoma 2. 2. q. 66. art. 9. in corpore ſcribente — *Dicendum, quod rapina & furtum habent rationem peccati, ſicut ſupra dictum eſt, propter involuntarium, quod eſt ex parte ejus, cui aliquid aufertur: ita tamen quod in furto eſt involuntarium per ignorantiam, in rapina autem eſt involuntarium per violentiam. Magis eſt autem aliquid involuntarium per violentiam, quam per ignorantiam: quia violentia directius opponitur voluntati quam ignorantia; & ideo rapina eſt gravius peccatum quam furtum. Eſt & alia ratio: quia per rapinam non ſolum infertur alicui damnum in rebus, ſed etiam vergit in quandam perſonæ ignominiam, ſive injuriam: & hoc præponderat fraudi, vel dolo, quæ pertinent ad furtum* —.

Caſum quod reſpicit, nulli dubium, quod raptor, de quo ſermo, tenetur ad reſtituendam perſonam raptam — *Si filius familias ſubreptus ſit, patrem habere furti actionem palam eſt* L. 38. ff. *de furtis*. Et quum fur teneatur non ſolum ad reddendam rem ablatam, ſed inſuper ad omnia damna, quæ inde evenerunt L. 5. C. *de rei vindicatione* — *Domum, quam ex matris ſucceſſione ad te pertinere, & ab adverſa parte injuria occupatam eſſe oſtendis: Præſes Provinciæ cum penſionibus, quas percepit, aut percipere poterat, & omni cauſa damni dati, reſtitui jubebit* —: a fortiori ad idem tenebitur raptor, quum rapina, ut oſtenſum fuit, ſit gravior furto. Immo tenetur inſuper raptor ad compenſandam injuriam illatam perſonæ raptæ, & ipſius parentibus, vel Dominis, ſub quorum poteſtate vivebat. Hæc omnia conſtituit Cœleſtinus III. cap. *Gravis* Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* — *Mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit de præmiſſis, prædictum Archidiaconum ablata prænominati Monaſterii fratribus cum integritate reſtituere, damna plenarie reſarcire, & de illatis injuriis competenter ſatisfacere compellatis; proviſuri, ut non tantum fructus a novo, & violento poſſeſſore perceptos, ſed quos (ſi eis poſſidere fuiſſet licitum) poſſeſſores veteres percepiſſent, reddi faciatis eiſdem* —.

Secundum Dubium. Utrum rapiens, vel faciens fugere detentum in carcere pro ære alieno debito perſonæ privatæ, vel fiſco, teneatur ad reſtitutionem?

Reſpondeo, quod ſic, nempe totum illud, quod detentus debebat ſecundum Dominum Joannem de Platea in



Digitized by Google

L. *Quoties C. de exactoribus tributorum* Lib. 10., ubi eſt textus apertus. Quod verum credo de illis, qui ſe liberare poſſunt ſolvendo debitum; non vero de illis, qui ſunt ita pauperes, ut nullo modo poſſint ſolvere, nec habent amicos, qui pro ipſis ſolvere velint, ſed potius permitterent, ut in carcere morarentur. Quoniam tales injuſte tenentur, & detinentur, & contra caritatem, ſi parati ſunt cedere bonis C. *qui bonis cedere poſſunt* L. 1., & notat Gloſſa in cap. *Odoardus* Extra *de ſolutionibus*; qui enim bonis cedit non debet pati cruciatum, nec carceres, nec vituperium L. finali C. eo titulo. Et ideo improbantur conſuetudines in contrarium, quas Auguſtinus appellat quandam fruſtratoriam inhumanam, & irrationabilem ſævitiam, 14. q. 6. cap. *Si res*. Conſuetudo hæc, quantuncumque longa, & etiam ſtatuto firmata, non valet: quia iniqua.

(82) Omnia, quæ Author hic conſtituit, pene ſola recitatione legum, quas indicat, clareſcunt, & confirmantur.

Docet primo eum teneri ad reſtituendum, qui detentum in carcere ob æs alienum alteri debitum vel rapit, vel conſulit, ut fugiat. Et reipſa id habet L. *Quoties*, quæ eſt hujuſmodi — *Quoties quis & privati debitor invenitur, & fiſci: abreptus ab uno Officio, teneatur ad univerſi debiti ſolutionem. Qui eum abſtulit, carceratur, ac totius ſummæ exactionem in ſe ſuſcipiat, qui eundem avellendum, ſubtrahendumque crediderit* —.

Docet ſecundo excipiendum eſſe caſum, in quo detentus maxima laboraret inopia, ita ut nec haberet unde ſolveret, nec parentes, nec amicos haberet, a quibus poſſet ſubſidium aliquod expectare: paratus iccirco cedere bonis, eaque omnia peragere, quæ a viro gravato quidem ære alieno, ſed miſerrimo, rebuſque omnibus deſtituto præſtari queunt. Apertiſſimum id eſt; rapiens enim hujuſmodi detentum, vel fugam ei conſulens, vel eum adjuvans ut fugiat, nullum damnum infert creditoribus: & merito ſubdit Author injuſte eum ſic detineri: quia L. 1. C. *qui bonis cedere poſſunt* ſancitur — *Qui bonis ceſſerint, niſi ſolidum creditor receperit, non ſunt liberati. In eo enim tantummodo hoc beneficium eis prodeſt, ne judicati detrahantur in carcerem* —: & cap. *Odoardus* Extra *de ſolutionibus* Gregorius IX. jure optimo decrevit relaxandam eſſe excommunicationem latam contra debitorem impotentem ad ſolvendum — *Odoardus Clericus propoſuit, quod cum P. Clericus, D. Laicus, & quidam alii ipſum coram Officiali*

*Archi-*

Digitized by Google

*Archidiaconi Remen. ſuper quibuſdam debitis conveniſſent, idem in eum recognoſcentem hujuſmodi debita, ſed propter rerum inopiam ſolvere non valentem, excommunicationis ſententiam promulgavit. Mandamus, quatenus ſi conſtiterit, quod prædictus Odoardus in totum, vel pro parte non poſſit ſolvere debita ſupradicta, ſententiam ipſam ſine difficultate qualibet relaxetis, recepta prius ab eo idonea cautione, ut, ſi ad pinguiorem fortunam devenerit, debita prædicta perſolvat* —. Super hoc capite, & ſingillatim ſuper ver. *Non valentem* appoſite Gloſſa — Et ideo inanis eſt actio, quam inopia debitoris excludit ff. *de dolo* L. *Nam hic*, & ſupra *de reſtitutione ſpoliatorum* cap. *Olim*: quia qui nihil habet, nihil dare poteſt, ut 1. q. 7. cap. *Daibertum*, & ejus periculo nihil eſt ff. *de furtis* L. *Itaque fullo* in principio. Unde videtur, quod non tenuit excommunicatio, ſed debuit eum expectare quouſque ſolvere poſſet. Arg. Decretal. prædictæ *Olim*, & impoſſibile præceptum non obligat ff. *quæ ſententiæ ſine appellatione reſcindantur* L. *Paulus* 2., & impoſſibilium nulla eſt obligatio ff. *de regulis juris* L. *Impoſſibilium*. Sed hic tenuit ſententia forte propter dubium: quia non plene conſtabat, an in totum, vel in partem poſſet ſolvere: & ideo cum de hoc conſtiterit relaxatur, ut hic dicitur. Sed ſi certus eſſet Judex, quia nihil ſolvere poſſet: vel ſi ceſſiſſet bonis, ſententia non tenuiſſet: vel ſi tenuiſſet, injuſta tamen fuit; & ideo ſine difficultate debet abſolvi, & Judex tenetur ſibi ad intereſſe infra *de ſententia excommunicationis* cap. *Sacro*. Hoc tutius eſt —. Hactenus Gloſſa.

Docet tertio hominem cedentem bonis pati non debere nec cruciatum, nec vituperium. Et hoc ipſum eſt, quod conſtituit L. ultima C. *qui bonis cedere poſſunt* — *Cum ſolito more a noſtra Majeſtate petitur, ut ad miſerabile ceſſionis bonorum homines veniant auxilium, & electio detur creditoribus, vel quinquennale ſpatium eis indulgere, vel bonorum accipere ceſſionem, ſalva eorum videlicet exiſtimatione, & omni corporali cruciatu ſemoto* —. Placet nihilominus exceptio, quam Author apponit in Angelica ver. *Carcer* num. 2., duos caſus excipiens — *Primus, ſi alienavit omnia ſua bona in fraudem creditorum. Caſus eſt in L. finali ff. QUÆ IN FRAUDEM CREDITORUM: quod tenet Dinus in §. SI QUIS IN FRAUDEM Inſtitut. DE ACTIONIBUS. Secundus, ſi debitor tempore, quo contraxit, ſciebat ſe non ſolvendo eſſe, ut ff. DE JURE DOTIUM L. penultima. Nam in iſtis duobus caſibus non dabitur ſibi beneficium ceſſionis bonorum. Et placet mihi iſta opinio, quia æqua, & ſequenda in conſcientia, licet alii contrarium teneant, quod ſcilicet poſſit incarcerari ſimpliciter. Adde etiam, quod teneri facere aliquem in carcere pro debito aliquando eſt contra præceptum caritatis proximi, ut puta quando in nulla culpa eſt de damno proximi, & non habeat, unde ſatisfaciat ipſe, nec ſperatur, quod aliquis pro eo ſit ſatisfacturus. Secus, ſi fuit in culpa: quia tunc ad pœnam poſſet detineri: quod bene nota* —.

Si adverſus genericam Authoris doctrinam, nempe quod cedens bonis ſuſti-

ſuſtinere non debeat nec cruciatum, nec vituperium, objiciat quis tritum illud axioma – *qui non habet in ære, luat in pelle* L. 7. ff. *de juriſdictione*, in cujus §. 3. ſcribitur – *qui inopia laborant, corpus torquendum eſt* –, & L. finali ff. *de in jus vocando*, in qua ſancitur – *A Præfecto Urbi quaſi inofficioſus caſtigatur, ſi inopia dignoſcitur laborare* –. Reſpondeo cum Anacleto in lib. 3. Decret. tit. 23. §. 1. num. 6. – *In debitis ex delicto provenientibus, conceditur: ex mutuo, vel alio titulo provenientibus, negatur: quia dictum axioma tunc ſolum procedit, quando quis delictum committit, cujus pœna pecuniaria eſt; nam in tali caſu, ſi ſolvere nequit, luere debet in cute, ne delicta maneant impunita* –.

Cedere bonis eſt univerſitate bonorum ſuorum recedere, & eis abrenuntiare, veluti quando aliquis oneratus debitis, vel obligatus pluribus non habet, unde ſolvat. Ut ſatisfaciat omnibus creditoribus, abrenuntiat bonis ſuis univerſis, cedens illis – Ita Vocabularium utriuſque juris ver. *Cedere*. Ceſſio iſthæc fieri ſolet in loco publico, & cum quibuſdam formalitatibus non admodum decoris. Pro Regione noſtra ita conſtitutum lego in Conſtitutionibus Victorii Amedei lib. 3. tit. 33. num. 2. – *Chiunque vorrà devenir alla medeſima, dovrà perſonalmente comparire nel Tribunale, e ſenza occultare alcuno de' ſuoi Beni, o tralaſciare le altre ſolennità preſcritte dalla legge comune, ſtarà in piedi per qualche piccolo ſpazio di tempo nell'ora, che ſogliono tenerſi le Cauſe ſopra la Pietra eſiſtente avanti la Porta d' eſſo Tribunale, e di poi ſedendo nudo, a riſerva della Camicia, ſopra la Pietra ſuddetta, dirà ad alta voce Cedo bonis* –. Qui bonis ceſſit, liberatur quidem a carcere in foro externo textu expreſſo L. 1. C. *qui bonis cedere poſſunt* jam ſupra producta; non liberatur tamen in foro conſcientiæ ab onere reſtitutionis: & iccirco, ſi poſtmodum ad pinguiorem fortunam deveniat, tenetur reſtituere quantum poteſt L. 4. ff. *de ceſſione bonorum* – *Is, qui bonis ceſſit, ſi quid poſtea adquiſierit, in quantum facere poteſt, convenitur* –: & Inſtitut. *de actionibus* §. 40. – *Cum eo quoque, qui creditoribus ſuis bonis ceſſit, ſi poſtea aliquid adquiſierit, quod idoneum emolumentum habeat, ex integro in id, quod facere poteſt, creditores experiuntur: inhumanum enim erat, ſpoliatum fortunis ſuis in ſolidum damnari* –. Non deſunt qui ſecus opinantur; Gloſſa namque ſuper hoc ultimo loco ita ſcribit in Additione – *Qui ceſſit bonis, poteſt iterum conveniri, ſi perveniat ad pinguiorem fortunam. Verum eſt, niſi pro eo jam ſuſtinuiſſet pœnas corporales, vel ceſſionem feciſſet culo nudo ſuper lapidem, De hoc Gloſſa notat in ver. SI HABENS in cap. SICUT DIGNUM §. EOS INSUPER Extra DE HOMICIDIO, & in cap. PECCATUM de Regulis juris in Sexto* – Rationem affert Gloſſa citata in ver. *Si habens* inquiens – *Non enim conſurget triplex tribulatio 23. q. 5. cap. QUOD ERGO, ff. DE IN JUS VOCANDO L. ultima, & ſupra DE JUDICIIS cap. AT SI CLERICI in fine* –.

TER-

TERTIUM DUBIUM. Utrum rapiens, vel faciens fugere, vel occultans Officiales tempore Sindicatus, teneatur?

Reſpondeo ſecundum Baldum in L. 3. C. *de adſeſſoribus*, quod ſic, & in quadruplum. Hoc credo verum poſt condemnationem, nam ante ipſam tenetur ſolum ad totum damnum, quod reſtituere debuiſſent ipſi Officiales, ſi ſindicati fuiſſent.

(83) Quod hic ait *in quadruplum* deducitur ex L. 1. ff. *Vi bonorum raptorum*, quæ eſt hujuſmodi — *Qui rem rapuit, & furti non manifeſti tenetur in duplum, & vi bonorum raptorum in quadruplum* —. Super qua egregie Gloſſa — *Raptor tenetur duabus actionibus, ſcilicet vi bonorum raptorum in quadruplum, & actione furti non manifeſti in duplum. Et ſi agatur vi bonorum raptorum, tollitur actio furti; ſed ſi agatur primo furti, & ſic ad duplum, adhuc durat actio vi bonorum raptorum in aliud duplum, quod plus eſt in ea, quam in furti actione* —.

Subdit Author, idem non eſſe dicendum ante condemnationem, ac dici debeat poſt eandem. Ratio eſt, quia Officiales antequam condemnentur, uti poſſunt jure ſuo, accuſationibus reſpondere, rationem reddere eorum, quæ geſſerunt, & ad minorem pecuniæ ſummam reducere damnum, quod ab accuſatoribus dicitur illatum. Secuta autem condemnatione nihil amplius agere poſſunt ex his; & iccirco qui eos rapiunt, occultant, vel ad fugam inducunt, quum ex ſententia lata jam conſtet quid reddere debeant Officiales, tenentur ipſi reſtituere ad rigorem juris, quin locus ſit alicui imminutioni.

QUARTUM DUBIUM. Utrum homicida, aut quicumque alius malefactor fugiens de manu Officialis, teneatur, itemque alius faciens eum fugere?

Reſpondeo diſtinguendo. Aut ſententia contra ipſum lata eſt, aut non. Si ſic, & juſte: tunc, ſi captus eſt, non poteſt fugere, nec alius poteſt ipſum adjuvare, vel inducere ad fugiendum ſine peccato mortali ſecundum Dominum Antonium de Butrio, & pro hoc facit Gloſſa in cap. *Jus gentium* diſt. 1.. Secundum aliquos, ſi fugit, tenetur ſe reſtituere, & illi, qui eum induxerunt, vel adjuvarunt ad fugam, tenentur facere quantum in eis eſt, ut revertatur.

tur. Quod non credo verum, nec ipſi hoc facerent, ſi fugiſſent. Et iccirco in foro conſcientiæ ſolum tenetur pœnitere de mortali, quoniam non vult Deus mortem peccatorum. Si autem non eſt captus, non peccant qui eum adjuvant, vel inducunt ad fugam, nec ipſe in foro conſcientiæ tenetur ſe præſentare; tenetur tamen res ſuas dimittere, ſi condemnatæ ſunt, nec illas poteſt alienare: & quicumque eas recipit ſcienter quocumque titulo, tenetur eaſdem tradere illi, cui per ſententiam fuerunt applicatæ. Item non poſſet ſe defendere, nec alii poſſent ipſum adjuvare, ſi Officiales vellent eum capere, quia habent juſtum bellum contra ipſum, 23. q. 5. cap. *Non putes*, 11. q. 3. cap. *Qui reſiſtit*, & ſecus agendo peccaret mortaliter tum ipſe, tum illi, qui eum adjuvarent.

Aut ſententia contra ipſum nondum eſt lata: & tunc ſi non eſt captus, fugere poteſt, bona ſua alienare, tranſportare, & hujuſmodi. Item & alii poſſunt eum ad hoc adjuvare. Si autem captus eſt & peccatum eſt occultum, poteſt fugere ſine peccato, componere cum accuſante, & hujuſmodi. Itemque alii in hujuſmodi poſſunt operam dare. Quod ſi peccatum ſuum eſt manifeſtum, tunc ſecundum Dominum Antonium peccat mortaliter, ſi fugit; non tenetur tamen ſe reſtituere. Nec ad aliquam reſtitutionem tenentur Judex, Advocatus, Accuſator, & hujuſmodi, qui cum illo componunt, & faciunt ut fugiat. Quæ omnia intellige in illis, qui compaſſione naturali moventur; non autem de illis, qui facinoroſos homines eripiunt de manibus Officialium, aut defendunt, ut eos in ſuis iniquitatibus foveant: quoniam tales ſemper mortaliter peccant eos adjuvando quoquo modo, & tenentur ad reſtituendum omne damnum, quod dant proximis.

(84) Super hac re Author ipſe in Angelica ver. *Fugere* num. 1. ſententiam immutavit; ſcripſit enim eo loci – *Nec diſtinguo, utrum ſententiatus,*

*tus, vel non: quia qualitercumque ſit, credo fugere poſſit, ſi bono modo; ut dixi, poteſt facere* —. Multa certe occurrunt ſuper hoc dubio, quæ omnia nequeunt ſub una vel altera diſtinctione explanari. Placet icciroo plures inſtituere quæſtiunculas, & hac planiori via omnia dilucidare. Sit igitur.

Quæſtiuncula prima. Utrum injuſte detentus, vel damnatus poſſit licite fugere?

R. Ita ſane. Immo licet ei ſe defendere, & Poteſtati reſiſtere. Doctrina hæc S. Thomæ eſt 2. 2. q. 69. art. 4. ad 2. ſcribentis in corpore — *Alio modo condemnatur aliquis injuſte, & tale judicium ſimile eſt violentiæ latronum ſecundum illud Ezechiel. 22. PRINCIPES EJUS IN MEDIO ILLIUS, QUASI LUPI RAPIENTES PRÆDAM AD EFFUNDENDUM SANGUINEM* —. *E ideo ſicut licet reſiſtere latronibus, ita licet reſiſtere in tali caſu malis Principibus, niſi forte propter ſcandalum vitandum, cum ex hoc aliqua gravis turbatio timeretur* —. Eadem habet Aſteſanus lib. 1. tit. 41. art. 2. *circa quartum*. Et brevibus Author in Angelica loco proxime citato inquiens — *Si tenetur injuſte, eſt clarum quod ſic* —. Hæc tamen, ut reor, ſpeculative potius quam practice conſtituta ſunt; in praxi enim novimus, quod rei omnes ut in pluribus adſerunt, & contendunt ſe injuſte detineri; & aliunde generatim loquendo nemo poteſt eſſe Judex in propria cauſa L. unica C. *Ne quis in ſua cauſa — Generali lege decernimus, neminem ſibi eſſe judicem, vel jus ſibi dicere debere: in re enim propria iniquum admodum eſt, alicui licentiam tribuere ſententiæ* —.

Quæſtiuncula ſecunda. Utrum juſte damnatus ad carcerem, ad exilium, vel ad mulctam pecuniariam, licite poſſit in fugam ſe conjicere?

R. Negative reſpondent Author in Angelica loco proxime citato, Gloſſa in cap. *Jus gentium* diſt. 1. ſuper ver. *Servitutes* inquiens — *Si ergo bellum juſtum eſt, qui capitur ſit ſervus capientis, ut 23. q. 5. cap. DICAT, & ſecundum hoc peccat taliter captus, ſi recedat a Domino ſuo, ut 17. q. 4. cap. SI QUIS SERVUM* —, Antoine *de obligationibus* cap. 5. §. 4. q. 2. reſp. 6., Colletus in ſuis Inſtitut. de octavo Decalogi præcepto art. 3. ſect. 3. concluſ. 6., Cuniliati in octavum Decalogi præceptum §. 3. num. 8., Gennetus de octavo Decalogi præcepto cap. 3. q. 7., Cajetanus Comment. in art. 4. q. 69. 2. 2. Divi Thomæ ad Confirmationem ſcribens — Scito, quod pœnæ ſunt in duplici differentia. Quædam ſunt, ad quas non aliter quis damnatur, niſi ut patiatur illatas, ut patet de morte, mutilatione, flagellis, tortura, & hujuſmodi. Non enim damnatur aliquis, ut ſe occidat, mutilet, torqueat &c., ſed ut patiatur hæc ſibi illata. Et de his omnibus eadem eſt ratio, quæ de morte, ut ſcilicet damnatus, vel damnandus ad aliquid horum poſſit licite fugere, quia non tenetur niſi ad pati, ut infra patebit. Quædam vero ſunt, ad quas ſic ſubeundas aliquis damnatur, ut ipſe cooperetur ad eas, ut patet de exilio, circumſcriptione, & pœna pecuniaria,

ria. Damnatur ſiquidem aliquis; ut exeat in exilii locum, & ibi infra præfixos ſibi terminos maneat, ut ſolvat hujuſmodi. Et ab harum executione non licet ſe ſubtrahere poſt ſententiam: quia damnatus eſt ad faciendum. Ante vero ſententiam poteſt licite fugere, eadem ratione, qua damnatus ad mortem poteſt licite fugere, ſcilicet quia non tenetur facere, hoc eſt manere in loco, unde ſequeretur ſuum pati, hoc eſt damnari, ſi ex ſua abſentia evitaretur damnatio; alioquin omnino teneretur in foro conſcientiæ ſubire latam poſt ſententiam. Religioſi tamen, quia libertate ſui motus proceſſivi extra clauſtra ſe privarunt, ſupponentes ſe per tria vota Prælatis ſuis, quacumque ex cauſa a ſuis Prælatis juſte detineantur, non poſſunt licite extra præfixos ſibi terminos fugiendo exire quum nec exire poſſint non detenti clauſtrum ſine licentia Prælati – Hactenus ille. Brevius Antoine jam laudatus – quia hæ pœnæ non habent injuſtitiam, nec crudelitatem ex hoc præciſe, quod a reo executioni mandentur. Reus autem tenetur per ſe ipſum exequi pœnam juſtam non nimis acerbam, ad quam a Judice damnatus eſt: præſertim cum talis pœna, ut eſt carceris, exilii, & mulctæ, non egeat executione alterius: nam quiſque tenetur parere juſtæ ſententiæ, & obedire Superiori juſta, & moraliter poſſibilia præcipienti –. Quod dixi de carcere, id intellige de temporario, ſeu ad tempus; non autem de perpetuo, ſeu ad vitam. Quapropter ſit

Quæſtiuncula tertia. Utrum juſte damnatus ad carcerem perpetuum, vel ad triremes, licite poſſit aufugere?

R. Utique reſpondent Colletus, Cuniliati, & Antoine in locis proxime indicatis. Non pauci (ſcribit Antoine) cenſent damnato ad triremes licere fugere, niſi data fuerit fides præſertim jurata remanendi. Quia non tam damnatur, ut ibi maneat, quam ut detineatur: & quia nimis eſſet grave reum obligari in conſcientia ad ſponte manendum, quando fugere poteſt: cum in triremibus manere ſit res duriſſima; extendunt ad perpetuum carcerem valde moleſtum – Hæc ille. Placet ſummopere quod poſt Sylvium animadvertit Colletus – *Si tamen ad preces rei juſta mortis pœna in carcerem perpetuum mutaretur, non videtur, ait Sylvius, quod liceret ei fugere: quia tacite videtur renunciare juri, quod habere poſſet ad fugiendum per hoc, quod peroptat pœnam carceris loco ſupplicii mortis* –.

Quæſtiuncula quarta. Utrum detentus, & juſte damnatus ad mortem, vel ad aliquam gravem corporalem pœnam, licite poſſit fugam capeſſere?

R. Author in Angelica, Antoine reſp. 2., Colletus, Cuniliati num. 7., Gennetus, Cajetanus locis jam memoratis, Lucius Ferraris in ſua Bibliotheca ver. *Reus* num. 12., Joannes Pontas v. item *Reus* caſu 2. omnes uno ore fatentur, licite poſſe fugere, ſi id poſſit conſequi ſine violentia, videlicet abſque vi Miniſtris carceris, aut eorum domeſticis illata. Id perſpicue docuit S. Thomas 2. 2. q. 69. ad ſecundum; quum enim objectionem ſibi propoſuiſſet hiſce verbis – *Præterea. Sicut aliquis ſententiam mortis contra ſe latam*

*tam*

*tam ſubterfugit reſiſtendo, ita etiam fugiendo. Sed licitum eſſe videtur, quod aliquis ſe a morte per fugam liberet ſecundum illud Eccleſiaſtici 9. — LONGE ESTO AB HOMINE POTESTATEM HABENTE OCCIDENDI, ET. NON SUSPICABERIS — Ergo etiam licitum eſt reo reſiſtere —*: ita ſibi ipſi reſpondit — *Ad ſecundum dicendum, quod nullus ita condemnatur, quod ipſe ſibi inferat mortem, ſed quod ipſe mortem patiatur; & ideo non tenetur facere id, unde mors ſequatur, quod eſt manere in loco, unde ducatur ad mortem. Tenetur tamen non reſiſtere agenti, quin patiatur quod juſtum eſt eum pati —. Nullo jure cavetur, quod debeat expectare mortem* — Ita Author in Angelica. Neque tenetur facere id, cum quo mors eſt ex ſe conjuncta, ſicuti eſt remanere in carcere; non enim ipſi jubetur, ut ſibi inferat mortem, ſed ut illam patiatur, & ut illas actiones faciat, quæ non ſunt mortis illativæ, ſed indifferentes, puta collum præparare, manus extendere, ſcalam aſcendere &c. Fugere igitur licite poteſt, ſi velit —. Ita Cuniliati. Quia non præſumitur Judex poteſtatem hanc auferre velle reo, neque eum conjicere in carcerem, ut ibi ſponte remaneat. Sic enim ob ſummum, quem habent homines vitæ amorem, exponeretur reus gravi, & inutili inobedientiæ periculo. Gravi quidem, quia nemo eſt, qui in pari caſu data evadendi facultate non utatur, aut eam dari vehementer non exoptet. Inutili vero, quia reus facile aliter detineri poteſt. Ita Colletus.

Quæſtiuncula quinta. Quid, ſi ſimul cum ſententia Judex reo præciperet, ne auderet fugere?

R. Accipe egregium reſponſum Cuniliati ibidem — Multi ſuſtinent adhuc fugere poſſe, reputantes juſſionem iniquam, & contra naturalem inclinationem. Probabilior tamen ſuſtinet, tunc licite fugere non poſſe: quia ſicuti parere tenetur ſententiæ privanti ipſum facultate fugiendi, ut docent Cajetanus, & Sylvius in Comment. ſupra laudatum articulum S. Thomæ. Hoc autem præceptum a Judicibus fieri non conſuevit. Quod ſi fugeret, bona fide putans ſibi licere, non peccaret —. Hæc ille. Ut ut ſit: ſi peccaret reus fugiendo, immunis a peccato certe non eſſet Judex ſic præcipiendo: quia non ſervaret in hoc ordinem juris, & limites ordinariæ ſuæ auctoritatis excederet.

Quæſtiuncula ſexta. Quid, ſi reus hic prævideat, quod cuſtos carceris grave damnum paſſurus eſt propter ipſius fugam: poteſt ne adhuc licite fugere, hoc ſciens, & animo proſpiciens?

R. Recte Colletus. Affirmative. Primo, quia Angelus, qui peccare non potuit, eduxit Petrum a carcere, etſi probabiliter ſciret cuſtodes Petri ob fugam ejus capitali ſententia mulctatum iri. Secundo, quia ſi, ut nemo ambigit, liceat reo fugere, ne capiatur, aut jam capto excutere ſe a juſtitiæ miniſtris, modo eis vim nullam inferat: quid ni jam damnato licitum ſit evadere ſi poteſt modo nec percutiat, nec inebriet carceris cuſtodem? Hæc ille. Addo cum Lucio Ferraris: quia reus utitur jure ſuo, & nulli facit injuriam. Addo cum Cuniliati: quia utitur medio non malo in con-

ſcientia ſua, & alioquin cuſtos invigilare debebat. Addo cum Cajetano: quia ea, quæ ſunt per accidens, non mutant judicia actuum. Et per accidens, quia præter intentionem fugientis, eſt, quod cuſtodum tribulatio ſequatur. Ideo ob hoc damnatus ad mortem non tenetur non fugere, ſed licite poteſt fugere. Et quia dat operam rei licitæ, quicquid mali proinde cuſtodibus inferatur a Judice, non imputatur fugienti.

Quæſtiuncula ſeptima. Utrum hic reus, de quo ſermo, qui vel emiſſus juravit ſe rediturum, vel ſemper detentus juravit ſe fugam non eſſe capturum, teneatur in conſcientia redire, & in coſcientia non poſſit fugere?

R. Si carcer ſit juſtus, juſta pariter ſit pœna mortis imminens, fatentur omnes ipſum teneri juramento; reverti idcirco, & non aufugere. Difficultas eſt, quando injuſte quis detinetur, & injuſta pariter eſt imminens pœna. Complures opinantur, in hoc caſu reum non teneri juramento, quia temere ſe exponeret morti, quam facile vitare poſſet. Hos vide penes Ferraris loco jam laudato num. 20., & Danielem Conciaam lib. 5. in Decalogum Differt. 6. cap. 5. num. 9. Hujus ſententiæ eſt Rolella ver. *Arreſtatus* num. 2., proferens Gloſſam in cap. *Paſtoralis* in Clementin. *de ſententia & re judicata* ſuper ver. *Per violentam*, quæ ſic habet — *Per hanc literam videtur, quod ſi captivus ad pœnam vel periculum mortis, relaxatur juramento ſuo de redeundo ad carcerem certa die, ſi mors erat injurioſa, redire non teneatur; alias teneatur* —. Immo Covarruvias tuetur, hunc reum peccare, ſi redeat, aut non fugiat. Majori tamen probabilitate gaudet ſententia affirmans ipſum teneri juramento — Ratio eſt (ait Concina) quoniam reditus ad carcerem ob finem ſervandi jurisjurandi fidem actus eſt fortitudinis, veracitatis, patientiæ, & religionis. Nec iſte cenſetur ſeſe occidere, vitamque ſuam prodigere; ſed ſolum periculo vitæ ſeſe exponere, ad quod non raro ex juſta, & rationabili cauſa tenemur omnes. Dicimus tamen te debere redire ad carcerem etiam cum periculo amittendæ vitæ, quando, dum juraſti, hoc periculum proſpexiſti: quod ſi facto juramento abſque hac prævisione, periculum iſtud ſupervenerit, ex mutatione tam gravis circumſtantiæ ad reditum non teneris —. Hæc eadem exceptio jam publici juris facta fuerat a Sanchez, Caſtropalao, & Tamburino, ut ibidem Ferraris animadvertit. Neque tali reditu (ſubdit Concina paullo poſt) tyranno porrigitur injuſtæ vexationis occaſio, ſed ille ex ſua iniquitate ſæviendi anſam arripit. Et licet ſervanda violento aggreſſori fides non ſit, ſervandum tamen eſt obſequium Deo, cujus teſtimonium adductum fuit in juramento, quo reditus ad carcerem firmatus fuit.

Quæſtiuncula octava. Utrum hic idem Reus iis in caſibus, in quibus poſſet licite fugere, fugere teneatur?

R. Nequaquam. Ita Author ipſe in Angelica loco ſupra laudato ſcribens — *Similiter dic de fuga. Sed quod teneatur non credo ..... Sed poſſet patienter ferre pro peccatis ſuis ſatisfactione* — Ita Collectus ibidem quæres quinto huic poſtu-

poſtulationi ſic reſpondens – *Negative*. *Primo, quia ex S. Thoma licet reo ſe Judici offerre puniendum. Ergo a fortiori licet ei non fugere. Secundo, quia qui non fugit, non ſeſe necat, ſed ſolum vitam ſuam non tuetur. Atqui poteſt quis non tueri vitam, quoties cauſam habet ad id ſufficientem, qualis in præſenti caſu multiplex reperitur, ut ſtudium ſatisfaciendi pro peccatis, aut ædificandi proximos* –.

Quæſtiuncula nona. Utrum Reus, qui intacta conſcientia poteſt commendare ſe fugæ, poſſit etiam licite rumpere vincula, fores effringere, aliaque tollere impedimenta, limam adhibendo, malleum, funes, & his ſimilia?

R. Lege civili vetitum id eſt ſub pœna capitis L. 1. ff. *de effractoribus & expilatoribus* – *De his, qui carcere effracto evaſerunt, ſumendum ſupplicium, Divi fratres Æmilio Tironi reſcripſerunt. Saturnius etiam probat in eos, qui de carcere eruperunt, ſive effractis foribus, ſive conſpiratione cum cæteris, qui in eadem cuſtodia erant, capite puniendos: quod ſi per negligentiam cuſtodum evaſerunt, lenius puniendos* –. Hac de cauſa nonnulli cum Henrico de Gandavo Quolibeto 9. art. 1., Gennetto loco ſuperius indicato, aliiſque, arbitrantur reum id non poſſe licite efficere: quia, ut ajunt, aliqam injuriæ ſpeciem inferret Reipublicæ, perinde ac ſi Miniſtros ſuos percuteret: quia reſiſteret Judici in his, in quibus Judex legitimam habet poteſtatem: quia demum id a lege civili ſevere punitur. Legem hanc quod ſpectat, cenſet Delugo eam eſſe injuſtam, prout pœnam mortis conſtituit. Cenſent alii legem eſſe mere pœnalem, & ſe habere velut vinculum, quo reus continetur metu pœnarum. Oppoſitum iccirco tuentur Antoine, Colletus, Cuniliati, Cajetanus, Pontas locis ſuperius indicatis: & inſuper ex eodem Pontas, Dominicus Soto, Ludovicus Bannes, Salonius, Azorius, Merbeſius, Sylvius, cujus ſunt hæc verba – *quia reus carcerem effringens utitur jure, quod habet ad fugiendum, & nulli facit injuriam; neque enim carceres, neque compedes ſunt injuriæ capaces; ipſis autem juſtitiæ miniſtris nihil (ut ſupponitur) facit* –. Fuſe rem hanc exponit Cajetanus laudato Commentario ad tertiam, & quartam quæſtionem: & meo ſaltem judicio ſatis opportune. Recitata opinione Henrici Gandavenſis, ita ſententiam ſuam aperit firmatque ſapientiſſimus Cardinalis – Si quis tamen diligenter diſtinguat inter fugam, vel defenſionem, ac inter vim inferre rationalibus, vel irrationalibus, declinabit in partem oppoſitam. Cum enim inter Judicem & damnatum juſte ad mortem ſit ex parte Judicis bellum juſtum, conſequens eſt, quod damnatus non poſſit ſe defendere, non reſiſtere, pugnando contra eum. Sed ſicut fugere non eſt reſiſtere, pugnare, aut defendere, ſed non tenere ſe ipſum in hoc loco; ita frangere vincula, & carceres non eſt pugnare, ſed abſolvere ſeipſum a continentia vinculorum, & carceris. Multum quoque refert vim rationalium, vel irrationalium repellere. Nam illata vis rebus irrationalibus præciſe non redundat in Authorem eorum, cujus ſignum eſt, quod ſi quis vinculis ſibi ab Eccleſiaſtico Judice impoſitis violentiam inferat effringendo, non eſt ex-

communicatus. Et ſi quis damnatus, ut devoretur a leone, pugnet cum leone, & leone ſuperato fugiat, nulli injuriam facit. Hæc enim atteſtari videntur, quod ſi fugere volens vim inferat cuſtodibus, injuſte facit. Sed ſi abſentibus, vel dormientibus eis frangat vincula, vel carceres, Judici, vel Officialibus imputandum videtur, quod tam debiliter oſtia firmata, vel feræ fabricatæ ſunt, ut potuerint a detento frangi. Unde non video, quare non poſſit damnatus ad mortem, violentiam vinculis, & carceri præciſe, abſque ſcilicet reſiſtentia omni cuicumque cuſtodi, inferre. Non enim hoc eſt ſicut percutere Miniſtros, aut pugnare contra eos: nec eſt reſiſtere Judici in his, in quibus habet poteſtatem; ſed non continere ſe ſub circumſcriptione vinculorum, & carceris, & eiſdem, non auctori eorum, vim inferre – Hactenus Cajetanus, ex cujus doctrina enaſcitur ſequens

Quæſtiuncula decima. Utrum Reo juſte damnato liceat vim facere Miniſtris, & Cuſtodibus, ipſis violenter reſiſtere, & ſe defendere eoſdem percutiendo &c.?

R. Jam audiſti ex Cajetano, quod id reo non licet. Idem expreſſe docet Author in præſenti, quia Officiales habent bellum juſtum contra ipſum. Idem adſeruit Aſteſanus lib. 1. tit. 41. art. 2. *circa quartum* ſcribens – *Circa quartum reſpondet Thomas ubi ſupra art. 4; quod non, ſi ſit juſte condemnatus; unde ad Rom. 13. – QUI POTESTATI RESISTIT, DEI ORDINATIONI RESISTIT –, & per conſequens SIBI DAMNATIONEM ACQUIRIT; licet enim Judici eum reſiſtentem impugnare. Unde patet, quod ex parte rei ſit bellum injuſtum; & ideo indubitanter peccat* –. Quæſtio hæc eſt ea, quam ſibi ipſi propoſuit S. Thomas 2. 2. q. 69. art. 4., & cui reſpondit – *Dicendum, quod aliquis damnatur ad mortem dupliciter. Uno modo juſte: & ſic non licet condemnato ſe defendere; licitum enim eſt Judici eum reſiſtentem impugnare. Unde relinquitur, quod ex parte ejus ſit bellum injuſtum; unde indubitanter peccat* –. Idem dicas, ſi Miniſtri vellent ipſum capere ante latam ſententiam, ut perſpicue Author in Angelica ver. *Fugere* num. 2. – *Sive ſententia contra eum data ſit, vel non, poteſt fugere, non tamen cum violentia Officialium, qui vellent eum capere: quia ipſi habent juſtum bellum contra eum 23. q. 5. cap. NON PUTES, 11. q. 3. cap. QUI RESISTIT: & ſic eos impugnando mortaliter peccaret: Similiter auxiliantes* –. Vide, ſi placet, Joannem Pontas ver. *Reus* Caſu 3. & 4. agentem de hac re.

Quæſtiuncula undecima. Utrum Reo poſſit imponi, quod ſibi ipſi mortem inferat, venenum ſumendo, in ignem ſe conjiciendo &c.?

R. Id ſupponere videtur tamquam certum Lucius Ferraris cum nonnullis ver. *Reus* num. 11., ſed ſecus opinantus eſt S. Thomas loco laudato *ad ſecundum* – *Dicendum, quod nullus ita condemnatur, quod ipſe ſibi inferat mortem, ſed quod ipſe mortem patiatur* –. Placet iccirco doctrina Cajetani in memorato Commentario *ad ſecundam dubitationem*. *Poſtquam natus eſt ſol juſtitiæ Chriſtus Deus noſter, cognoviſſe videntur Judices, quod hoc non*

*licet*

Digitized by Google

*licet, quamvis forte veteres concedendo optionem generis mortis, magis quam judicando, faciebant hæc. Quemadmodum enim non licet damnare aliquem, ut ſeipſum confodiat, ita nec quod ſeipſum mergat, aut veneno occidat: quia ſententia debet eſſe de actu juſtitiæ. Non eſt autem actus juſtitiæ ſe ipſum occidere: tum quia actus juſtitiæ eſt ad alterum, & non ad ſeipſum: tum quia eſt contra jus naturæ, & charitatem, ut in quæſtione de homicidio habitum eſt* –. Huc conferre poteſt quod habet Gloſſa in cap. *Qui reſiſtit* 11. q.3. ſub initio – *Si vero Poteſtas malum jubeat, potius eſt obediendum Domino Cæli quam Domino terreno* –. Malum certe eſt ſuicidium, & divina lege prohibitum. Ergo Judici ſuicidium præcipienti non tenetur Reus obtemperare. Ergo neque Judex poterit hoc præcipere.

Quæſtiuncula duodecima. Utrum Reus damnatus, ut fame moriatur, peccet nec ne, ſi ſumat cibum ipſi occulte delatum?

R. Non peccare ſcribunt Author in Angelica loco proxime citato num.1., Aſteſanus loco itidem proxime memorato; Idem adſeruit S. Thomas art. 4. *ad ſecundum* jam pluries indicato ſcribens – *Sicut etiam, ſi aliquis ſit condemnatus, ut famè moriatur, non peccat, ſi cibum ſibi occulte miniſtratum ſumat* –. Ratio poteſt eſſe: quia ſicuti fatentibus omnibus Reus condemnatus ad aliud genus mortis, poteſt vitare mortem fugiendo, dummodo Cuſtodibus nullam inferat violentiam, quum utatur jure ſuo; ita damnatus, ut fame moriatur, hoc genus mortis declinare poteſt, ſumendo cibum ipſi delatum, quum nullam & in hoc violentiam inferat neque perſonæ Judicis, neque Miniſtris juſtitiæ. Sed quoniam S. Thomas ibidem ſubdit – *Quia non ſumendo, eſſet ſeipſum occidere* –; hinc inquirendum inſuper eſt.

Quæſtiuncula tertiadecima. Utrum Reus ſic condemnatus in caſu propoſito comedere teneatur, & peccet non commedendo?

R. Poſtrema S. Thomæ verba videntur innuere, quod reipſa teneatur: & hanc eſſe Sancti ſui præceptoris mentem docet Cajetanus in Commentario laudato, qui hanc eandem ſententiam totis viribus confirmare conatus eſt in reſponſione *ad octavam dubitationem* inquiens – *Dicunt quidam, quod non tenetur comedere, ſed poteſt tamquam patienter ſufferens ſententiam, abſque cibo expectare mortem. Sed hoc non eſt verum: quia nec privata, nec publica auctoritate poteſt quis ſe ipſum licite occidere. Conſtat autem, quod nolle uti alimento habito, eſt occidere ſe ipſum non minus, quam ſe ipſum gladio tranſverberare; unde dicendum eſt, quod tenetur comedere, ut jus naturæ ſervet. Nec hoc eſt impedire executionem ſententiæ: tum quia non eſt damnatus ad hoc, ſcilicet ut ſe occidat non comedendo, ſed ad hoc, ut ſubtracta ſint ſibi alimenta, non a quibuſcumque, ſed a cuſtodibus, & hujuſmodi. Unde alii miniſtrantes tali damnato alimenta non peccant eadem ratione, qua poſſunt adjuvare ad fugam. In cujus ſignum laudabiliter a Maximo Valerio in libro 5. commemoratur Rues Athenienſis, quæ Cimova patrem ſuum lacte proprio pavit, ne inediæ moreretur pœna: quamvis nullus teneatur tali damnato miniſtrare alimenta tamquam in extrema neceſſitate conſtitu-*

*to*

Digitized by Google

*to: quia ſecundum juſtitiæ ordinem in illa conſtituitur neceſſitate. Et tum quia ſi ad ſe occidendum eſſet damnatus, ſententia contra jus naturale iniqua eſſet, & non ſervanda*—. Aliter tamen ſenſit Author in Angelica ver. *Fugere* num. 1. inquiens— *S. Thomas 2. 2. q. 69. dicit, quod, ſi quis eſſet damnatus, ut fame periret, poſſet cibum ſumere, immo videtur tenere, quod tenetur ſi poteſt ipſum ſumere. Similiter dic de fuga. Sed quod teneatur non credo, neque comedere ultra condemnationem, vel fugere; ſed poſſet patienter ferre pro peccati ſui ſatisfactione*—. Aliter quoque docuerunt alii, quos citat, & ſequitur Ferraris ver. *Reus* num. 11. Ratio eſt: quia Reus licite poteſt in ſe permittere excuſationem juſtæ ſententiæ. Et profecto, ſi Reo licet non fugere, tametſi ſciat mortem ſibi imminere, ad quam juſte fuit condemnatus, ſicuti dixi quæſtiuncula octava. Si ipſi itidem licet ſponte ſe offerre Judici puniendum, ut ibidem dixi cum Colleto, qui teſtatus eſt, S. Thomam in hoc ſe habere patronum. Quid ni etiam poterit licite ſe abſtinere a ſumendo cibo ipſi oblato, quamvis ex tali abſtinentia mortem ſecuturam eſſe prævideat? Non eſt hoc necare ſe ipſum, ſe ipſum occidere; ſed unice in ea circumſtantia non tueri vitam propriam amore juſtitiæ, ſtudio nempe ſatisfaciendi pro peccatis, & proximum ædificandi. Hæc tamen dicta ſint ſalvo meliori judicio.

Quæſtiuncula quartadecima. Utrum iis in caſibus, in quibus Reus poteſt fugere ſine peccato, poſſint etiam alii eidem conſulere fugam, eum adjuvare ſubminiſtrando inſtrumenta neceſſaria ad fugiendum, limam puta, malleum, funes, & alia ejuſmodi?

R. *Nullo jure cavetur* (ait Author in Angelica ver. *Fugere* num. 1.) *quod debeat expectare mortem, niſi violentia alicui fieret in fugiendo, quia tunc haberet injuſtum bellum. Idem dico de concordantibus cum eo, vel auxiliantibus: dummodo fiat ſine violentia alicujus, & animo compaſſionis, non animo fovendi tales in peccatis*—. Cajetanus in memorato Commentario *ad quintam quæſtionem* rem hanc adeo lucide exponit, nihil ut magis: *Mihi diſtinguendum occurrit, quod quidam homines ſunt veluti partes publicæ poteſtatis, ut cuſtodes, miniſtri, Officiales, Patres Reipublicæ, & hujuſmodi, quorum eſt favere, vel exercere publicam poteſtatem. Et his ratione ſtatus eorum, quia ſcilicet eis incumbit fovere publicam poteſtatem, illicitum eſt conſilium, vel auxilium fugæ præſtare. Eorum enim eſt damnatum, ſeu damnandum detinere; & velut proditores, & colluſores eſſent, partes decenti fovendo. Cæteri autem, quorum non intereſt publicam fovere poteſtatem, licite poſſunt cooperari ad fugam damnati. Et ratio eſt: quia regulariter nullus prohibetur a cooperatione actus alteri liciti, niſi per accidens: puta quia ſtatui, vel officio ſuo hoc repugnat. Apparet namque inductive in omnibus, quod ſi mihi licitum eſt emere, vendere, bellare, contrahere &c., quod dans mihi conſilium, auxilium, vel favorem, ad actum illum licite cooperatur, niſi ratione ſtatus, officii, vel hujuſmodi reddatur ſibi iſta cooperatio illicita, ut Cleri-*

*Clericis redditur illicitum cooperari ad cauſam ſanguinis , quamvis juſtam. Et in propoſito , Officialibus , qui tenentur ad cuſtodiam damnati , redditur illicitum cooperari quovis modo ad fugam . Et ſi opinio in præcedenti quæſtione de licita effractione carceris a damnato eſt vera , conſequens eſt , ut his , qui licite cooperantur ad fugam , liceat cooperari ad frangendum vincula , & carceres . Eadem ratione , ſubminiſtrando damnato incluſo limam , vel aliquod inſtrumentum , quo poſſit ſe abſolvere a vinculis , & carcere . Nec hinc accipias me dicere quod liceat aliis concurrere ad carcerem , & frangere illum ; hoc enim nec ſomniavi . Nam ſi non licet ire ad frangendum ſeram domus privatæ , multo minus domus publicæ . Multum enim refert , ab intus incluſo frangi ſeram carceris , & ab extra a liberis . Hoc eſt offendere publicam poteſtatem , cujus eſt carcer , ſicut frangere , vel aperire invito Domino domum privatam eſt offendere Dominum illius . Illud autem ad licitum fugam ſpectare videtur ; nec tales inventi punirentur , quia adjuvari erant ad fugam . ſed quia præſumeretur , quod contra publicam poteſtatem operarentur —.* Idem tuentur Cunilhati , Antoine , Ferraris , aliique quam plurimi tum Veteres , tum Recentiores . Immo Dicaſtillus lib. 2. tract. 1. diſt. 6. num. 88. cum aliis nonnullis arbitratur , licere proximis conſanguineis , Patri puta , conjugi , Fratri &c., Reum ipſum adjuvare in effractione carceris . Ratio ipſorum eſt : quia hi cenſentur una perſona cum Reo . Hæc omnia nihilominus mordicus inficiantur alii complures , Navarrus puta , Toletus , Soto , Valentia , quibus noviſſime acceſſit Colletus loco ſupra laudato *Quæres quarto* , ut nec velint , quod licite poſſit quis Reo conſulere ſimplicem fugam . Potiſſima eorum ratio hæc eſt , quia foret contra diſertam Superiorum voluntatem , & contra bonum publicum , quod poſtulat , ut publica cuſtodia firma ſit , ac tuta . Dubio procul & hæc ratio non eſt contemnenda . Videndum tamen ſupereſt , an publica poteſtas id expreſſe prohibuerit : & inſuper an velit , quod ad reorum cuſtodiam non ſolum invigilent Miniſtri ſtipendio conducti , ſed ad hoc etiam teneatur quilibet de Civitate . Non auderem iccirco cum Colleto primam ſententiam pronunciare abſolute falſam .

Quæſtiuncula quintadecima . An Reus juſte detentus , & condemnatus licite poſſit a cuſtodibus petere , ut ipſi fugam permittant , vel eoſdem ad id permittendum pecunia inducere ?

R. Permittere captivorum fugam peccatum eſt , & quidem lethale in cuſtodibus , quum hi ad hanc ipſam impediendam ſtipendio conducantur . Non ergo Reus eorum auxilio uti poteſt licite : quia hoc eſſet alios inducere ad peccandum , & eorum peccato cooperari . Si quis objiciat L. 1. ff. *de bonis eorum , qui ante ſententiam mortem ſibi conſciverunt — In capitalibus criminibus a Principibus decretum eſt , non nocere ei , qui adverſarium corrupit , ſed in his demum , quæ pœnam mortis continent : nam ignoſcendum cenſuerunt ei , qui ſanguinem ſuum qualiter qualiter redemptum voluit —.*

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo, ex hac lege unice in ferri, quod lege civili non puniuntur ſic operantes; non vero quod hoc lege divina non ſit vetitum --. *Accuſatùs de crimine* (ait Gloſſa), *ex quo imponitur pœna ſanguinis, ſi corrumpit accuſantem, non punitur propter hoc: nam unicuique licet redimere ſanguinem ſuum* --.

QUINTUM DUBIUM. Utrum raptores, deprædatores, qui viſibiliter aliis damnum inferunt, ſicuti ſunt incendiarii, piratæ, armigeri, & hujuſmodi, teneantur?

Reſpondeo. Licet rapina proprie committatur *in rebus* immobilibus, & deprædatio in mobilibus, & ſe moventibus ſecundum Joannem Andreæ, quem ſequitur Panormitanus in cap. 1. *de raptoribus*: quia tamen ut plurimum æquivoce ſumuntur, ſic ego æquivoce ſumendo raptores & deprædatores pro quibuſcumque damnum dantibus viſibiliter: dico quod tenentur ad reſtituendum quidquid tum in bello injuſto, tum aliter injuſte rapuerunt, combuſſerunt, depopulaverunt, deſtruxerunt, vel aliter damnificaverunt L. *In duobus* §. *Si quis juraverit* ff. *de jure jurando*. Hi ſunt deteriores furibus 14. q. 5. cap. *Pœnale*; & ideo magis puniuntur: nam manifeſti raptores excommunicantur ab illo Epiſcopo, in cujus Diœceſi rapinam fecerunt Extra *de raptoribus* cap. 1., & 6. q. 3. cap. *Placuit*: immo denegatur eis pœnitentia, niſi prius reſtituant, vel plenam dederint de reſtituendo ſecuritatem. Quod ſi bene valentes reſtituere noluerint, & uſque ad mortem pœnitentiam diſtulerint; quamvis, ſi non poſſunt tunc reſtituere, debeat eis dari, ſi petierint, & pœnitentia, & Sacramentum Corporis Chriſti, carebunt tamen Eccleſiaſtica ſepultura, niſi eorum parentes voluerint pro eis ſatisfacere, hoc eſt cum Clericis & ſolemnitate non ſepelientur, ſed in cœmeterio duntaxat ſine ſolemnitate ſepulturæ, & ſine Clericis. Poſtremo, ſi impœnitentes moriuntur, Sacramentis privantur, & ſepultura Eccleſiaſtica: & Clerici, qui fecerint contra prædicta

eos

eos ſepeliendo, deponendi ſunt ab Officio Clericali cap. *Super eo* Extra *de raptoribus*. Hæc faciunt contra eos Confeſſores, qui milites abſolvunt, & hujuſmodi raptores manifeſtos, antequam ſint excommunicati ab Epiſcopo, & ab ipſo moniti, ut reſtituant; ipſi enim mortaliter peccant, ſi non ſervant prædictam formam, & debent privari officio, & beneficio, dicto cap. *Super eo* §. ultimo. Concordat Petrus Caſuel titulo *de raptoribus*.

(85) Raptores teneri ad reſtitutionem & rei raptæ, & damni proximo illati, nemo eſt qui id ire poſſit inficias; raptor enim fur eſt, ut Inſtitut. *Vi bonorum raptorum* ſub ibitio — *Qui res alienas rapit, tenetur quidem etiam furti (quis enim magis alienam rem invito Domino contrectat, quam qui vi rapit? Ideoque recte dictum eſt, eum improbum furem eſſe). Sed tamen propriam actionem ejus delicti nomine Prætor introduxit, quæ appellatur Vi bonorum raptorum: & eſt intra annum quadrupli, poſt annum ſimpli* —. Dum igitur L. *In duobus* §. *Si quis juraverit* ff. *de jurejurando* legis — *Si quis juraverit, ſe non rapuiſſe, non debet adjuvari hoc jurejurando in actione furti, aut condictione: quia aliud eſt furtum feciſſe, quod vel clam fieri poteſt* —: id intellige juxta Gloſſæ animadverſionem, quæ eſt hujuſmodi — *Aliud eſt. Immo non aliud, ut Inſtitut. Vi bonorum raptorum in principio, quæ eſt contra. Sed expone hic, aliud eſt, ideſt eſſe poteſt* —.

Pœna raptorum, eorum ſcilicet, qui res rapiunt, de quibus unice in præſenti fit ſermo, duplex eſt: alia nempe per leges civiles iiſdem impoſita, & alia inflicta per leges canonicas. De prima ſcribit Aſteſanus Lib. 1. tit. 32. art. 2. ſub initio — *Sciendum, quod pœna raptoris rerum ſecundum leges eſt, quod infra annum punitur in quadruplum, re ipſa in quadruplo computata, poſt annum vero in ſimplum ff. VI BONORVM RAPTORVM* L. 1. *& 2. Et hoc ſi agatur contra eum civiliter, ideſt ad pœnam pecuniariam. Si autem criminaliter, ideſt ad pœnam corporis, tunc diſtinguitur inter vim privatam, ideſt ſine armis, & vim publicam, ideſt cum armis. Propter primam reus deponitur ab ordinatione rerum ſuarum, quia perdit factionem teſtamenti. & tertiam partem bonorum ſuorum. Propter ſecundam mittitur in exilium Inſtitut. DE PVBLICIS IVDICIIS* §. *ITEM LEX IVLIA. Unde verſus.*

*Vis privata reum deponit ab ordine rerum.*
*Sed deportatur, ſi vis armata probatur.*

Hæc de jure communi.

De ſecunda loquitur Author in præſentia, & quidem juxta leges a Summis Pontificibus, & Conciliis latas, quæ ſunt hujuſmodi.

*Placuit pro communi utilitate, & inſtante neceſſitate, ut nullus Epiſcoporum graviter ferat, ſi ejus parochianum pro deprædationis cauſa alter Epiſcopus excommunicaverit* — 6. q. 3. cap. 4.

*De illis autem, qui de loco ad locum iter faciunt, & ibi rapinas, & deprædationes faciunt, placuit, ut ab illius loci Prælato excommunicentur, nec ante ex Parochia illa exeant, quam digne, quæ perpetrarunt, emendent: quorum excommunicatio proprio Epiſcopo ſignificanda eſt, nec eos recipiat, antequam illuc redeant, ubi rapinam fecerint, & omnia plene emendent* —. Concilium Meldenſe Extra *de raptoribus* cap. 1.

*Statuimus, ut quicumque ex his qui violenter ſurrexerint in rapinam, ſive Eccleſiarum violationes, manifeſte fuerit deprehenſus, niſi prius ablata reſtituat, ſi poterit, vel emendandi firmam & plenam ſecuritatem fecerit, pœnitentiæ beneficium ei penitus denegetur. Si vero uſque ad obitum in contumacia ſua duraverit, & in extremis poſitus remedium pœnitentiæ humiliter poſtulaverit, ſi emendationem, vel emendandi ſecuritatem præſtiterit, ei pœnitentia, & ſepultura Eccleſiaſtica concedantur. Qui autem in ſanitate obſtinata mente non pœnituerit, vel emendaverit, & in morte ſecuritatem præſtare nequiverit, ſolemnitas pœnitentiæ parum prodeſſe videtur, ſicut credimus: ſed de peccato contrito viaticum non negetur; ita tamen ut nullus Clericorum ſepulturæ illius interſit, nec ejus eleemoſynam præſumat accipere. Quod ſi qui Præsbyterorum, vel Clericorum contra hoc in vita, vel in morte pœnitentias dare, aut ſepulturæ intereſſe, vel eorum eleemoſynas accipere attentaverint, ſeu hujuſmodi rapinæ participes inventi fuerint, Ordinis ſui damnum irrecuperabiliter patiantur, & Eccleſiaſtico beneficio careant* —. Eugenius III. Extra *de raptoribus* cap. *ſuper eo*, ſecundo nempe.

Decretalis iſthæc perſpicua certe eſt, nulla declaratione indigens. Non pigeat tamen nonnullas audire animadverſiones, quæ rem jam ſuapte natura perſpicuam magis magiſque illuſtrabunt.

Prima. Intelligi Decretalis debet de raptoribus manifeſtis; non autem de occultis. Id eruitur ex verbis ipſis ejuſdem Decretalis — *Manifeſte fuerit deprehenſus* —. Et iccirco jure optimo docet Author in Angelica ver. *Raptor* num. 2. — *Si vero non ſunt manifeſti, poterunt recipi ad Confeſſionem, ſicut alii peccatores ſecundum Abatem in dicto cap. SVPER EO.*

Secunda. Intelligi etiam debet de illis raptoribus, qui in anteceſſum fuerunt moniti, & noluerunt reſtituere. Ita ſcribit Hoſtienſis in Annotatione *de raptoribus*, quem ſequitur Author in Angelica ibidem ſubdens — *Et etiam licet eſſent manifeſti, ſi tamen moniti numquam fuerunt, ſecundum Hoſtienſem in dicto cap. SVPER EO, dummodo ſint diſpoſiti reſtituere, ut tenentur* —.

Tertia. Ait Summus Pontifex — *ſi poterit* —: & quidem appoſite — *Nam is nullam videtur actionem habere, cui propter inopiam adverſarii inanis actio eſt* — L. 6. ff. *de dolo malo*

Quar-

Quarta. De eo, qui bene valens pœnitere noluit, & reſtituere eum poſſet; pœnitet autem in morte, quamvis tunc propter inopiam non poſſit amplius reſtituere: dicit Pontifex — *ſolemnitas pœnitentiæ parum prodeſſe videtur, ſicut credimus* — Scilicet, quemadmodum monet Hoſtienſis ibidem, *quoad pœnam temporalem, quæ non remittitur, niſi per ſatisfactionem* —. Fuſius Gloſſa ſuper ver. *Parum prodeſſe* — Hoc quantum ad pœnam temporalem, quæ pro peccato debetur. Duplex enim pœna pro quolibet peccato debetur, æterna, & temporalis. Et hæc æterna ſola cordis contritione remittitur, *de pœnitentia* diſt. 1. in principio, & 26. q. 6. cap. *Cognovimus*. Et temporalis, quæ exteriori ſatisfactione remittitur: quæ ſatisfactio, ſi in hac vita non fuerit completa, in Purgatorio completur. Argu. 23. q. 5. cap. *Quid ergo*. Et ita ſolemnitas pœnitentiæ parum prodeſt quoad pœnam Purgatorii; valebit tamen quoad vitam æternam: ſi de peccato contritus fuerit — Hactenus Gloſſa.

Quinta. De hoc eodem raptore morti proximo ſubdit Summus Pontifex — *Sed de peccato contrito viaticum non negetur* —. Viatici nomine venit profecto Sacramentum Euchariſtiæ. Id tamen nolo intelligas ad excluſionem Sacramenti Pœnitentiæ, quod etiam ipſi, ſtatim atque contritus eſt, ſubminiſtrari debet, ſicuti docet S. Bernardinus ſerm. 36. art. 1. cap. 3. ſcribens — *Si reſtituere poſſet, & noluit ſatisfacere, & diſtulit pœnitentiam uſque ad mortem: ſi tunc minime ſatisfacere poteſt, ſi pœnitentiam, & viaticum petit, dabuntur ei* — Hoſtienſis item loco proxime memorato inquiens — *Et ideo, quia contritus, eſt, viaticum non negatur, per conſequens nec pœnitentia 26. q. 6. cap. SI QUIS DE CORPORE 50. diſt. cap. POENITENTES* —. Immo Author ipſe tum in hac reſponſione ſua, tum in Angelica ver. *Raptor* num. 2. — *Qui autem in ſanitate obſtinata mente non emendaverit, & in morte ſecuritatem præſtare non poterit, ſi de peccato contritus fuerit, viaticum non denegetur, & ſic nec confeſſio, & abſolutio* —.

Sexta. De hoc itidem raptore adjicit Summus Pontifex — *Ita tamen ut nullus Clericorum ſepulturæ illius interſit* —: ideſt *Eccleſiaſtica ſepultura carebit*, exponit Aſteſanus nuper citatus: ideſt *privabitur Eccleſiaſtica ſepultura*, ſcribit S. Bernardinus paullo antea memoratus: ideſt *ſepultura denegatur*, inquit Hoſtienſis, de quo ſupra. Clarius tamen Author hic — *Hoc eſt cum Clericis, & ſolemnitate non ſepelientur, ſed in cœmeterio duntaxat ſine ſolemnitate ſepulturæ, & ſine Clericis* —: quod jam expreſſerat Gloſſa ſuper ver. *Sepulturæ* — *Hoc referas ad ultimam partem capituli de illis, qui in morte pœnitent, ſed ſatisfacere non poſſunt. Iſtis ergo denegatur ſepultura, ideſt Clerici non debent intereſſe, ſed cœmeterium eis non denegatur* —.

Petes hic. Cur nam Summus Pontifex prudens judicavit, huic pœnitenti, quem cætero qui Sacramentorum voluit eſſe participem, honorem non permittere ſepulturæ? *Ad terrorem potius aliorum* (reſpondet Gloſſa ibidem) *ut alii, cum poſſunt, ſatisfaciant timore hujuſmodi pœnæ* —. *Hoc fit* (reſpon-

det Hoſtienſis) *ad terrorem, & propter inobedientiam, & contumaciam ſuam, in qua longo tempore fuit —. Et hoc ad terrorem aliorum* (reſpondet Aſteſanus) *vel ad confuſionem cognatorum, ut per hoc inducantur ad ſatisfaciendum —*: quoniam ſi hi velint ſatisfacere, tunc non eſt vetitum honorem ſepulturæ tribuere defuncto; ſubdit enim S. Bernardinus proxime citatus — *niſi hæredes, vel propinqui pro eo ſatisfacere velint —*.

Quid, ſi morti proximus promittat ſatisfacere, ſi convaleſcat, & ante ſatisfactionem decedat? *Non negabitur ſepultura* (reſpondet Hoſtienſis) *ſed ad ſatisfactionem hæredes compellentur, infra eo tit. cap. IN LITERIS*: quod eſt Alexandri III. — *In literis tuis continebatur, quod cum H. multis fuiſſet criminibus irretitus, qui Eccleſiarum incendium Diabolo inſtigante commiſerat, tandem in ægritudine conſtitutus accepta pœnitentia de commiſſis per manum Capellani ſui fuit a ſententia anathematis abſolutus, ſed mortem Eccleſiaſticam ſepulturam habere nequivit. Quapropter, ſi res ita ſe habet, mandamus, ut corpus ejuſdem appellatione ceſſante facias in cœmeterio ſepeliri, & hæredes ejus moneas, & compellas, ut his, quibus ille per incendium, vel alio modo damna contra juſtitiam irrogaverat, juxta facultates ſuas condigne ſatisfaciant, ut ſic a peccato valeat liberari —*.

Author hic ſubdit, quod ſi raptores moriuntur impœnitentes, Sacramentis priventur, & Eccleſiaſtica ſepultura. Idem adſeruit S. Bernardinus — *Si vero impœnitens ipſe decedat, & viaticum ei non dabitur, & privabitur Eccleſiaſtica ſepultura —*. Id expreſſim non conſtituit Eugenius III. in cap. *Super eo* paullo ante recitato. Enaſcitur tamen ſponte veluti ſua: quoniam ſi vi Eugenianæ Decretalis raptori bene valenti denegandum eſt beneficium pœnitentiæ, niſi prius ablata reſtituat, vel præſtet ſecuritatem: ſi virtute ejuſdem denegari ipſi debet Eccleſiaſtica ſepultura, tametſi morti proximus pœniteat, ſemel atque tunc factus eſt impotens ad reſtituendum: potiori jure hæc omnia erunt eidem deneganda, ſi ad mortem reducatur impœnitens, & impœnitens moriatur. Non eſt hoc ſingulare in raptoribus, ſed omnibus convenit peccatoribus manifeſtis; non enim debemus ſanctum dare canibus, nec cum honoribus Eccleſiaſticis eum ſepelire, qui nulla exhibet pœnitentiæ ſigna, qui monita Eccleſiæ contemnit, contemnit Eccleſiæ Sacramenta — *Quibus peccata dimiſſa non ſunt, a ſacris locis poſt mortem adjuvari non poſſunt: quia quos peccata graviora deprimunt, ſi in ſacris locis ſe ſepeliri faciunt, reſtat, ut de ſua præſumptione judicentur: quia eos ſacra loca non liberant, ſed culpa temeritatis accuſat* 13. q. 2. cap. 16., & ibidem cap. 31. *Fures, & latrones, ſi in furando, aut deprædando occidantur, viſum eſt pro eis non orandum —*, & alibi pluries.

Sex-

S Extus Titulus qui eſt de bello, continet decem quæſtiones, ſeu Dubia.

Primum Dubium. Utrum omne bellum ſit juſtum?

Reſpondeo ſecundum Monaldum tit. *Bellum primo*, quod non; immo omne bellum eſt injuſtum, ſi deficiant hæc quinque, vel aliquod ipſorum. Primo, perſona ſæcularis: quoniam perſona Eccleſiaſtica bellare non poteſt, nec ſanguinem effundere 23. q. 8. cap. *Clerici*, & cap. *His*, & ibi q. 1. cap. *Quid culpatur*, niſi hoc fiat ob neceſſitatem inevitabilem. Poteſt tamen Prælatus Eccleſiaſticus ſecundum Innocentium indicere bellum 15. q. 6. cap. *Auctoritatem*; ſed pugnare ipſe non poteſt; etſi poſſit clamare: pugnate, & capite, non tamen dicere, occidite, 23. q. 3. cap. *Maximianus*, & q. 8. cap. *Hortatu*. Secundo, cauſa neceſſaria, et licita: quia ſine cauſa licita non licet. Arguitur *de reſtitutione ſpoliatorum* Extra cap. *Olim* 1. Cauſa autem neceſſaria, et licita eſt defenſio patriæ, juſtitia, obedientia, et caritas, vel rerum repetitio, dicto cap. *Quid culpatur*, et cap. *Noli* ibidem, et eadem Cauſa q. 2. cap. 1., et q. 3. cap. *Fortitudo*, et q. 8. cap. *Si nulla*, item ff. *ad legem Aquiliam* L. *Scientiam*, et defenſio ſui cum moderamine inculpatæ tutelæ dicto cap. *Olim* 1. *de reſtitutione ſpoliatorum*, ubi de hoc Gloſſa in fine. Tertio, animus bonus: quia ſi fiat animo vindictæ, odii, et hujuſmodi, non licet dicto cap. *Quid culpatur*, et in cap. *Militare* 23. q. 1. peccatum eſt militare propter prædam. Quarto, auctoritas Superioris dicto cap. *Quid culpatur*, et q. 2. cap. 1., et L. unica C. *ut armorum uſus inſcio Principe interdictus ſit*. Idem ſentit Hoſtienſis in Summa tit. *de pœnitentiis* ubi *quid de*

*rapi-*

*rapina* dicens, quod poteſt fieri auctoritate Eccleſiæ, præcipue quando pugnatur pro fide. Concordat Alexander de Alexandria. Similiter Legatus Papæ, et Imperatoris, itemque ipſorum Officiales poſſunt dare auctoritatem bellandi contra illos, qui ſe rebellarunt contra Eccleſiam, vel Imperium, ut notat Bartulus in L. *Quid hoſtes* ff. *de captivis*, et Inſtitut. *de actionibus* §. *Rurſus* in Gloſsa. Item ſecundum Doctores ſufficit auctoritas inferiorum dignitatum ad defenſionem ſibi ſubditorum, quando per Judicem ſe juvare non poſsunt. Qui autem ſuperiorem non habent, puta Rex, vel Imperator, auctoritate propria poſsunt bellare tam contra ſubditos, quam contra extraneos: dummodo cauſa ſit juſta: et inſuper ſubditis ſuis dare licentiam bellandi tam contra Principem extraneum, quam contra ſubditos ipſius. Quinto, res rapta: quia ſcilicet convenit, et conſtat, quod datum ſit aliquod damnum, vel aliquid ablatum, vel quod aliter debeat ſatisfacere ille, contra quem bellum eſt movendum. Arguitur 23. q. 2. cap. 1., et q. 3. cap. *Fortitudo*, et q. 8. cap. *Si nulla*. His omnibus concordat Petrus Caſuel tit. *Bellum*.

(86) Bellum perbene definitur — *Conflictus multorum contra multos extraneos, vi & armis, Principum juſſu peractus* —, per hanc enim finitionem peroptime diſtinguitur a duello, a rixa, & a ſeditione. A duello quidem, quod eſt pugna ſingularis unius contra alterum ex condicto inita. A rixa item, quæ eſt pugna paucorum contra paucos. A ſeditione demum, quæ eſt pugna multitudinis contra multitudinem ejuſdem Civitatis aut regni, invito Principe. Bellum aliud eſt defenſivum, offenſivum alterum. Defenſivum dicitur, quando injuria vi illata vi repellitur. Dicitur autem offenſivum, quando ob injuriam illatam quis alterum adgreditur juris vindicandi gratia. Primum cuilibet licet etiam privata auctoritate: quoniam L. *Scientiam* §. *Qui cum aliter ff. ad legem Aquiliam* — *Qui, cum aliter tueri ſe non poſſunt, damni culpam dederint, innoxii ſunt; vim enim vi defendere omnes leges, omniaque jura permittunt* —, dummodo tamen fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. Secundum nemini licet, niſi publica interveniat auctoritas. De hoc ſecundo præcipue ſermo eſt in præſenti, ſuper quo turpiter erravere Manichæi contendentes, quodcumque bellum eſſe illicitum:

qunm

quum notum omnibus ſit bellum geſſiſſe Abraham, & benedictionibus fuiſſe repletum: quum Deus ipſe præceperit Iſraelitis, ut bellum inirent adverſus Chananæos, Amalecitas, Madianitas, aliaſque gentes: quum demum Sanctus Joannes Baptiſta Lucæ 3. v. 14. interrogatus a militibus -- *Quid faciemus & nos?*, non eis injunxerit ſubtractionem a militia, ſed duntaxat reſponderit -- *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, & contenti eſtote ſtipendiis veſtris* --. Bellum igitur offenſivum juſtum quandoque eſt, & licitum, quandoque injuſtum, & illicitum. Juſtum ſic definitur ab Auguſtino cap. *Dominus noſter* Cauſa 23. q. 2. -- *Juſta autem bella definiri ſolent, quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua gens, vel Civitas, quæ bello petenda eſt, vel vindicare neglexerit quod a ſuis improbe factum eſt, vel reddere quod per injurias ablatum eſt* --. Definitur autem injuſtum ab eodem cap. *Quid culpatur in bello* ibidem q. 1. -- *Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus, atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſimilia, hæc ſunt, quæ in bellis jure culpantur* --. Brevior eſt belli juſti definitio, quam ibidem lego q. 2. cap. 1., ſed opportuna -- *Juſtum eſt bellum, quod ex edicto geritur de rebus repetendis, aut propulſandorum hoſtium cauſa* --.

Belli juſti conditiones quod reſpicit, alii plures, alii pauciores adſignant; omnes tamen idem omnino Conſtituunt: quoniam qui pauciores enumerant non inficiantur ceteras, quæ ab aliis Doctoribus adſignantur, ſed iiſdem unice ſuperſedent. Tres adſignavit S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 1. in corpore ſcribens -- *Dicendum, quod ad hoc, quod aliquod bellum ſit juſtum tria requiruntur. Primo quidem authoritas Principis, cujus mandato bellum eſt gerendum. Non enim pertinet ad perſonam privatam bellum movere, quia poteſt jus ſuum in judicio ſuperioris proſequi. Similiter etiam convocare multitudinem, quod in bellis oportet fieri, non pertinet ad privatam perſonam. Cum autem cura Reipublicæ commiſſa ſit Principibus, ad eos pertinet Rempublicam civitatis, vel regni, ſeu Provinciæ ſibi ſubditæ tueri. Et ſicut licite defendunt eam materiali gladio contra interiores quidem perturbatores, dum malefactores puniunt ſecundum illud Apoſtoli ad Rom. 13.* -- *NON SINE CAUSA GLADIUM PORTAT; MINISTER ENIM DEI EST, VINDEX IN IRAM EI, QUI MALE AGIT* --; *ita etiam gladio bellico ad eos pertinet Rempublicam tueri ab exterioribus hoſtibus. Unde & Principibus dicitur Pſal* 81. *ERIPITE PAUPEREM, ET EGENUM DE MANU PECCATORIS LIBERATE. Unde Auguſtinus dicit* (*Lib.* 22. *cap.* 74.) *contra Fauſtum* --. *ORDO NATURALIS MORTALIUM PACI ACCOMODATUS HOC POSCIT, UT SUSCIPIENDI BELLI AUTHORITAS, ATQUE CONSILIUM PENES PRINCIPES SIT. Secundo requiritur cauſa juſta, ut ſcilicet illi, qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur. Unde Auguſtinus dicit in lib.* 83. *quæſt.* (*q.* 10. *ſuper Joſue*) *JUSTA BELLA SOLENT DIFFINIRI, QUÆ ULCISCUNTUR INJURIAS,*

*RIAS, SI GENS, VEL CIVITAS PLECTENDA EST, QVÆ VEL VINDICARE NEGLEXERIT, QVOD A SVIS IMPROBE FACTVM EST, VEL REDDERE QVOD PER INJVRIAM ABLATVM EST. Tertio requiritur, ut ſit intentio bellantium recta, qua ſcilicet intenditur, vel ut bonum promoveatur, vel ut malum vitetur. Unde Auguſtinus in lib. de verbis Domini — APVD VEROS DEI CVLTORES ETIAM ILLA BELLA PECCATA NON SVNT, QVÆ NON CVPIDITATE, AVT CRVDELITATE, SED PACIS STVDIO GERVNTVR, VT MALI COERCEANTVR, ET BONI SVBLEVENTVR —. Poteſt autem contingere, ut ſi ſit legitima authoritas indicentis bellum, & cauſa juſta, nihilominus propter pravam intentionem bellum reddatur illicitum —.* Quinque, ut audiſti, enumeravit Author, in hoc ſecutus Hoſtienſem, qui *de treuga & pace* num. 3. *Quid ſit juſtum bellum* eaſdem protulit, ut oſtenderet, quomodo, & quando bellum cenſeri debeat injuſtum. Prima igitur conditio belli juſti per Authorem, & Hoſtienſem eſt, quod perſona belligerans ſit ſecularis: quia cap. *Clerici* in textu laudato præcepit Concilium Toletanum quartum — *Clerici, qui in quacumque ſeditione arma volentes ſumpſerint, aut ſumpſerunt, reperti, amiſſo Ordinis ſui gradu in Monaſterium pœnitentiæ tradantur*: & cap. *His* itidem laudato Concilium Toletanum undecimum — *His, a quibus Domini Sacramenta tractanda ſunt, judicium ſanguinis agitare non licet* —. Super hac re videre poteris S. Thomam 2. 2. q. 40. art. 2. per totum. Egregie Aſteſanus noſter lib. 2. tit. 64. art. 7. *Circa tertium*, in quo inquirebat, utrum Clericis, & Epiſcopis liceat facere bella? — Reſpondeo quod non, ſcilicet bella illa, quæ ad ſanguinis effuſionem ordinantur; quia immo potius debent eſſe parati proprium ſanguinem effundere pro Chriſto, ut opere imitentur quod gerunt miniſterio, ſcilicet altaris, in quo ſub Sacramento repræſentatur Chriſti paſſio. Et ideo ſtatutum eſt, ut effundentes ſanguinem etiam ſine peccato ſint irregulares. Nulli autem alicui officio deputato licet illud, per quod redditur indignus tali officio. Hinc dicitur Petro in perſona Epiſcoporum, & Clericorum Matth. 24. *Mitte gladium tuum in vaginam*: ac ſi aperte dicat: hactenus tibi, tuiſque prædeceſſoribus inimicos Dei corporali gladio licuit perſequi; de cetero autem in exemplum patientiæ gladium in vaginam converte 23. q. 8. cap. 1., & cap. *Clerici*, & cap. ſequenti. Poſſunt tamen Prælati, & Clerici ex authoritate ſuperioris belli intereſſe, non ut manu propria pugnent, ſed ut juſte pugnantibus ſpiritualiter ſubveniant ſuis exhortationibus, abſolutionibus, & hujuſmodi ſpiritualibus ſubventionibus. Poſſunt etiam diſponere, & inducere alios ad bellandum juſta bella; non enim interdicitur eis bellare, quia ſit peccatum, ſed quia non convenit eis tale exercitium 23. q. 8. cap. *Hortatu*. In perſona vero propria debent uti armis ſpiritualibus ſecundum illud 2. Corinth. 10. — *Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia* —. Quæ quidem ſunt ſalubres admonitiones, devotæ orationes, contra pertinaces ſen-

tentia

tentia excommunicationis —. Hactenus Aſteſanus . Subdit Author — *Niſi hoc fiat ob neceſſitatem inevitabilem* : & hoc idem repetit in Angelica ver. *Bellum* num. 4. Huc confert quod adjicit Aſteſanus — *De hac materia Hoſtienſis ..... poſitis ſuper hoc diverſorum ſententiis , in fine ſententiam ſuam ponens dicit , quod Clerici habentes juriſdictionem temporalem indiſtincte , poſſunt arma ſumere pro ſua , & ſuorum defenſione , quia hæc omnia jura permittunt , & probatur* 23. *q.* 1. *cap. NOLI , & q. finali cap. QUICUMQUE* 2. §. *HIS ITA uſque ad* §. *IN REGISTRO . Si vero temporalem juriſdictionem non habent , tene quod notavit Joannes , & alii ſupra dicti , ſcilicet quod talibus non licet ſumere arma in propria perſona niſi ad defenſionem ſui , vel niſi hortando , ut* 23. *q. finali* §. *ECCE . Hæc Hoſtienſis* —. Vere igitur ſcripſit Daniel Concina lib. 1. in Decal. Differt. 8. cap. 3. q. 10. inquirens : An liceat nec ne Religioſis neceſſitate urgente bellare ? Reſpondeo : Concluſio adfirmans communiſſima , & vera . Urgente quippe neceſſitate defendendi patriam , Eccleſiæ , religioniſque jura , naturali lege , & pietate in patriam , ac religionem aſtringimur arma capere . Nec Eccleſiæ canones id vetant quod lex præcipit naturalis . Hinc jure præeſſe Epiſcopi valent ſuis Clericis , & Religioſis in bello adverſus Turcas , Infideles , Hæreticoſque , dum religionem , ſe , ſuos , bonumque Eccleſiæ commune defendunt . Idque laudabiliter plures ſanctiſſimos præſtitiſſe Epiſcopos hiſtoriæ narrant ; noſtriſque temporibus in Dalmatia in bello Venetorum contra Turcas ſub Crucis vexillo ſtrenuus Epiſcopus militum claſſi prætuit — Hæc ille . *Nec obſtat* , egregie Cajetanus Comment. in art. 2. q. 40. 2. 2. Divi Thomæ ſub initio , *quod* ( occidendo ) *fiant , & remaneant irregulares : quia irregularitas ſine peccato , & cum merito æternæ vitæ incurri poteſt* —.

Secunda juſti belli conditio eſt cauſa neceſſaria , & licita : quoniam , ad rem Nicolaus Papa 23. q. 8. cap. 15. — *Si nulla neceſſitas urget , non ſolum in quadrageſimali tempore , ſed omni eſt a præliis abſtinendum . Si autem inevitabilis urget importunitas , nec quadrageſimali tempore pro defenſione tam ſua , quam patriæ , ſeu legum paternarum , eſt bellorum procul dubio præparationi parcendum* —. Varias juſti belli cauſas enumerat Natalis Alexander lib. 4. de Decalogo cap. 7. art. 2. propoſitione 3. ſcribens — Juſti igitur belli cauſæ ſunt I. Recuperatio terrarum , bonorum , aut jurium , quæ Principi , aut Reipublicæ debentur . 2. Ultio gravis ignominiæ Legatis illatæ . 3. Si Princeps alter hoſtibus ipſius auxilium præbeat . 4. Si impios , ſeditioſos , vel perduelles contra bonum publicum tueatur . 5. Violatio pacti , ac fœderis . 6. Negatio juſti tributi . 7. Subditorum ſeditio , vel rebellio . 8. Defenſio fœderatorum , qui injuſte opprimuntur , vel cauſam juſtam tuentur . 9. Innoxii tranſitus negatio , de qua S. Auguſtinus q. 44. in Numeros — *Notandum* , inquit , *quemadmodum juſta bella gerebantur ; innoxius enim tranſitus negabatur , qui jure humanæ ſocietatis æquiſſimo patere debebat* —. Non eſt autem cauſa legitima inferendi belli amplificatio imperii , aut gloriæ cupidi-

piditas. Unde S. Auguſtinus lib. 4. de Civitate Dei cap. 6. ait — *Inferre bella finitimis, & inde in cetera procedere, ac populos ſibi non moleſtos ſola Regni cupiditate conterere, & ſubdere, quid aliud quam grande latrocinium nominandum eſt* —. Hæc ille.

Tertia belli juſti conditio eſt animus bonus textu expreſſo 23. q. 1. cap. 5. — *Militare non eſt delictum, ſed propter prædam militare peccatum eſt: nec Rempublicam gerere crimino ſum eſt, ſed ideo gerere Rempublicam, ut rem familiarem potius augeat, videtur eſſe damnabile. Propterea enim providentia quadam militantibus ſunt ſtipendia conſtituta, ne dum ſumptus quæritur, prædo graſſetur* —. Jure iccirco Auguſtinus ibidem cap. *Noli* — *Pacem habere debet voluntas, bellum neceſſitas, ut liberet Deus a neceſſitate, & conſervet in pace. Non enim pax quæritur, ut bellum excitetur: ſed bellum geritur, ut pax acquiratur* —: & Tullius ipſe tametſi fictorum numinum cultui addictus lib. 3. de Officiis — *Bellum ita ſuſcipiatur, ut nihil aliud niſi pax quæſita videatur* —.

Quarta juſti belli conditio eſt auctoritas Principis textu aperto in legibus ab Authore productis. Prima, ſcilicet — *Ordo naturalis mortalium* &c., jam recitata fuit paullo antea cum S. Thoma. Secunda, nempe — *Juſtum eſt bellum* &c., & ipſa jam ſupra fuit allata. Tertiam igitur ex jure civili depromptam unice exhibeo latam ab Imperatoribus Valentino, & Valente, quæ eſt hujuſmodi — *Nulli prorſus nobis inſciis, & inconſultis, quorumlibet armorum movendorum copia tribuatur* —. Subdit Author, quod bellum fieri poteſt auctoritate Eccleſiæ; novimus enim Nicolaum Summum Pontificem ita ſcripſiſſe cap. *Auctoritatem* 15. q. 6. — *Quin etiam præfato fratri noſtro, filiiſque Trevirenſis Eccleſiæ, illiuſque defenſoribus, hæc in mandatis damus, ut ſpirituali ſimul & materiali gladio tamdiu malignos illos, eorumque fautores inſequantur, quouſque cum integritate poſſeſſiones, vel quæcumque res Eccleſiaſticæ hoc facto, vel quocumque pacto diſtractæ, ſeu direptæ ſunt, revocentur* —: & Auguſtinum 23. q. 3. cap. 2. — *Maximianus Epiſcopus Vagienſis auxilium petiit ab Imperatore Chriſtiano contra hoſtes Eccleſiæ, non tam ſui ulciſcendi cauſa, quam tuendæ Eccleſiæ ſibi creditæ. Quod ſi prætermiſiſſet, non ejus fuiſſet laudanda patientia, ſed negligentia merito culpanda* —. Quinta demum conditio belli juſti eſt res rapta: quia, ut ſupra diximus, bellum geritur vel pro repetendis rebus, vel propulſandorum hoſtium cauſa. Rei raptæ nomine intellige non ſolum ſubſtantias temporales, poſſeſſiones puta, Urbes, Pagos, ſed ſubjectionem pariter, honorem, & reverentiam, quum bellum licite geratur etiam pro ulciſcendis injuriis, ſicuti ſuperius adnotavimus cum Auguſtino cap. *Dominus noſter*.

Inquires: Ad quem ſpectet examinare, an belli cauſa juſta ſit, & neceſſaria nec ne? Egregie reſpondet Natalis Alexander loco proxime laudato inquiens — Cauſam autem belli juſtam exiſtimare nequaquam ſatis eſt; ſed Princeps cum Conſilio ſuo diligenter examinare tenetur, an juſta ſit.

Si

Si dubia ſit cauſæ æquitas, bellum inferre non licet: quia in dubiis tutior pars eligenda eſt, in dubiis præſertim talis momenti, ubi multorum millium hominum vita in diſcrimen adducitur. Si de cauſa poſſeſſionis agitur, juſque petitoris ſit dubium, poſſeſſor cedere non tenetur, nec illi bellum inferri juſte poteſt, ut poſſeſſione ſua deturbetur: quia in dubiis melior eſt conditio poſſidentis, qui in cauſa dubia numquam ſpoliaretur a Judice. In hac autem hypotheſi eligere debent arbitros, qui jus utriuſque examinent. Qui in arbitros non ſuſpectos compromittere noluerit, bello peti poteſt, cum alteri Principi faciat injuriam. Milites vero juſtitiam belli examinare non tenentur, nec id ad ipſos pertinet, ſed parere debent Principi, & Ducibus ab eo conſtitutis, etiamſi dubia illis ſit belli juſtitia, ut S. Auguſtinus docet lib. 22. contra Fauſtum cap. 75. — *Cum vir juſtus*, inquit, *ſi forte ſub Rege homine etiam ſacrilego militet, recte poſſit illo jubente bellare civicæ pacis ordinem ſervans: cui quod jubetur, vel non eſſe contra Dei præceptum certum eſt, vel utrum ſit, certum non eſt, itaut fortaſſe reum Regem faciat iniquitas imperandi, innocentem autem militem oſtendat ordo ſerviendi* —. (Hæc Auguſtini verba in Canonem relata ſunt 23. q. 1. cap. *Quid culpatur*) Id autem intellige de militibus ſubditis Principi, qui bellum indicit. Qui enim ſubditi non ſunt, nomen dare militiæ non poſſunt, quamdiu de juſtitia belli dubitant, cum nulla ipſis incumbat ſerviendi neceſſitas —. Hæc ille. Adde quod ſcripſit Colletus in ſuis Inſtitut. de Decalogo cap. 5. art. 2. Sectione 2. puncto 1. concluſ. 2. *Quod de militibus ſubditis, idem dicendum de iis, qui ante bellum ſtipendiarii erant. Habet enim Princeps jus certum in eorum operas, quo in caſu dubii privari non poteſt* —. Adde quod ſcripſit Concina loco paullo antea laudato q. 7. — Milites alienigenæ, antequam militiæ exteri Regis nomen dent, belli juſtitiam perſpectam habere debent. Iſti enim, cum liberi ſint, nullo obediendi prætextu excuſari valent: neque executores ſententiæ Regis dicendi ſunt; ſed potius ipſi ſententiam ferunt, bellumque indicunt, cum partes Regis bellatoris ſponte ſuſcipiunt, ac jura favere Regi, ſub cujus vexillo arma ſtringunt, declarant. Rei igitur evadunt omnium malorum, quæ bellum conſequuntur, niſi de juſtitia belli certi ſint. Quam ſententiam docet Cajetanus 2. 2. q. 169. art. 2. ad 4., Sanchez, Ledeſma, Molina, Salmanticenſes tract. 21. cap. 8. punct. 3. num. 30. — Hactenus ille.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum ſcienter movens bellum injuſtum teneatur de omni damno?

Reſpondeo ſecundum Monaldum tit. *Reſtitutio quinto*. quod, quamvis bellum ſit injuſtum ex cauſa, perſona, animo, & auctoritate, ſi tamen habetur quinta conditio, ſci-

licet res rapta, quia nempe factum eſt pro repetendis rebus, in conſcientia non tenetur reſtituere: niſi exceſſerit, vel eum, contra quem pugnavit, plus damnificaverit quam debebat habere, & ipſe fuerat damnificatus.

(87) Generatim loquendo veriſſimum eſt, quod docuit S. Antoninus part. 3. tit. 4. cap. 2. §. 1. — *Item Dominus, vel quicumque alius injuſtum bellum movens: vel ita juvans, quod ſine eo non fieret: vel faciens contra aliquos, ultra peccatum mortale grave, quod commiſit, tenetur de omnibus damnis datis his, contra quos bellum movit. Tenetur etiam ſuis propriis hominibus de damnis, quæ receperunt ab adverſariis, qui juſte repugnabant, ſi juverunt eum bona fide, aut ſi fuerunt inducti ejus conſilio, timore, vel coactione, vel de ſe non erant facturi. Non autem tenetur, ſi mala fide juviſſent, ſcientes eum habere injuſtum bellum, & voluntarie. Et ſimiliter tenentur omnes, qui fuerunt principales in tali bello: ita quod ſine eis non fieret. Alii vero tenentur de damno, quod ipſi intulerunt opere, vel verbo* —. Idem docet Author in Angelica ver. *Bellum* num. 11.. Veritas hæc innumeris probari poſſet legibus tum civilibus, tum canonicis; ſed quum res ſit ultro perſpicua, unum profero celeberrimum caput *Si culpa tua* Extra *de injuriis & damno dato*, quod ante oculos verſari perpetuo debet, dum ſermo fit de reſtitutionibus — *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem forte tuliſti ..... jure ſuper his ſatisfacere te oportet* —. Secus conſtituit Author in caſu ſingulari, de quo in præſenti: & quidem jure, quoniam ratione rei raptæ, aut damni paſſi, vel accipit quod ſuum eſt, vel adverſario ſuo par pari refert. Peccat tamen is, quicumque ipſe ſit: & eo magis, ſi adverſarium ſuum poſſet in jure compellere, & hac via repetere quod ſibi fuit abreptum. Adjicit Roſella ver. *Bellum* num. 3. — *Et hoc eſt dicendum ſecundum judicium fori pœnitentialis, ubi habet locum compenſatio etiam non liquidi ad liquidum, quæ non habet locum in foro contentioſo. Unde ſi quis in foro pœnitentiali confiteatur ſe per furtum habuiſſe decem de rebus illius, qui manifeſte abſtulerat ei undecim, facere conſuevit, & bene, Judex pœnitentiarius compenſationem: nec injunget ei reſtitutionem illorum decem, niſi adverſarius ejus poſtmodum reſtituat ei undecim ablata. Injunget tamen ei pœnitentiam de furto commiſſo* —.

Tertium Dubium. Utrum ſubditus, qui pugnat ad imperium Domini ſui, & dubitat, utrum bellum ſit juſtum nec ne, teneatur, ſi poſtea cognoſcat bellum fuiſſe injuſtum?

Reſpon-

Reſpondeo ſecundum Monaldum tit. *Reſtitutio ſeptimo*, quod non, dicto cap. *Quid culpatur*. Hoc verum credo ſecundum Hoſtienſem, ſi quæſivit quantum potuit, & conſuluit peritiores, & ſemper remanſit dubius. Alioquin non excuſatur, ſi hoc fecit propter timorem amittendi aliquid cap. *Ita ne* 32. q. 5. Concordat Petrus Caſuel tit. 17. lib. 1., & Ricardus in 4. diſt. 15. art. 5. q. 4. Similiter non excuſantur in dubio amici, ſtipendiarii, & quicumque alii, qui non ſunt ſubditi ſecundum Monaldum ubi ſupra: quia bonum obedientiæ non excuſat eos; & ideo tenentur, ſi poſtea ſciunt fuiſſe injuſtum; non enim debebant ſe diſcrimini committere in præjudicium alterius 14. q. 5. cap. *Denique*. Concordat Rodonenſis.

(88) Eadem prorſus habent Hoſtienſis *de pænitentiis & remiſſionibus* ubi *quid de rapina*, Roſella ver. *Bellum* num. 4. aliique. Placet tamen ſummopere quod Author adjecit in Angelica ver. *Bellum* num. 9., videlicet militem ſubditum non peccare quidem in caſu, de quo agitur, ut ſupra dixi cum Natali Alexandro, & Sancto Auguſtino: nec item teneri de damno, quod eſt veluti neceſſarium belli conſectarium; ſed teneri in conſcientia de acquiſitis in bello, etiamſi ea conſumpſerit, quia a conſcientia dubia præſcriptio non poteſt incipere. Judicium hoc Authoris tanti fecit Joannes Pontaſius, ut ver. *Bellum* Caſu 7. quaſi ipſo ſolo difficultatem ſolverit ſibi ipſi propoſitam. Pontaſii caſum, & reſponſum audiamus — Herennius miles, ſub Principe libenti animo militiam profeſſus in bello, de cujus juſtitia firma ipſi erat dubitatio, cum Urbis vi captæ direptioni adfuiſſet, ex ea mille nummorum utilitatem percepit. Pace compoſita, triennio, quatrienniove poſt bellum, hoc pro certo fuiſſe injuſtum agnovit. An teneatur ad reſtitutionem mille nummorum? Reſponſum. Parem, quam ſibi proponit Angelus de Clavaſio (ver. *Bellum* num. 9.) difficultatem ſolvit dicens, talem hominem ſub conſcientia teneri ad reſtitutionem eorum omnium, quæ ea ratione lucratus eſt, licet eſſent abſumpta: *quia*, inquit, *numquam habuit bonam fidem, ex quo ſemper dubius permanſit* —. Eandem ſententiam tuetur Sylveſter his verbis (ver. *Bellum* num. 10.) — *Cum autem ſciverit, aut probabiliter crediderit bellum injuſtum, reſtituere tenetur omnia, quæ habet ..... & etiam quæ ſunt conſumpta, ſi ſemper fuit dubius: quia non fuit poſſeſſor bonæ fidei* —. Nec juvat hic dicere, Herennium tribus annis integris mille nummos penes ſe habuiſſe, quos proinde uſucapione acquiſivit. Nam ex jure canonico, ut alibi probavimus, per uſucapionem

nem non acquiritur rei proprietas, niſi legitimo ad præſcribendum tempore bona fide fuerit poſſeſſa. Atqui licet abſolute loquendo Herennius non fuerit poſſeſſor malæ fidei, non fuit tamen bonæ fidei, durante videlicet ipſius dubio probabili ac firmo, ut ſupponitur — *Quia jura requirunt*, inquit alibi idem Clavaſius de præſcriptione loquens (num. 4.), *nedum quis non ſit in mala fide, ſed quod ſit in bona fide; & ideo licet non ſit in mala fide, non eſt tamen in bona. Et hæc opinio*, ſubdit, *in foro animæ eſt verior quoad uſucapionem rei, ſed reſpectu fructuum lucrandorum ſufficit malam opinionem abeſſe. Quamvis Panormitanus, & communis opinio, & Gloſſa*, pergit idem Author...... *teneat, quod dubitatio etiam firma non impedit præſcriptionem etiam quoad rem..... Sed hoc verum quoad forum contentioſum tenetur, non quoad conſcientiam* —. Hactenus ille.

Appoſite poſtmodum Author diſtinguit milites ſubditos a non ſubditis; hi enim ad obediendum non tenentur ſicut illi; & iccirco eos reſpicit, condemnatque caput *Denique*, quod eſt Ambroſii, hic laudatum — *Si non poteſt ſubveniri alteri, niſi alter lædatur, commodius eſt neutrum juvari, quam gravari alterum* —. Addit Roſella num. 10. — *Nec eſt ſimile de Advocato, quem excuſat bona fides, quamdiu credit juſtam eſſe cauſam: quia eſt illi Judex ſuperior, qui cauſam examinat, & de allegatis judicat. In bello vero viribus corporalibus vincitur, & non per rationem dijudicatur* —.

QUARTUM DUBIUM. Utrum bella indicta a Dominis Chriſtianis, vel a Comitibus, qui propria temeritate violenter auferunt, quod alter diu poſſedit juſte, & pacifice, ſint juſta, vel non?

Reſpondent Antonius de Butris in cap. *Quod ſuper his* Extra *de voto*, & Hoſtienſis, quod non: nec poſſunt retinere quæ ſic rapiunt; immo tenentur de damnis datis, nec aliter poſſunt abſolvi. Concordat Joannes de Platea Inſtitut. *Quibus modis jus patriæ poteſtatis ſolvitur* §. *Si ab hoſtibus*; qui etiam dicit, loquendo de iſtis, qui ſe invicem expellunt, quod in ipſis non habent locum ſtatuta de juſto bello L. *Si quis ingenuam* §. *In civilibus* ff. *de captivis*. Et addit Dominus Antonius, quod non videtur, qualiter in Italia præſcribi poſſint talia cap. finali Extra *de præſcriptionibus*: & quod timendum eſt, ne catervatim ſecum ducant ad inferos innumerabiles populos.

(89) Nec

(89) Nec umbram difficultatis video in hoc caſu . Deſideratur in eo juſta cauſa bellandi , & eſt manifeſta rapina . Moventes igitur talia injuſta bella iis omnibus obnoxii ſunt , quibus ſubjiciuntur injuſte bellantes & manifeſti raptores . Addit Author cum Antonio de Butris , quod in his vix aut ne vix quidem haberi poteſt præſcriptio . Ratio eſt : quia rapientes certe non præſcribunt , quum hi ſint poſſeſſores malæ fidei : & eorum filii , nepotes , & pronepotes facile poſſunt cognoſcere , quod ipſorum parentes , avi , atavi , vel tritavi nulla juſta legitima cauſa ducti ſunt ad bellandum , & ad aliena diripienda . Adjicit idem Dominus Antonius apud Authorem in Angelica ver. *Bellum* num. 17. – *quod non videt , quomodo juſte teneant : nec qualiter Confeſſores eorum peccata quamquam notoria palpent : nec qualiter ab eiſdem eleemoſynas , aut poſſeſſiones accipiant : aut eos abſolvant* –.

Quintum Dubium . Utrum Comites , & hujuſmodi , qui ſine Principis auctoritate ſumunt arma contra Vaſsallos proprios , aut faciunt ſumi , eoſque exhæredant , teneantur reſtituere ?

Reſpondeo ſecundum Hoſtienſem tit. *de treuga & pace* , quod ſic : niſi ſervent ordinem juris , qui eſt , ut , ſi Vaſsallus velit ſtare juri , audiatur ; ſi vero ſit contumax , impugnetur : quod fieri poteſt auctoritate juris , vel Judice præcipiente L. *Qui reſtituere* ff. *de rei vindicatione* . Alias movens arma incurrit pœnam , cum dicatur violentiam inferre L. *Exſtat* ff. *quod metus cauſa* . Conſulit idem Hoſtienſis , quod auctoritate Principis , ſub quo eſt , arma ſumat : vel faciat quod Epiſcopus monitione præmiſsa ipſum excommunicet , ſi noluerit obedire : & tunc ſi per annum contumax extiterit in excommunicatione , Dioceſanus res ſuas , & ipſum exponet .

(90) Et in hoc caſu deſideratur una ex iis conditionibus , quæ requiruntur ab bellum juſtum , auctoritas ſcilicet Principis . Bellum igitur injuſtum , & Comites ſic bellantes veri fures ſunt , & manifeſti raptores . Audiamus quæſo Hoſtienſem *De treuga & pace* num. 3. in fine rem hanc fuſe exponentem – Quid ergo de Comitibus noſtris , qui tota die ſine auctoritate Principis arma ſumunt , & ſumi faciunt , & Vaſſallos proprios exhæredant ? Non dubito , quin ad reſtitutionem teneantur , niſi ſervent juris ordinem , qui eſt , ut , ſi Vaſſallus velit ſtare juri , audiatur , ſi contumax

eſt

Digitized by Google

eſt impugnetur, quod poteſt fieri auctoritate juris, vel Judice præcipiente ff. *de rei vindicatione* L. *Qui reſtituere*, C. *de Epiſcopis & Clericis* L. *Si quis in hoc genus*, C. *de his qui latrones occultaverint* L. ult. §. 1.: alias ſi obediens ſit, tunc non eſt utendum gladio C. *de officio civilium Judicum* L. 1., C. *de obligationibus & actionibus* L. *Negantes*, C. *de gladiatoribus* L. unica lib. 11.; nulli enim licet arma ſumere ad alium impugnandum ſine auctoritate juris, vel Judicis; alias pœnam habet, cum intelligatur violentia inferri ff. *quod metus cauſa* L. *Exſtat*, ff. *de uſufructu* L. *Æquiſſimum*, ff. *de jure priva.* L. *Creditores*, ff. *de origine juris* L. 2. §. *poſt originem*, ff. *de religioſis, & ſumptibus funerum* L. *Oſſa* reſponſ. 1., ff. *de publicanis & vectigalibus* L. *Locatio* §. *Quod illicite*, C. *de Judæis* L. *Nullus*, & in quæſtionibus Feudorum *de pace tenenda* lib. 2. tit. 27. per totum. Eſt tamen contra Ar. in Conſtitutionibus Feudorum *de inveſtitura quam Titius accepit* cap. unico in fine (Lib. 2. tit. 13), & *quæ fuit prima cauſa beneficii amittendi* §. *Illud tamen* (ibi tit. 24.); ſed illud intelligi poteſt, quando auctoritas Judicis habetur. Si ergo Dominus, qui immediate ſubeſt Principi, de Vaſſallo proprio conqueratur, & velit tutiorem viam eligere quoad animam, conſulo, quod non dicat jus ſibi, ſed vel auctoritate Principis gladium aſſumat, vel ad Diœceſanum Vaſſalli recurrat, ad cujus monitionem ſi obedire noluerit, excommunicabitur ratione peccati, infra *de judiciis* cap. *Novit* ſupra tit. 1. *ſcilicet*, infra *de cenſibus* cap. *Omnis anima*. Et ſi per annum excommunicatus ſteterit, ex tunc Diœceſanus ipſum, & res ejus exponet. Arg. 11. q. 3. cap. *Rurſus* & cap. *Quiſquis*, infra *de judiciis* cap. *Cum nos ab homine* §. ultimo, & infra *de exceſſibus Prælatorum* cap. *Tanta* in fine: & in hoc caſu videtur loqui infra *de homicidio* cap. *Poſtulaſti*. Hoc eſt, quod forte innuitur, quando dicitur, quod unus gladius altero ſemper eget 10. diſt. cap. *Si in adjutorium* & cap. ſeq., 96. diſt. cap. *Cum ad verum* & cap. *Duo ſunt*: & in Lombardia, ut Epiſcopi & Comites invicem ſibi auxilium dent, in rubro & nigro –. Hactenus Hoſtienſis, cujus placitum ex integro obſignat Aſteſanus lib. 1. tit. 29. art. 1. ubi *quid ergo de Comitibus*. Docte igitur Cajetanus Comment. in art. 1. q. 40. 2. 2. S. Thomæ -- Ad confirmationem dicitur, quod Principes ſunt in duplici differentia. Quidam enim ſunt ſimpliciter capita, & Domini perfecte gerentes vices Reipublicæ: quidam vero ſunt ſecundum quid capita, & Domini imperfecte Reipublicæ vices gerentes. Primi habent authoritatem vindicativam intus, & extra: ſecundi autem habent tantum, quantum eis tributum eſt. In hoc ſecundo ordine ſunt Comites, Marchiones, & Duces, qui ſunt partes unius regni; Rex ſiquidem eſt caput, & Dominus non ſolum Regni, ſed cujuslibet Reipublicæ ipſius. Dicti autem Domini ſunt capita, & Domini ſecundum quid. In cujus ſignum omnes Reſpublicæ unius regni communicant in uno tribunali regio, & omnes ſtipendia regia ſolvunt. Sunt etiam in hoc eodem ordine Communitates omnes, quæ ſubſunt alteri tamquam Regi, quales videntur eſſe om-

nes,

nes, quæ ſubſunt Romanæ Eccleſiæ. In primo autem ordine ſunt communiter Reges omnes, & Communitates ſimpliciter liberæ. Et de iis quidem Communitatibus planum eſt: quia quælibet eſt perfecta Reſpublica. De Regibus quoque eadem ratione patet: quia ſcilicet regnum perfectam Rempublicam ſignificat, & Rex vices illius perfecte gerit, licet alicubi ſtatuta ſint talia, ut Reges fere ſolo nomine ſint Reges. Sed nos de Rege, qui eſt ſimpliciter Dominus, loquimur. Ex hac autem aſſignata differentia inter Principes patet, quod illi Domini, qui ob imperfectionem dominii habent ſuperiorem, non poſſunt indicere bellum abſque ſui ſuperioris authoritate. Facerent ſiquidem injuriam, uſurpantes ſibi ſuperiorum authoritatem, præferentes capita ſimpliciter, & Dominos ſimpliciter Reipublicæ, cum non ſint. Illi autem Domini, qui perfecte capita, & Domini ſunt, licet habeant ſuperiorem, puta Imperatorem, nullam faciunt ei injuriam, bellum propria authoritate indicendo: quia utuntur jure ſuo. Sunt enim ſub eo, ſicut una perfecta cauſa univerſalis ſub alia univerſaliori, & non ſicut imperfecta ſub perfecta, ſicuti illi de ſecundo ordine —. Hæc ille.

Sextum Dubium. Utrum, quando Principes, qui inter ſe diu habuerunt bellum, in quo hinc inde multa damna data ſunt, faciunt pacem ad invicem, & ſibi invicem remittunt talia damna, hæc remiſſio valeat etiam quoad homines utriuſque partis?

Reſpondeo ſecundum Hoſtienſem *de pœnitentiis*, quod non, niſi ipſi conſentiant dictæ remiſſioni. Arguitur L. 1. C. *de tranſactionibus* & L. *Tranſactionis placitum* & L. *Præſes*, & cap. finali Extra *de majoritate & obedientia*, & L. 3. & L. *Qui cum tutoribus* & L. *Nulli* ff. *de tranſactionibus*, & L. *Si unus* §. *Pacta*, & L. *Si convenerit* ff. *de pactis*. Quoniam quomodo poſſum remittere jus hominis mei, cum non poſſim ab eo ſine rapina tantundem exigere? Quod intelligo, niſi quando Princeps pro meliori eligit potius componere de hujuſmodi damnis, quam bellare. Nam tunc homines ſui tenentur id ratum habere: quia utiliter geſſit negotium eorum ſecundum Monaldum tit. *Reſtitutio quinto*, cum quo concordat Panormitanus in cap. *In noſtra* Extra *de injuriis*. Arguitur L. finali C. *ſi contra jus*, vel

*vel utilitatem publicam*, & in cap. *Quæ in Eccleſiarum* Extra *de Conſtitutionibus*.

(91) Hunc eundem caſum proponit Author in Angelica ver. *Bellum* num. 14., & inibi vult diſtinguendos eſſe eos Principes, qui bella gerunt injuſta, ab iis, qui arma ſumunt juſta de cauſa. Eadem diſtinctione utuntur Roſella ver. item *Bellum* num. 21., Nicolaus de Auximo in Supplemento ver. *Bellum primo*, & Aſteſanus lib. 1. tit. 32. art. 6. ubi *quid ſi duo nobiles* –. Hujus poſtremi, cum quo ceteri conveniunt, verba audire non pigeat – Quid ſi duo nobiles componant ſuper guerra ſua. Numquid poſſunt componere, vel tranſigere ſuper damnis datis hominibus ſuis, nulla reſtitutione facta illis? Reſpondet Rodonenſis, quod ſic, ſi fiat hoc de conſenſu damnificatorum. Alias ille, qui bellum movit injuſte, non poteſt per ſuam compoſitionem præjudicare hominibus ſuis, quin ipſe de proprio teneatur eis ſatisfacere de damnis ſuis: niſi & ipſi pariter cum eo fuerint in culpa, ut dictum eſt. In quo caſu, etſi non teneatur eis in aliquo in foro contentioſo, pro eo quod participarunt ei in crimine ſcienter; in foro tamen pœnitentiali, ſi hoc fecerunt ad ſuam perſuaſionem, aliter non facturi, tenetur. Qui autem habuit juſtum bellum, non debet cum adverſario componere cum præjudicio hominum ſuorum; ſed vel ipſe debet eis reddere damna ipſis illata, vel procurare, quod ab adverſario reddantur. Hoc tamen intellige de illis damnis, quæ paſſi ſunt in incendiis, & rapinis rerum ſuarum. De expenſis autem, quæ fecerunt ad exercitum veniendo, vel ibi morando, ſatis ſolent Domini componere, vel diſſimulare propria auctoritate. Quod etiam de privatis damnis concedi poteſt, ſi ipſi Domini viderint ex cauſa probabili ea potius remittenda eſſe, quam commodo pacis carere, & pericula bellorum incurrere. Et cum in hoc caſu Domini gerant utiliter negotium ſubditorum, taliter componendo, ſubditi debent ratum habere. Sed ſi ab initio contradicant, ne compoſitio fiat niſi refuſis ſibi damnis: ſi ex juſta cauſa Domini viderint expedire, poſſunt a bellando deſiſtere, licet forte non poſſit damna illata quitare: quia ſicut penes Principes eſt auctoritas bellum movendi, ita & auctoritas deſiſtendi. Hæc Rodonenſis. Prædictis concordat Hoſtienſis dicens, quod ſi inter duos milites, vel Principes fuerit guerra injuſta, & hinc inde damna multa illata, & poſtea pax inter eos ſit facta, & damna hinc inde data remiſſa, non videtur hæc remiſſio ad homines utriuſque partis extendenda, niſi de conſenſu eorundem ſit facta. Arg. C. *de tranſactionibus* L. 1., & Extra *de majoritate & obedientia* cap. finali: vel niſi forſan aliter pax haberi non poſſit. Ibi quidem utiliter pactis geritur negotium utriuſque partis; & ſic intelligi poteſt ff. *de pactis* L. *Conventionum*. Aliter non poſſum jus remittere hominis mei, cum nec poſſim ab eo tantundem extorquere ſine rapina – Hactenus Aſteſanus.

Pla-

Placet hæc omnia nonnullis legibus communire. Quod accedente ſubditorum conſenſu poſſit Princeps ſuper illatis damnis tranſigere, atque componere, inferri poteſt ex eo quod L. *In re mandata* C. *Mandati — Suæ quidem quiſque rei moderator, atque arbiter* — eſt. Quod compoſitio fieri nequeat ipſis invitis, probatur ex L. 1. C. *de tranſactionibus — Neque pactio, neque tranſactio cum quibuſdam ex curatoribus, ſive tutoribus facta, auxilio ceteris eſt in his, quæ ſeparatim, communiterve geſſerunt, vel gerere debuerunt* —: & L. 7. eod. tit. -- *Tranſactionis placitum ab eo interpoſitum, cui cauſæ actionem, non deciſionem litis mandaſti, nihil petitioni tuæ derogavit* —: quia, ut opportune L. 27. §. 4. ff. *de pactis — Ante omnia enim animadvertendum eſt, ne conventio in alia re facta, aut cum alia perſona, in alia re, aliave perſona noceat* —.

Quod iiſdem ab initio contradicentibus componi nequeat, niſi reſtitutis prius damnis, evincitur ex eo quod gerens negotium alterius eo invito non poteſt aliquid petere, niſi pro bene geſtis ante prohibitionem C. *de negotiis geſtis* L. finali — *Si quis, nolente, & ſpecialiter prohibente Domino rerum, adminiſtrationi earum ſe ſe immiſcuit: apud magnos Authores dubitatur, ſi pro expenſis, quæ circa res factæ ſunt, talis negotiorum geſtorum habeat aliquam adverſus Dominum actionem. Quam quibuſdam pollicentibus directam, vel utilem: aliis negantibus (in quibus & Salvius Julianus fuit) hoc decidentes ſancimus, ſi contradixerit Dominus, & eum res ſuas adminiſtrare prohibuerit, ſecundum Juliani ſententiam nullam eſſe adverſus eum (vel directam, vel utilem) contrariam actionem, ſcilicet poſt denunciationem, quam ei Dominus tranſmiſerit, non concedens ei res ejus attingere, licet res bene ab eo geſtæ ſint .... Super anterioribus autem, ſi utiliter factæ ſunt, habere eum actionem contra Dominum concedimus ſua natura currentem* —.

Quod demum, dum bonum commune id poſtulat, vel ad bellum evitandum, vel ad evitandam belli jam incepti perſecutionem, poſſit Princeps, etiam ſubditis invitis, immo contradicentibus, componere ſuper damnis iiſdem illatis, vel ea in totum remittere: ex eo arguitur, quod, ubi publica cauſa, & utilitas id exigit, poteſt Princeps rem, quæ ad hunc ſpectat, alteri concedere. Jure igitur optimo Gloſſa ſuper L. finali C. *Si contra jus vel utilitatem publicam. Si vero contra jus humanum, ſcilicet contra jus naturale, vel gentium, non valet: ut ſi petam, quod res alterius mihi detur, nam dominia rerum ſunt de Jure gentium, ut ff. DE JUSTITIA ET JURE L. EX HOC: & tunc non valet, cum ſint immutabilia, ut Inſtitut. DE JURE NATURALI §. penultimo. Fallit tamen in variis caſibus ..... Item ratione publicæ utilitatis, ut ff. DE RELIGIOSIS ET SUMPTIBUS FUNERUM L. SI QUIS SEPULCRUM circa principium* —. Ratio eſt, quia, ſicuti ſcribit Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. *de ſecundo* ſub initio — *Tranſlatio dominii auctoritate legis juſtæ, juſta eſt .... quia ſi lex juſta potuit juſte determinare prima dominia, & non minor eſt auctoritas legis, vel Principis ....*



Digitized by Google

*poſt diviſionem dominiorum quam ante. Ergo propter eandem cauſam, & eundem finem poteſt juſte transferri dominium, poſtquam fuerat alicui appropriatum* —. Perſpicuum hujuſce rei exemplum nobis ſuppeditat præſcriptio, ſeu uſucapio, quæ Principum auctoritate fuit inducta, & definiri ſolet — Acquiſitio dominii, & peremptio juris alieni, ob continuationem poſſeſſionis bona fide tempore a lege præſtituto —.

Utrum autem Communitas poſſit ſicut Principes, dubitant Doctores, & ſunt opiniones. Sed credo ſecundum Panormitanum ubì ſupra, quod ex quo uſurpant ſibi hodie jura Principis, nam faciunt ſtatuta aliis præjudicativa, nec permittunt diſputare de validitate eorum, quod ſic, præſertim in foro conſcientiæ. Et nota hic ſecundum Panormitanum ubi ſupra, & pro Regula tenendum eſt, quod nomine damnorum non veniunt expenſæ, licet expenſæ inutiliter factæ ſint damnum largo modo: quia damnum ſtricto modo eſt diminutio patrimonii per alium facta L. 3. ff. *de damno infecto*. Et ideo appellatione damni non veniunt expenſæ factæ propria voluntate etiam coacta, et hoc quando ſumus in ſtatutis alteri præjudicativis: quia verba in his debent ſtricte, et in propria ſignificatione capi. Ob hoc licet remittant ſibi damna, non liberantur illi, qui injuſte fuerunt cauſa expenſarum; immo tenentur, niſi expreſſe conſtet, quod etiam expenſas voluerint comprehendere.

(92) Sermo in præſenti non eſt de Communitatibus ſimpliciter liberis, de quibus ſupra cum Cajetano Annotatione 90. Quum hæ ſint perfectæ Reſpublicæ, gaudent ipſæ eo omni jure, quod Principibus conceditur, & Regibus. Et iccirco ſi Reges mutuo poſſunt componere, & jura privatorum cedere iſtis invitis, dum bonum commune, & publicum id poſtulat, dum pax aliter non poteſt haberi, ſicuti oſtendi: idem pariter efficere poterunt Communitates ſimpliciter liberæ. Sermo igitur unice inſtituitur de illis Communitatibus, quæ ſubduntur alteri tamquam Principi, & Regi. Hæ profecto bellum offenſivum indicere nequeunt non accedente Principis auctoritate, uti ſuperius demonſtravi: & ſi inconſulto Principe mutuo bellarent, eorum pugna dicenda potius eſſet ſeditio, quam bellum. Ponatur nihilominus, quod hujuſmodi Communitates arma ſumpſerint, vel quod invi-

invicem diſputent non ſine gravibus ipſarum impenſis. Inquiritur ergo: utrum poſſint invicem tranſigere, & componere, cum aliquo privatorum detrimento, dum ita bonum commune poſtulat, & publica utilitas? Hunc caſum ſingularem exhibet Author in Angelica ver. *Reſtitutio ultimo* num. 4., & reſpondet affirmative inquiens – *Quia cum cauſa etiam poteſt, ut notat idem Innocentius in cap. QUÆ IN ECCLESIARUM Extra DE CONSTITUTIONIBUS, & Gloſſa in L. finali C. SI CONTRA JUS, VEL UTILITATEM PUBLICAM: ubi tenet, quod publica utilitas ſit licita cauſa, ut tollatur quod alteri debetur etiam de jure naturali. Quod eſt notandum ſingulariter: quia facit ad cognoſcendum, quando Papa poteſt diſpenſare ſuper certis, & quando Domini, vel Communitates, qui habuerunt bellum inter ſe, poſſunt componere ſuper damnis datis* –. Et reipſa cum bonum publicum præferri debeat privato, ſicuti jura omnia clamant, viri privati, qui in hiſce caſibus id ægre ferrent, eſſent irrationabiliter inviti. Ad rem iccirco Roſella ver. *Bellum* num. 21. – *Idem dicendum in aliis Dominis inferioribus, maxime in his, qui præſcripſerunt jura imperii, ut poſſint in prædicto caſu componere, ſubditis invitis, propter bonum ipſorum ſubditorum, & pacem hominum, & eorum contradictio videtur irrationabilis. Hoc intellige, ubi ipſi Domini prius feciſſent quantum in eis fuiſſet, ut reſarcirentur damna data: tamen propter malitiam adverſariorum ad hoc reducere non valent. Et ſi ad evitandum bella, & ſcandala componunt cum adverſariis etiam cum damno temporali ſuorum ſubditorum, videntur commendandi* –. Conſulerem nihilominus tum Principibus, tum Communitatibus id ob bonum publicum agentibus, quod ipſimet privatorum, & ſubditorum damna ſaltem ex aliqua parte paullatim compenſarent, ſi id fieri ab ipſis poſſet ſine detrimento publico, quemadmodum fieri plerumque poſſe a Principibus manifeſta res eſt. Demus, quod ad hoc non teneantur ex juſtitia: præſertim quum, ſi ita non componerent, ſubditi ipſi gravioribus damnis redderentur obnoxii. Charitas tamen expoſcere videtur, ut, dum fieri alio modo poteſt, aliquantulum ſubleventur.

Septimum Dubium. Utrum juſte pugnans, qui dat damnum Vaſſallis illius, contra quem pugnat, teneatur?

Reſpondeo ſecundum Hoſtienſem, quod non, ſive talia, quæ auferunt, vel in quibus dant damnum, ſint Vaſſallorum, ſive aliorum quorumcumque, qui magis verentes Principem quam Deum ſequuntur Dominum ſuum in bello injuſto contra illud, quod legitur 11. q. 3. cap. *Julianus*, et cap. *Si Dominus*. Alios autem, qui non præſtant auxilium,

xilium , conſilium , nec favorem , non credo puniendos : quia pœna non debet egredi ſuos auctores L. *Sancimus* C. *de pœnis* cum ſuis Concordantiis , et cap. *Quæſivit* Extra *de his quæ fiunt a majori parte Capituli* , et 56. diſt. cap. *Satis perverſum* et 21. q. 4. cap. 1. , et Extra *de Conſtitutionibus* cap. *Cognoſcentes* . Et ideo , ſi damnificant eos , tenentur ad reſtitutionem . Concordat Petrus Caſuel tit. 17. lib. 1.

(93) Quod in bello injuſto ſubditi non debeant obedire Principi , invicte probant duo Capita ab Authore producta , *Si Dominus* nempe , & *Julianus* . Ea igitur habeto — *Si Dominus ea jubet , quæ non ſunt adverſa Scripturis ſanctis , ſubjiciatur ſervus Domino . Si vero contraria præcipit , magis obediat ſpiritus , quam corporis Domino . Si bonum eſt , quod præcipit Imperator , & Præſes , jubentis obſequere voluntati : ſi vero malum . reſponde ei illud de Actibus Apoſtolorum — OBEDIRE OPORTET DEO MAGIS QVAM HOMINIBVS — . Hoc ipſum & de ſervis intelligamus apud Dominos , & de uxoribus apud viros , & de filiis apud parentes : quod in illis tantum debeant Dominis , viris , parentibus eſſe ſubjecti , quæ contra Dei mandata non veniunt* — . En caput *Julianus* — *Julianus Imperator , quamvis eſſet apoſtata , habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites ; quibus cum dicebat , producite aciem pro defenſione Reipublicæ , obediebant ei . Cum autem diceret eis , producite arma in Chriſtianos , tunc cognoſcebant Imperatorem Cœli* — . Simile eſt quod legimus ibidem cap. *Imperatores* §. *Julianus* — *Julianus extitit infidelis Imperator . Nonne extitit apoſtata , iniquus , idololatra ? Milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli . Vbi veniebatur ad cauſam Chriſti , non agnoſcebant niſi illum , qui in Cœlo erat . Quando volebat , ut idola colerent , ut thurificarent , præponebant illi Deum . Quando autem dicebat , producite aciem , ite contra illam gentem , ſtatim obtemperabant . Diſtinguebant Dominum æternum a Domino temporali : & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali* — .

His igitur, qui in bello injuſto Principem bellantem adjuvant , quicumque ii ſint , ſi damnum inferatur , non eſt hoc reſtituendum : quia moraliter cenſentur una perſona cum Principe ; & iccirco jure optimo Juſtinianus Inſtitut. *de rerum diviſione* §. 17. — *Item ea , quæ ex hoſtibus capimus , jure gentium ſtatim noſtra fiunt* — . & S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 8. *ad primum . Dicendum , quod circa prædam diſtinguendum eſt . Quia ſi illi , qui deprædantur hoſtes , habeant bellum juſtum , ea , quæ per violentiam in bello acquirunt , eorum efficiuntur : & hoc non habet rationem rapinæ , unde nec ad reſtitutionem tenentur . Quamvis poſſint in acceptione prædæ juſtum bellum habentes*

*bentes*

*bentes peccare per cupiditatem ex prava intentione, ſi ſcilicet non propter juſtitiam, ſed propter prædam principaliter pugnent. Dicit enim Auguſtinus in libro de verbis Domini, quod propter prædam militare peccatum eſt. Si vero illi, qui prædam accipiunt, habeant bellum injuſtum, rapinam committunt, & ad reſtitutionem tenentur.*

Sed quoniam in terris Principis inimici, & injuſte bellantis, reperiuntur complures, qui eidem auxilium non præbent, nec conſilium, nec favorem: quum hi, bellum quod reſpicit, moraliter non cenſeantur una perſona cum Principe, merito docet Author hos non poſſe gravari, & reſtituendum eſſe damnum, quod iiſdem infertur. Definitum id habemus ab Alex.III. Extra *de treuga & pace* cap. 2. in hæc verba – *Innovamus, ut Presbyteri, Monachi, Converſi, Peregrini, Mercatores, Ruſtici euntes, vel redeuntes, vel in agricultura exiſtentes, & animalia, quibus arant, & ſemina portant ad agrum, congrua ſecuritate lætentur* –. Optima eſt ratio, quam profert Natalis Alexander lib.4. de Decalogo cap.9. art.3. Regula 19.: *quia æquitati naturali contrarium eſt alium pro alio in perſona prægravari* –. Excipit Author in Angelica ver. *Bellum* num. 13., niſi Princeps injuſte bellans rebus eorum juvaretur, aut perſonis – *Verum credo, niſi Dominus eorum directe, vel indirecte ex perſonis, vel rebus eorum juvaretur* –. VVillelmus quidem oppoſitum ſenſit ſuper hac re; ſed Ricardus in ſententiam Authoris noſtri conceſſit. Id omne accipe a S. Antonino part.3. tit.4. §.1. in fine – *Similiter etiam ſubditi injuſte bellantis, ſi in tali bello non præſtent Domini auxilium, conſilium, vel favorem, non ſunt ſpoliandi, vel in aliquo puniendi, etiamſi Dominus prædictorum in dicto bello uteretur bonis eorum eis ablatis. Guilielmus. Richardus in 4. circa hoc ſic dicit. Illi, qui in guerris ſcienter inferunt damnum innocentibus, tenentur illis ad reſtitutionem, non obſtante conſuetudine contraria. Illi autem in guerris innocentes non ſunt: qui habenti bellum injuſtum favent directe, vel indirecte de perſ nis vel rebus* –. Idem docet Natalis Alexander loco proxime laudato ſcribens – *A rapinæ vero labe immunes ſunt milites, qui in bello juſto Principis, aut Ducis mandato ſpoliant innocentes hoſtilis Reipublicæ iis rebus, quibus hoſtes uterentur adverſus eos, qui juſtum bellum gerunt: verbi gratia armis, navibus, equis, eorumque pabulo, commeatu; & ideo pagos, oppida, domos incendunt, agros populantur* –.

Quid juris, ſi hi ruſtici, alioqui innocentes, hoſtiles actus exerceant? Raptores ipſi ſunt, ſi id faciant etiam in bello juſto ſine Principis auctoritate, & ad reſtitutionem tenentur. Egregie quapropter idem Natalis Alexander ibidem – *Rapinæ rei ſunt milites, qui in bello etiam juſto prædas agunt, domos incendunt, agros populantur abſque juſſu Principis, ſive Ducis. Alioquin privata auctoritate bellum gererent, & hoſtiles actus exercerent. Multo magis rapinæ rei ſunt ruſtici, qui hæc attentant, cum ipſi militiæ non ſint inſcripti. Si tamen ruſtici hoſtilium partium noſtros ruſticos hoſtilem in modum perſequantur, & ſpolient: licitum videtur noſtris, qui aliter ſatisfactionem obtinere*

*nere non poſſunt, excurrere in agros hoſtiles, eorumque incolas ſpoliare uſque ad damnorum, aut injuriarum compenſationem. Bello namque fervente parte utraque conſenſum ſui Principis habere præſumitur ad ſic repetendum ſua, quæ aliter vindicari, & recuperari non poſſunt. Quamobrem jus Repræſaliarum introductum eſt, quæ tunc ſolum juſtæ, ac licitæ ſunt, cum auctoritate Principis ob cauſam juſtam, rectaque intentione exercentur, ut colligitur ex Canone DOMINUS Cauſa 23. q. 2.—.*

Eſſet ne juſtum bellum, ſi Princeps Chriſtianus ipſum indiceret adverſus infideles ad eorum terras occupandas? Rem hanc graviſſimam ita perſpicue declaravit Cajetanus Comment. ſuper art. 8. q. 66. 2. 2. Divi Thomæ *Circa primum*, nihil ut magis. Parcas quæſo Lector, ſi auctoritatem ſolito longiorem exhibeo. Quo longior ipſa eſt, eo etiam eſt excellentior— Sciendum eſt, quod infideles tripliciter ſe habent ad Chriſtianos Principes. Quidam enim ſunt ſubditi de facto & de jure Chriſtianis, ut Judæi, Hæretici, & Mauri, qui ſunt in terris Chriſtianorum: & hi ſunt privati, ut Hæretici, vel rebus, vel ſervis, & mulieribus &c. juxta ſacros Canones, ut patet in titulis de Judæis, & Hæreticis, & in Decretis diſt. 54. Nec ſolum Eccleſia, ſed Principes, quibus hi temporaliter ſubſunt, poſſunt leges condere contra iſtos in favorem nominis Chriſtiani, ſicut poſſunt pro aliis piis cauſis. Quidam vero ſunt ſubditi de jure, & non de facto Principibus Chriſtianis, ut Infideles occupantes terras Chriſtianorum. Hi namque ſi eorum Principes Chriſtiani, aut ſui hæredes vivunt, illis de jure ſubſunt, in quorum ſunt dominiis. Et ſi nullus ſupereſt hæres, ſubdendi ſunt de jure Eccleſiæ Romanæ alicui alteri chriſtiano ab Apoſtolica Sede, cujus intereſt in hoc caſu providere de Principe chriſtiano in favorem fidei. Et hi non ſolum ſunt infideles, ſed hoſtes chriſtianorum. Et ſi de rebus iſtorum aliquid lege ſancitum eſt a prædictis, executioni mandandum eſt publica auctoritate, non privatis rapinis, aut furtis. Verum tamen eſt, quod, quoad bellum inferendum iſtis, quilibet chriſtianus Princeps habens auctoritatem indicendi bellum pro Republica propria poteſt ex communi voto, quamvis tacito, chriſtiani populi, prædictis inferre bellum, & licite poſſidere, quæ obtinebit, ſi nullus ſupereſt hæres chriſtianus. Si enim ſupereſſet, deberent ſua ſibi reſtitui. Manifeſtat autem commune chriſtianorum votum celebrata ſemper ſolemnitas in Romana, quæ communis eſt, Eccleſia in novis victoriis Principum chriſtianorum quorumcumque bellantium adverſus Mahumetanos. Quidam autem infideles nec de jure, nec de facto ſubſunt ſecundum temporalem juriſdictionem Principibus chriſtianis: ut ſi inveniuntur Pagani, qui numquam imperio Romano ſubditi fuerunt, & terras inhabitantes, in quibus chriſtianum numquam fuit nomen. Horum namque Domini, quamvis infideles, legitimi Domini ſunt, ſive regali, ſive politico regimine gubernent, nec ſunt propter infidelitatem a dominio ſuorum privati, cum dominium ſit ex jure poſitivo, & infidelitas ex divino jure, quod

Digitized by Google

quod non tollit jus poſitivum, ut ſuperius in quæſtione decima habitum eſt. Et de his nullam ſcio legem quoad temporalia. Contra hos nullus Rex nullus Imperator, nec Eccleſia Romana poteſt movere bellum ad occupandas terras eorum, aut ſubjiciendum eos temporaliter: quia nulla ſubeſt cauſa juſti belli, cum Jeſus Chriſtus Rex Regum, cui data eſt omnis poteſtas in Cœlo, & in terra, miſerit ad capiendam poſſeſſionem mundi non milites armatæ militiæ, ſed ſanctos Prædicatores ſicut oves inter lupos. Unde nec in teſtamento veteri, ubi armata manu poſſeſſio erat capienda terræ infidelium, indictum lego bellum alicui propter hoc, quod non erant fideles; ſed vel quia nolebant dare tranſitum, vel quia eos offenderant, ut Madianitæ, vel ut recuperarent ſua divina largitione conceſſa. Unde graviſſime peccaremus, ſi fidem Chriſti Jeſu per hanc viam ampliare contenderemus, nec eſſemus legitimi Domini illorum, ſed magna latrocinia committeremus, & teneremur ad reſtitutionem utpote injuſti debellatores, aut occupatores. Mittendi eſſent ad hos Prædicatores boni viri, qui verbo & exemplo converterent eos ad Deum: & non qui eos opprimant, ſpolient, ſcandalizent, ſubjiciant, & duplo gehennæ filios faciant more Phariſæorum —. Hactens Cajetanus.

Octavum Dubium. Utrum captum de rebus inimicorum in bello juſto ſit capientis?

Reſpondeo. Aut erat quid aliis prius captum ab inimicis: & tunc, ſi ſunt arma, efficiuntur capientis L. 2. ff. *de captivis*, quia hæc non reſtituuntur ei, cui fuerunt capta; ſi vero ſunt alia, puta bos, equus, & hujuſmodi, tunc reddenda ſunt illis, a quibus injuſte capta ſunt. Aut non erat quid aliis captum ab inimicis, ſed res propria inimicorum: & tunc, ſi capiatur victis jam hoſtibus, non poteſt retineri a capiente, ſed poni debet ad buttinum (ſeu prædam), ut diſtribuatur omnibus ſecundum merita. Si autem capiatur, antequam hoſtes vincantur, tunc, ſi ſunt res immobiles, non fiunt capientis L. *Si captivus* ff. *de captivis*, ſi vero ſunt res mobiles, fiunt capientis Inſtitut. *de rerum diviſione* §. *Item ea quæ*, 23. q. 7. Cap. *Si de rebus*, & L. *Si quid bello* ff. *de captivis*.

(94) Quæ in juſto bello capiuntur, & ad hoſtes pertinebant, fiunt capientium, textu expreſſo ff. *de* adquirendo rerum dominio L. *Naturalem* §. ultimo — *Item quæ ex hoſtibus capiuntur, jure g.ntium ſtatim capien-*



Digitized by Google

*tium ſiunt* –: & L. *Transfugam* eod. tit. – *Transfugam jure belli recipimus. Et quæ res hoſtiles apud nos ſunt, non publicæ, ſed occupantium ſiunt* –: & L. *Poſſeſſio* §. 1. ff. *de adquirenda vel amittenda poſſeſſione* — *Item bello capta, & inſula in mari enata, & gemmæ, lapilli, margaritæ in litoribus inventæ, ejus ſiunt, qui primus eorum poſſeſſionem nactus eſt* –. Hæc tamen intelligi debent juxta id, quod notat Gloſſa in cap. *Dicat* 23. q. 5. – *Quod ergo dicitur, quod de jure gentium noſtra ſiunt quæ capimus in bello, ut* ff. *DE ADQVIRENDO RERVM DOMINIO L. NATVRALEM* §. *ultimo, verum eſt, quod capientis eſt. Sed tamen tenetur Domino dare, ut dividat ſecundum merita hominum* –. Et iccireo diſt. 1. cap. 10. legitur – *Jus militare eſt belli inferendi ſolemnitas ..... Item prædæ deciſio, & pro perſonarum qualitatibus, & laboris juſta diviſio, ac Principis portio*. Scriptum quidem eſt 23. q. 5. cap. *Dicat* – *Docet militarem diſciplinam, ut Regi ſerventur omnia* –; ſed hoc accipe juxta monitum Gloſſæ ſuper cap. *Jus militare* nunc productum – *Non ergo omnia, quæ capiuntur in bello, ſunt Principis; & ſic eſt contra* 23. q. 5. *cap. DICAT, ubi dicitur, quod Regis ſunt omnia. Sed dic, quod Principis ſunt omnia quoad tuitionem: ſed ipſe tenetur ea dividere ſecundum merita perſonarum* –. Ex hiſce legibus, aliiſque ſimilibus infert Gabriel Antoine de virtutibus Theologicis cap. 6. §. 3. q. 3. reſp. 5. – ex communi ſententia bona juſto bello capta, ſi ſint immobilia, cedunt Principi, aut Reipublicæ. Si mobilia, ſunt capientium: niſi ex conſuetudine Regionis ea dividenda ſint inter milites, aut una pars cedat Principi –. Hæc ille.

Quum hinc audieris capta in juſto bello eſſe capientium, illinc intellexeris ea eſſe Principis, & juxta merita dividenda, nollem crederes leges ſuper hac re eſſe invicem pugnantes, & unam alteram infirmare. Eaſdem mirifice componunt complures Authores apud Maſtrium in ſua Theologia Morali diſput. 9. q. 5. art. 2. num. 101. ſcribentem – *Addunt tamen Bartolus, Sylveſter, Tuſcus, Stephanus a S. Gregorio, & alii, quod licet hujuſmodi bona mobilia jure gentium ſint ipſorum capientium, & inter ipſos dividenda; jure tamen poſitivo debent prius poni in communi, & Capitaneo adſignari, ut cuicumque ſecundum merita deſtribuat. Aliter enim rapina eſſet, niſi conſuetudo adeſſet, ut unuſquiſque quod capit retineat* –. Diſtinguatur jus gentium a jure poſitivo, & evaneſcet ea, quæ in ſpeciem videtur, pugnantia.

Author diſtinguit res proprias inimicorum a rebus, quæ penes inimicos quidem reperiuntur, ſed ipſorum non ſunt, bene vero aliorum, a quibus ea ipſi cœperunt. De his conſtituit, quod, ſi ſunt arma, non ſunt Domino reſtituenda; ſi vero ſunt alia, quæ bello non inſerviunt, veſtes puta, boves &c., hæc debent Domino reddi. Primum manifeſtum fit per legem ab eodem citatam, ſecundam nempe ff. *de captivis*, in qua lego – *Navibus longis, atque onerariis propter belli uſum poſtliminium eſt ..... Non idem in armis juris eſt: quippe nec ſine flagitio amittuntur: arma enim poſtliminio*

*rever-*

*reverti negatur, quod turpiter amittantur* — . (Poſtliminium eſt jus amiſſæ rei recuperandæ ab extraneo, & in ſtatum priſtinum reducendæ, quam quis per captivitatem, vel per ſervitutem amiſit, moribus, & legibus inſtitutum. Ita Vocabularium utriuſque juris ver. *Poſtliminium*. Quapropter L. 5. ff. *de captivis* conſtitutum eſt — *Poſtliminii jus competit aut in bello, aut in pace. In bello, cum hi, qui nobis hoſtes ſunt, aliquem ex noſtris ceperunt, & intra præſidia ſua perduxerunt, nam ſi eodem bello is reverſus fuerit, poſtliminium habet, ideſt, perinde omnia reſtituuntur ei jura, ac ſi captus ab hoſtibus non eſſet* — ). Secundum, quod nempe veſtes, boves, & alia ejuſmodi, capientium non ſint, ſed vero Domino reſtituenda, oſtendit Gabriel Antoine loco proxime laudato inquiens — *Tamen bona injuſte acquiſita ab hoſtibus reſtitui debent eorum Dominis ex L. 20. ff. DE CAPTIVIS, cum jus habeant in illa, nec ſint hoſtium* — . De illis poſtmodum, ſcilicet de rebus propriis inimicorum, Author arbitratur, quod ſi capiantur jam parta victoria, ponantur in communi, & ſecundum merita dividantur; ſi autem capiantur ante victoriam, hoſtibus nondum profligatis, immobilia ſint Principis, & mobilia capientis. Æquiſſimum ſane judicium. Hoſtibus jam debellatis capiens nullum habet ſibi obſiſtentem, & ſecure colligit ſpolia, non unice propter propriam virtutem, ſed propter pugnam initam a toto exercitu. Hoſtibus autem nondum profligatis capiens hoſtem oppugnat, ſuperat, & ipſius ſolius virtus eſt, quod hoſtis fugiat, vel intereat. Æquum eſt ergo, ut in primo caſu præda fiat toti exercitui communis, ſolius autem ſit capientis in ſecundo; demptis tamen in utroque caſu immobilibus, quæ ſpeciali jure fiunt Principis. Candide nihilominus fateor, mobilia quod reſpicit, expendendam eſſe Regionum conſuetudinem, eamque ſervandam, dummodo æquitati, ut ſupponitur, ſit conſentanea; novimus enim penes Iſraelitas fuiſſe moribus, uſuque receptum, quod remanentes ad ſarcinas æque dividerent cum pergentibus ad bellum, & pugnantibus, primo Regum 30. v. 24. & ſeq. — *Æqua enim pars erit deſcendentis ad prælium, & remanentis ad ſarcinas, & ſimiliter divident. Et factum eſt hoc ex die illa, & deinceps conſtitutum, & præfinitum, & quaſi lex in Iſrael uſque in diem hanc* — : quod forte nec tunc, nec in præſenti uſuvenit penes ceteras Nationes.

Inquires hic primo. Utrum Repreſaliæ ſint licitæ? Repreſalia dicuntur, quando aliquis oriundus de una terra ſpoliatur, vel damnificatur ab alio oriundo de alia terra; vel etiam, ſi debitum non ſolverit ei; tunc enim datur poteſtas iſti ſpoliato, quod ſibi ſatisfaciat contra quemlibet in terra illa, unde eſt ſpoliator, vel debitor. Ita Vocabularium utriuſque juris ver. *Repreſalia*. Repreſſaliæ ſunt compenſationes malorum, quæ ab hoſtibus fuat illata. Ita Concina lib. 1. in Decalogum Differt. 8. cap. 3. q. 15. Reſpondeo nunc cum eodem ibi, cum Antoine ſuperius laudato q. 4. aliiſque, eas eſſe licitas, poſitis certis conditionibus; quia authoritate publica

uſurpari poſſunt per compenſationem bona ſubjecta dominio Reipublicæ, quæ in culpa eſt, dum non procurat reparationem injuriæ a ſuis membris illatæ alterius Reipublicæ civibus. Sed hæ conditiones requiruntur. Prima, ut conſtet de injuria illata. Secunda, ut Princeps, vel Magiſtratus civium nocentium rogatus debitam ſatisfactionem deneget. Tertia, ut fiant auctoritate Principis civium læſorum. Quarta, ne plus damni inferatur, quam juſta ſatisfactio requirit. Quinta, ut non fiant in perſonas Eccleſiaſticas, & earum bona cap. unico *de injuriis* in Sexto. Hactenus Antoine. Non deſunt opinantes, Principem illum non teneri ad reſtitutionem, qui in bello juſto plus damni inferret, quam poſtulet juſta ſatisfactio. An bene ſentiant, vel minus recte, tu ipſe Lector judica. En quod ſcribit Maſtrius in ſua Theologia Morali diſput. 9. q. 5. art. 2. num. 100. — Primo itaque docet Angles ex noſtris lib. 4. ſent. q. de reſtitutione in bello injuſto Difficult. 2. quod quando bellum eſt juſtum, & Superioris auctoritate illatum, qui plus abſtulit, quam ab hoſtibus debebatur, ſive aggreſſor, ſive defenſor ſit, ad reſtitutionem non tenetur. Et ratio eſt: quia quando bellum eſt omnino juſtum, qui gerit bellum eſt Miniſter juſtitiæ divinæ, & humanæ, atque ita poterit ut Judex, & Miniſter in pœnam delicti retinere omnia, quæ ab adverſariis ultra rem a Tyranno occupatam abſtulit, quemadmodum Judex latronem punit in ſeptuplum ultra rei furtivæ pretium. Inferens vero bellum ſine ſuperioris auctoritate, etiamſi juſta de cauſa moveatur, nimirum ad recuperandas res proprias ab adverſariis uſurpatas, quicquid ultra debitum abſtulerit, reſtituere tenetur. Et ratio eſt: quia cum non ſit juſtitiæ Miniſter, eo quod ſine ſuperioris auctoritate bellum induxit, adverſarium punire, vel ab eo quicquam ultra ſibi debitum auferre non poteſt, quemadmodum Dominus rei furto ſublatæ auctoritate privata furem in quadruplum punire nequit, ut poteſt Judex. Ita Angles ad verbum loco citato cum pluribus aliis —. Hactenus Maſtrius. Laudo Authoris ingenium, & inſuper fateor, compenſationem in bello non eſſe mathematice exigendam, quum difficillimum ſit, eam ita commenſurare, & intra hujuſmodi limites continere. Nihilo tamen ſecius non audeo juſte bellantibus memoratam concedere libertatem, quum compenſatio jure naturæ commenſurari debeat debito, & pœna culpæ; alioqui ſit injuſta.

Repræſalias ſupra enarratis conditionibus deſtitutas prohibet Authentica *Ut non fiant* Collat. 5. tit. 7. in hæc verba — *Inhoneſtas pignorationes, & odibiles ſuper his exactiones, plurimæ quidem & aliæ leges odio habent, præcipue autem a nobis poſitæ: ſed neſcimus, quemadmodum cauſa, licet tantis caſtigata legislationibus, adhuc præſumitur, & in Republica eſt, & majorem ſui præbet virtutem, quam legum neceſſitas. Propterea ſancimus, nullam omnino pignorationem in noſtra Republica prævalere, neque in mercatis (hoc quod maxime ibi præſumptum invenimus) neque in agris, neque in Civitatibus, neque in vicis, neque in civibus, neque in vicaneis, neque in agricolis,*

*lit, neque alio omnino quocumque modo vel tempore. Sed præſumentem alium pro alio ſecundum pignorationis formam aurum, aut aliquid aliud exigere, hoc reddere in quadruplum violentia paſſo: & cadere etiam ab actione, quam habuit adverſus eum, pro quo exactionem fecit. Non enim habet rationem, alium quidem eſſe debitorem, alium vero exigi: ſed nec alteri moleſtum eſſe pro altero quodam tamquam invaſionem aut injuriam committentem: & alium quaſi vicaneum exiſtentem cædi, aut injuriam ſuſtinere, & aliquid pati, quod omnino non competit, pro alio: & abſque legitima occaſione quamlibet perferre calumniam: & ſupplicium ſuſtinere in corpore: Præſidentibus gentium ſcientibus, quia ſi non hæc egerint, ſed in Provinciis, quibus præſunt, pignorationes præſumi patiantur: nihil erit tale, quod a noſtris eos eripiat manibus* —.

Inquires ſecundo. Utrum in bello juſto uti liceat inſidiis? De hac re agunt S. Thomas 2. 2. q. 40. art. 3. Alexander de Ales part. 3. q. 47. membro 3. art. 2. §. 4., Aſteſanus lib. 2. tit. 64. art. 7. *Circa quartum*, Author in Angelica ver. *Bellum* num. 19., Joannes Pontas ver. item *Bellum* Caſu 4., aliique pene omnes tum veteres, tum recentiores, & omnes uno ore fatentur eas eſſe licitas. Accipe verba S. Thomæ — *Dicendum, quod inſidiæ ordinantur ad fallendum hoſtes. Dupliciter autem aliquis poteſt falli ex facto, vel dicto alterius. Uno modo ex eo quod ei dicitur falſum, vel non ſervatur promiſſum, & iſtud ſemper eſt illicitum: & hoc modo nullus debet hoſtes fallere. Sunt enim quædam jura bellorum, & fœdera etiam inter ipſos hoſtes ſervanda, ut Ambroſius dicit in lib. de Officiis. Alio modo aliquis poteſt falli ex dicto, vel facto noſtro: quia ei propoſitum, aut intellectum non aperimus; hoc autem ſemper facere non tenemur, quia etiam in doctrina ſacra multa ſunt occultanda maxime infidelibus, ne irrideant, ſecundum illud Matth. 7. NOLITE SANCTUM DARE CANIBUS* —. *Unde multo magis ea, quæ ad impugnandum inimicos paramus, ſunt eis occultanda. Unde inter cætera documenta rei militaris hoc præcipue ponitur de occultandis conſiliis, ne ad hoſtes perveniant, ut patet in lib. Stratagematum Francorum: & talis occultatio pertinet ad rationem inſidiarum, quibus licitum eſt uti in bellis juſtis. Nec proprie hujuſmodi inſidiæ vocantur fraudes, nec juſtitiæ repugnant, nec ordinatæ voluntati. Eſſet enim inordinata voluntas, ſi aliquis vellet nihil ſibi ab aliis occultari* —. Adde, quod Deus ipſe imperavit Joſue 8. v. 1. & ſeq. ut poneret inſidias —. *Dixit autem Dominus ad Joſue .... pone inſidias .... Urbi poſt eam .... ſurrexitque Joſue ..... præcepitque eis dicens: ponite inſidias poſt Civitatem, nec longius recedatis, & eritis omnes parati. Ego autem, & reliqua multitudo, quæ mecum eſt, accedemus ex adverſo contra Urbem. Cumque exierint contra nos, ſicut ante fecimus fugiemus, & terga vertemus: donec perſequentes ab Urbe longius protrahantur: putabunt enim nos fugere ſicut prius. Nobis ergo fugientibus, & illis perſequentibus, conſurgetis de inſidiis, & vaſtabitis Civitatem, tradetque eam Dominus Deus*

*veſter*

*veſter in manus veſtras. Cumque ceperitis, ſuccendite eam, & ſic omnia facietis, ut juſſi* –. Appoſite iccirco cap. *Dominus*, quod eſt Auguſtini 23. q. 2. – *Dominus noſter jubet ad Jeſum Nave, ut conſtituat ſibi retrorſus inſidias, ideſt inſidiantes bellatores ad inſidiandum hoſtibus. Hinc admonemur hoc non injuſte fieri ab his, qui juſtum bellum gerunt, ut nihil homo juſtus præcipue cogitare debeat in his rebus, niſi ut juſtum bellum ſuſcipiat, cui bellare fas eſt. Non enim omnibus fas eſt. Cum autem juſtum bellum ſuſceperit, utrum aperta pugna, utrum inſidiis vincat, nihil ad juſtitiam intereſt..... Sed etiam hoc genus belli ſine dubitatione juſtum eſt, quod Deus imperat, apud quem non eſt iniquitas, & novit, quid cuique fieri debeat: in quo bello ductor exercitus, vel ipſe populus non tam auctor belli, quam miniſter judicandus eſt* – Ratio eſt: quia, ſi hoſtis rem militarem callet, poteſt ſibi ipſi cavere, & quandoque fallentem fallere, ſicuti ſæpe numero contingit. Cave, ne ex hoc inferas, juſte bellantibus omnia licere indiſcriminatim: quoniam, ad rem Antoine loco ſupra citato q. 3. reſp. 2. num. 5., *ea quæ caveri nulla prudentia poſſunt, ut veneno inficere puteos, aquas, glandes, non licent: quia ſunt contra jura belli, & gentium* –.

Nonum Dubium. Utrum in bello juſto teneantur bellantes de damnis, puta incendii, cæſionis arborum, & hujuſmodi, a quibus commode potuiſſent ſe abſtinere?

Reſpondet Monaldus tit. *Reſtitutio quinto*, quod ſic, ſi animo graſſandi, & malitioſe hoc fecerunt: & tunc computabuntur damna cum damnis, & quod ſupereſt ſatisfacient. Concordant Doctores.

(95) Hæc, & his ſimilia privata auctoritate nequeunt fieri; & ſi milites id agerent, peccarent mortaliter, & tenerentur ad reſtitutionem, ſicuti oſtendit S. Antoninus part. 3. tit. 4. cap. 2. §. 2. Principis autem authoritate fieri poſſunt, quando ipſe bona fide judicat id expedire; in bello enim juſto licita ſunt ea omnia, quæ juxta conſuetudinem Principum Chriſtianorum neceſſaria ſunt ad aſſequendum finem belli, ſcilicet ad recuperanda injuſte ablata, vel ad injuriam juſte vindicandam, vel ad ſecuritatem Reipublicæ ſtabiliendam. Dum licitus eſt finis, licita pariter ſunt media neceſſaria ad finem conſequendum. Secus porro conſtituendum eſt, ſi Princeps ab enarratis damnis inferendis ſe commode potuiſſet abſtinere, quin juſtitia belli eum liberet ab onere reſtitutionis: quia tunc non ageret amplius ſtudio compenſationis, ſed amore vindictæ. *Item Dominus, vel quilibet alius juſtum bellum faciens, ſi craſſandi animo, vel malitioſe intulit damna adverſariis, cum alias ſibi poſſet conſulere, peccavit mortaliter, & tenetur. Unde*

Digitized by Google

*de compenſabuntur illa cum damnis, propter quæ bellum motum eſt. Peccant etiam illi mortaliter, qui agunt bellum ex odio, vel intentione damnificandi quoſcumque, ut faciunt ſtipendiarii communiter —*. Ita S. Antoninus, ibidem §. 1. Super hac re opportuna ſunt quæ adjicit Roſella ver. *Bellum* num. 20. *Suis vero hominibus iſte, qui juſte bellat, non tenetur de damnis, quæ paſſi ſunt ab adverſariis: quia ſubditi ſe, & ſua tenentur exponere pro Domino ſuo. Et dico, quod Dominus non tenetur, niſi forte ipſe fuerit in culpa, negligenter defendendo eos —*. Idem brevioribus dixerat S. Antoninus ibidem ſubdens — *Item ſi habens juſtum bellum notabiliter negligens fuit in defendendo ſuos, tenetur eis de damnis receptis; alias non —*.

Quæres. An in bello juſto licitum ſit innocentes ſontibus permixtos occidere? Huic quæſito reſpondet Concina lib. 1. in Decalogum Diſſert. 8. cap. 3. q. 14. inquiens — Innocentes reputantur agricolæ, ruſtici, infantes, feminæ, advenæ, peregrini, mercatores non habentes domicilium, legati, & inter Chriſtianos Monachi, Præsbyteri, qui arma non ſtringunt ad bellandum: ſecus ſi & iſti militiam exercerent. Itaque hi omnes abſolute innocentum nomine veniunt. Hos occidere nefarium eſt, & inhumanum. Si tamen nocentes perimi nequeant, ſalvis innocentibus, & horum peremptio licita erit. Qua de cauſa fas eſt tormentum bellicum explodere in hoſtium turmam, cui permixti ſunt Sacerdotes, feminæ, & parvuli. Ea quippe in bello juſto licent, quæ intrinſecus natura ſua mala non ſunt, & ad finem aſſequendum neceſſaria reputantur .... Parcendum itaque, quoad fieri poteſt, innocentibus, eorumque ſanguis numquam effundendus, niſi neceſſitas manifeſta id exigat —. Hæc ille. Idem dixerat Natalis Alexander lib. 4. de Decalogo cap. 7. art. 2. propoſitione 3. verſus finem ſcribens — *Quamvis porro inſontes in bello occidi per ſe, & deſtinata voluntate non poſſint abſque homicidii crimine ſecundum illud Exodi 23. — INSONTEM, ET JUSTUM NON OCCIDES —; rei tamen homicidii non ſunt Duces, & milites, qui præter intentionem innocentes occidunt, cum ſcilicet ad obtinendam victoriam neceſſe eſt turrim vel ſubjecto pulvere, vel tormentis dejici, aut Urbem eo loco conteri, ubi pueri, mulieres, ſenes, Clerici, aut Monachi forte inveniuntur —*. Ratio poſtmodum ea eſt, quam profert Antoine ſuperius laudatus reſp. 2. num. 1. — *Quia bonum publicum, quod ex victoria ſperatur, eſt majus bonum, quam vita aliquorum, quorum mors præter intentionem ſequitur. Et alioqui non poſſet contra nocentes bellum geri; & ſic cauſa bellantium fruſtra eſſet juſta —*.

Quæres ſecundo. Utrum Hermocrates miles Principis juſta de cauſa bellantis, nec excubias agens, nec miſſus ad prædam, ſed caſu incidens in militem hoſticum dormientem, reus fiat homicidii, ſi ipſum interficiat? Caſum hunc proponit Joannes Pontas ver. *Bellum* Caſu 6., & in hunc modum egregie reſpondet — Certum eſt Hermocratem homicidii conſcium eſſe: quia neminem dedita opera, ac privata auctoritate licet occidere, ut con-

conſentiunt omnes Theologi. Atqui Hermocrates, cum nec vigilias agat, nec ad prædam ſit emiſſus, hoſticum hunc militem privata occidit auctoritate. Fit ergo illa cæde reus homicidii. Inſuper *qui in bello juſto occidit*, inquit Navarra Manual. cap. 15. num. 2., ....*poteſt quidem habere propoſitum, & animum occidendi propter bonum pacis, & tranquillitatis Reipublicæ. At qui in aliis caſibus occidit, non poteſt jure habere animum occidendi* —.

Certum eſt autem, unius militis necem ad publicam tranquillitatem nihil conferre, cum ex ea nec debilitetur exercitus, nec ſit minus formidandus. Unde inhumani animi tantum eſt Hermocratis actio —. Hæc ille. Ex hac doctrina infertur, potiori jure reos eſſe ruſticos, alioſque viros militiæ non adſcriptos, nec a Principe ad bellandum aſſumptos, qui in inſidiis deliteſcentes interimunt, & ſpoliant hos, illoſve milites extra caſtra deambulantes, vel iter agentes; hi enim omnes ſine ſuperiori, ac legitima poteſtate jubente, vel concedente in ſanguinem, & res alterius armantur, uti ſcribit Auguſtinus lib. 2. contra Manichæos. Sunt ergo dubio procul & homicidæ, & fures; & iccirco incidunt in pœnas contra hos merito præſtitutas.

Decimum Dubium. Utrum rapientes in bello juſto de bonis Clericorum, aut Eccleſiarum, quæ ſunt in terris inimicorum teneantur?

Reſpondet Monaldus tit. *Reſtitutio ſeptimo*, quod ſic, niſi auctoritate Prælati Eccleſiaſtici hoc fiat, vel niſi ſint res, quibus inimici in bello ſuſtentantur, puta vinum, triticum, & hujuſmodi. Similiter tenentur qui Eccleſias incendunt ex propoſito, quamvis Eccleſiæ eſſent in terris inimicorum. Secus, ſi non ex propoſito, aut quia erant incaſtellatæ ſecundum eundem. Similiter capientes homines, qui ad Eccleſias confugiunt, tenentur eos remittere ſecundum eundem: niſi iſti eas Eccleſias incaſtellaverint, aut exinde pugnaverint, quia tunc non gaudent immunitate Eccleſiæ, quam ipſi fregerunt.

(96) Perſonas Eccleſiaſticas, & earum bona privilegio gaudere, ut in bello etiam juſto capi non poſſint, nec in aliquo gravari, expreſſe ſancivit Gregorius X. in Generali Concilio Lugdunenſi Decreto hac de re edito, quod legere eſt cap. unico *de injuriis* in Sexto *Etſi pignorationes, quas vulgaris elocutio repreſalias nominat, in quibus alius pro alio prægravatur, tam-*

*quam*

*quam graves legibus, & æquitati naturali contrariæ, civili ſint Conſtitutione prohibitæ: ut tamen earum prohibitio in perſonis Eccleſiaſticis tanto amplius timeatur, quanto in illis ſpecialius inhibentur, eas concedi contra perſonas prædictas, ſeu bona ipſarum, aut quantumcumque generaliter prætextu cujuſvis conſuetudinis (quam potius reputamus abuſum fore) conceſſas, ad illas extendi præſenti Decreto diſtrictius inhibemus. Illi autem, qui contra fecerint, adverſus perſonas eaſdem pignorationes, ſeu repreſalias concedendo, vel extendendo ad eas, niſi præſumptionem hujuſmodi revocaverint, a conceſſionis, vel extenſionis tempore intra menſem, ſi perſonæ ſingulares fuerint, ſententiam excommunicationis incurrant; ſi vero Univerſitas, Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto* –. Ne credas hujuſmodi legem latam fuiſſe ab Eccleſia ad præcavendum id, quod unice potuiſſet contingere. Contingebat reipſa, & ſæpenumero nedum bona Eccleſiæ, ſed & perſonæ ipſæ Eccleſiaſticæ repreſaliarum nomine capiebantur – *Iſtæ pignorationes* (ſcribit Gloſſa in cap. nunc recitatum) *concedebantur in hoc regno tempore guerrarum inter Regem Francorum, & Regem Angliæ* –.

Quod hic primo loco docet Author, idem omnino docuit S. Antoninus loco proxime citato, part. ſcilicet 3. tit. 4. cap. 2. §. 1. ſcribens – *Item habens bellum juſtum, vel ſe reperiens in ipſo ad bellandum, ſi ſpoliavit Clericos, vel Religioſos, vel Converſos, vel peregrinos, tenetur reſtituere, quamvis ſint cum illis, qui habent injuſtum bellum, & peccat mortaliter talia ſcienter faciendo, niſi licentiam haberet a Prælatis Eccleſiaſticis habentibus jurisdictionem ſuper illos, vel niſi eſſent victualia Eccleſiarum, & Clericorum* –. Idem quoque docuit Roſella ver. *Bellum* num. 24. inquiens – *Quid de rebus, quæ rapiuntur de Eccleſiis, aut quæ ſunt de bonis Eccleſiarum, ſive Clericorum exiſtentium in terra illius, contra quem bellum agitur? Reſpondeo ſecundum V V, raptores borum tenentur ad reſtitutionem, niſi auctoritate Prælati Eccleſiaſtici hoc fieret, vel niſi eſſent victualia, & hujuſmodi, non tamen de bonis Eccleſiæ, vel Clericorum* –. Idem pariter Nicolaus de Auximo in Supplemento ver. *Bellum tertio*, alios Doctores proferens ſimiliter ſentientes. Eſculenta quod reſpicit, poculenta, & alia his ſimilia, ſlatimque atque ex ipſis inimici ſuſtentantur, & vivunt, ſicuti ponit Author, do lubens, quod tunc non peccent ea capientes, nec ea reſtituere teneantur: quia jam facta ſunt inimicorum, contra quos bellum habent juſtum. Cetera autem quod ſpectat, ſi ſenſus unice ſit, quod accedente auctoritate, & facultate Prælatorum rapientes non peccent, nec teneantur ad reſtitutionem, impugnare non audeo quod a Doctoribus ſupra enarratis conſtitutum eſt. Si vero ex hac doctrina quis inferat, hanc eſſe praxim, quam ſervare debent Principes Catholici bellantes: facultatem ſcilicet petere a Prælatis Eccleſiæ, & poſtmodum intacta conſcientia ex bonis Eccleſiæ, & Clericorum ea capere, quæ ſibi magis arrident, non ſecus ac eſſent bona laicorum: id penitus inficior. Repreſalias nedum contra perſonas Eccleſiaſticas, ſed etiam



Digitized by Google

contra bona ipſarum, diſtricte prohibuit Gregorius X. anno 1273. in Decretali modo recitata. Si caſus ergo contingat, quod juſte bellantes hiſce bonis indigeant, non debent petere facultatem a Prælatis, & poſtmodum propria manu ea depopulari; ſed unice exercitus indigentiam humiliter exponere Pralatis, qui tunc id agent, quod ſancitum fuit pro hiſce caſibus in Con. Lateranenſi anno 1179. ſub Alexandro III. cap. *Non minus* Extra *de immunitate Eccleſiarum* — *Quocirca ſub anathematis diſtrictione fieri de cætero talia probibemus: niſi Epiſcopus & Clerus tantam neceſſitatem, vel utilitatem aſpexerint, ut abſque ulla exactione ad relevandas communes utilitates, vel neceſſitates, ubi Laicorum non ſuppetunt facultates, ſubſidia per Eccleſias exiſtiment conferenda* —. Hæc eſt praxis, quam ſervare debent Principes Catholici, & quam præ oculis habere debent Prælati Eccleſiaſtici in caſibus hujuſce generis, ſicuti eoſdem monet Benedictus XI. in ſua Extravag. com. *de immunitate Eccleſiarum* cap. unico.

Docet Author ſecundo, eos teneri ad reſtitutionem, qui data opera Eccleſias incendunt; non teneri tamen, ſi id contingat indirecte, per accidens, & quaſi præter intentionem: vel ſi Eccleſiæ redactæ ſint ad caſtra, & propugnacula. Æquiſſimum ſane judicium a Roſella, Nicolao de Auximo, aliiſque omnibus, qui de hac re ſcripſerunt, obſignatum. Primum eſt facinus omnium maximum, & id agentes non ſolum obnoxii fiunt pœnis omnibus latis contra incendiarios, ſed excommunicationis ſententiam incurrunt 11. q. 3. cap. 107. — *Canonica inſtituta, & Sanctorum Patrum exempla ſequentes, Eccleſiarum Dei violatores auctoritate Dei, & judicio Sancti Spiritus a gremio ſanctæ Matris Eccleſiæ, & a conſortio totius Chriſtianitatis Eliminamus, quoad uſque reſipiſcant, & Eccleſiæ Dei ſatisfaciant*, & cap. *Conqueſti* Extra *de ſententia excommunicationis* — *Conqueſti ſunt nobis Regin. Canonici, quod I. de Malafrena, & ejus ſequaces quaſdam Eccleſias Regin. Epiſcopatus violenter confregerunt, eaſque ſpoliare minime dubitarunt. Quoniam igitur gravia ſunt, nec clauſis debent oculis præteriri: mandamus, quatenus, ſi eſt ita, memoratos ſacrilegos excommunicatos nuncietis, & faciatis ſicut excommunicatos arctius evitari, donec paſſis injuriam congrue ſatisfaciant, & damna (pro eis) data reſarciant, & cum literis veſtris rei veritatem continentibus Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent* —. Secundum in idem recidit cum eo, quod ſupra dictum eſt de indirecta occiſione innocentum: puta cum juſte bellantes caſtrum incendunt, aut Pagum, quæ aliter nequeunt expugnari. Tertium ſponte fluit; redacta ſiquidem Eccleſia ad verum, propriumque propugnaculum, Eccleſia Dei amplius non eſt, ſed caſtrum, ſed propugnaculum, quod in bello juſto illæſa conſcientia expugnari poteſt, & incendi. Curandum ſummopere eſt, quod Eccleſia huic uſui non inſerviat: excogitabiles tamen ſunt caſus, in quibus id fieri poteſt, & etiam debet, ſicuti monet Aſteſanus lib. 6. tit. 30. art. 5. non longe ab initio ſcribens — Item non debet Eccleſia incaſtellari, nec in propugnacula ædificari, ut ibidem

dem fiat guerra, vel ibi recipiantur, qui faciunt guerram, & præcipue prædones; licet auctoritate Epiſcopi poſſet hoc fieri ibi ad tempus imminente juſta neceſſitate, puta propter metum Paganorum, hæreticorum, Piratarum, & latronum, & pro defendendo jure Eccleſiæ, cum forte non inveniatur locus ad hoc ita aptus: & in his caſibus, & ſimilibus non tantum Clerici ibi refugium habebunt, ſed etiam laici innocentes, & fidem, & jus Eccleſiaſticum defendentes; ita tamen quod ceſſante neceſſitate incaſtellatio ceſſet. Arg. Extra *de cuſtodia Euchariſtiæ* cap. *Relinqui*, & diſt. 42. cap. penult. & ultimo, & Extra *de obſervatione jejuniorum* §. penult. & præcedenti —. Hæc ille.

Ultimo docet Author, confugientes ad Eccleſiam eſſe reſtituendos, ſi capiantur, niſi Eccleſia ipſi abutantur ad pugnandum. Perſpicuum hoc eſt cap. ultimo Extra *de immunitate Eccleſiarum — Cum autem eo, in quo delinquit, puniri quis debeat: & fruſtra legis auxilium invocet, qui committit in legem, mandamus, quatenus publice nuncietis, tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt ſe indignos* —. Et ipſa lege civili ſancitum eſt, quod nulla inferatur moleſtia confugientibus ad Eccleſias, & quod hi confugientes, dum degunt in loco ſacro, arma deferre non debeant, multo minus ea tractare pugnando ſub pœna appoſita, quod non gaudeant tunc immunitate Eccleſiaſtica, & de loco ſacro ejiciantur. Celeberrima eſt lex lata ab Imperatoribus Theodoſio, & Valentiniano, quæ eſt 3. C. *de his, qui ad Eccleſiam confugiunt — Pateant ſummi Dei templa timentibus: nec ſola altaria, & oratorium templi circumjectum, qui Eccleſias quadripartito parietum ſeptu concludit, ad tuitionem confugientium, ſancimus eſſe propoſita: ſed uſque ad extremas fores Eccleſiæ, quas oratum geſtiens populus primas ingreditur, confugientibus aram ſalutis eſſe præcipimus: ut inter templum, quod parietum deſcripſimus cinctu, & poſt loca publica, & januas primas Eccleſiæ, quicquid fuerit interjacens, ſive in cellulis, ſive in domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus, confugas interioris templi vice tueatur. Nec in extrahendos eos conetur quiſquam ſacrilegas manus immittere: ne qui hoc auſus ſit, cum diſcrimen ſuum videat, ad experendam opem ipſi quoque confugiant. Hanc autem ſpatii latitudinem ideo indulgemus, ne in ipſo Dei templo, & ſacroſanctis altaribus confugientium quemquam mane, vel veſpere cubare, vel pernoctare liceat: ipſis hoc Clericis religionis cauſa vetantibus, ipſos, qui confugiunt, pietatis ratione ſervantibus. Arma quoque in quovis telo, ferro, vel ſpecie, eos, qui confugiunt, minime intra Eccleſias habere præcipimus, quæ non modo a ſummi Dei templis, ac divinis altaribus prohibentur, ſed etiam cellulis, domibus, hortulis, balneis, areis, atque porticibus. Proinde ii, qui ſine armis ad Sanctiſſimum Dei templum, aut ad ſacroſanctum altare ſive uſquam gentium, ſive in hac alma Urbe confugiunt, ſomnum intra templum, ſive ipſum altare, vel omnino cibum capere abſque aliqua eorum injuria, ab ipſis Clericis arceantur, deſignantibus ſpatia, quæ in Eccleſiaſticis ſeptis eorum tuitioni ſufficiant,*

*ac docentibus capitalem pœnam eſſe propoſitam, ſi qui eos conentur invadere. Quibus ſi perfuga non annuit, neque conſentit: præferenda humanitati religio eſt, & a divinis ad loca, quæ diximus, turbanda temeritas. Hos vero, qui templa cum armis ingredi audent, ne hoc faciant, præmonemus: dein ſi telis cincti, quovis Eccleſiæ loco, vel ad templi ſepta, vel circa, vel extra ſint: ſtatim eos, ut arma deponant, auctoritate Epiſcopi a ſolis Clericis ſeverius convenirl præcipimus, data eis fiducia, quod religionis nomine melius, quam armorum præſidio muniantur. Sed ſi Eccleſiæ voce moniti, poſt tot tantorumque denunciationes noluerint arma relinquere: jam clementiæ noſtræ apud Deum, & Epiſcopum cauſa purgata, armatis, ſi ita res exegerlt, intromiſſis, trahendos ſe, abſtrahendoſque eſſe cognoſcant, & omnibus caſibus eſſe ſubdendos. Sed neque Epiſcopo inconſulto, nec ſine noſtra ſive Judicum in hac alma Urbe, vel ubicumque juſſione, armatum quemquam ab Eccleſiis abſtrahi oportebit; ne ſi multis paſſim hoc liceat, confuſio generetur —.*

Septi-

Digitized by Google

SEptimus Titulus qui eſt de Exactionibus, vel cenſibus, continet quinque quæſtiones, ſeu Dubia.

Primum Dubium. Utrum Dominus exigens tallias, vel exactiones a ſubditis, teneatur?

Reſpondeo, quod aut ſunt conſuetæ, aut non. Si ſunt conſuetæ exigi ab anteceſſoribus, vel ſolvi, & juſta de cauſa impoſitæ fuerunt ſine dolo & fraude, vel præſumendum eſt, quod ex cauſa juſta fuerint impoſitæ, tunc non tenetur. Si vero exigit quidem novas exactiones, vel ultra conſuetum, ſed iſtæ per pacta ab initio fuerunt expreſſæ, tunc etiam non tenetur. Si autem per pactum non fuerunt expreſſæ, tunc, quando non ſubeſt legitima cauſa, puta quia hoc facit, ut ludat, vel ut vanitates ultra vires in veſtibus, hoſpitibus, joculatoribus, & hujuſmodi exerceat, non poteſt invitis ſubditis eas extorquere, &, ſi hoc facit, tenetur eas reſtituere. Si vero ſubeſt legitima cauſa, puta patriæ defenſio, quæ injuſte invaditur ab hoſtibus, tunc ſubditi non ſolum tenentur ſua exponere, ſed etiam corporaliter laborare 23. q. 3. C. *Fortitudo*, & Extra *de immunitate Eccleſiarum* cap. *Pervenit*. Legitima cauſa etiam eſt maritatio filiæ, quia acquirit amicos. Item facere filium ſuum militem, quo fit potentior ad reſiſtendum inimicis. Item acquiſitio novi fundi, quo fit ditior, & poteſt magis ſubditis parcere poſtea, quam antea. Hæ autem legitimæ cauſæ debent publicari, ubi hoc conſuetum eſt, vel conſtitutum. Similiter poteſt exigere expenſas factas in bello juſto. Item pro ſe redimendo, ſi fuerat captus. Item expenſas factas eundo ad Principem pro pace in utilitatem ſubdito-

ditorum procuranda , & hujuſmodi : modarate tamen . Arg. 10. q. 3. cap. *Unio* , & Extra *de cenſibus* cap. *Cum Apoſtolus* . Concordat Monaldus tit. *Reſtitutio quarto* .

(97) Exactio eſt petitio , nam exigere eſt rem ab alio petere . Ita Vocabularium utriuſque juris ver. *Exactio* . Exigere proprie eſt ab invito extorquere ff. *de legatis* III. L. *Fideicommiſſa* §. *Si rem* , licet quandoque exigere dicatur quis etiam a ſponte ſolvente , ut C. *de furtis* L. *Falſus* . Ita idem Vocabularium ver. *Exigere* . Exactiones ergo , prout hic ſumuntur , ſunt petitiones pecuniæ , vel alterius rei de mandato ſuperioris ſolvendæ . Cenſus variis modis poteſt accipi . Ad præſens quod ſpectat , cenſus , tributum , & penſio publica idem ſunt , ut C. *In quibus cauſis pignus , vel hypotheca tacite contrahitur* ..... Unde cenſus idem eſt , quod penſio , quæ ſolvitur de proventibus . Ita laudatum Vocabularium ver. *Cenſus* . In hoc ſenſu iccireo ſcriptum eſt 1. q. 3. cap. *Quæſitum — Salvo utique Epiſcoporum cenſu annuo , quem ab eiſdem Altaribus habere ſoliti ſunt* — . Tallia demum , ſeu talea nihil aliud eſt , quam quædam ſpecies tributi apud Italos conſueti . Calvin. in Lexicon. Juridic. ver. Talea ..... dicit , quod talea pro exactione eſt barbarum prorſus vocabulum , natum ſchola imperitorum latinitatis , cui multa id genus ſimilia debemus . Ita Lucius Ferraris in ſua Bibliotheca ver. *Gabella* num. 5. Vocabulis expoſitis , de quibus Author , tranſeo ad declarationem aliorum vocabulorum , quæ ſolent uſurpari in hac materia . Tributi originem ( ita Concina lib. 1. de jure naturæ & gentium Differt. 5. cap. 5. num. 1. ) alii a tribubus , quia quondam tributim vectigalia ſolvebantur , alii a verbo tribuo , repetunt . Tributum penſio publica eſt , quam ad Principatus ſumptus , & communes Reipublicæ expenſas populi ſolvunt . Tributum aliud reale , quod pro fundis immobilibus ſolvitur , & vulgo dicitur Campatico : aliud perſonale , quod pro induſtria , boniſque mobilibus populi pendunt , vulgoque appellatur Teſtatico , ſeu Capitatio , quod per capita ſolvitur . Aliæ ſunt tributi acceptiones : nam penſio impoſita rebus , quæ in Civitatem inducuntur , aut ab Urbe exportantur , Vectigal nuncupatur . Tributum , quod ſolvitur pro rebus , quæ vehuntur per pontes , aut flumina , appellatur Portorium : quod penditur ob viarum cuſtodiam , & inſtaurationem , Pedagium dicitur : Et tandem quod exigitur pro perſonarum operibus , vocatur Angaria — . Hæc ille . Adde Guidagium , illud nempe , quod tranſeuntes dant pro ſalariandis illis hominibus , qui eos ſecure deducunt per loca : vel pro ſalvo ſecuro conducto tranſeundi per terram alterius . Adde Gabellam , illud ſcilicet tributum , quod ſolvitur in Civitatibus , & Pagis pro certis rebus , vino puta , cerviſia , frumento , carnib[illegible]e mercibus emendis , aut vendendis . Tributum inſuper aliud eſt [illegible]xtraordinarium alterum . Ordinarium dicitur , quando ſingulis

gulis annis, aut menſibus ex lege nova, vel antiqua in certa quantitate ſolvitur. Extraordinarium appellatur, quando de mandato Principis ſolvitur a ſubditis non ſingulis annis, vel áliis temporibus determinatis, ſed duntaxat ingruentibus quibuſdam extraordinariis neceſſitatibus. Ad juſtitiam poſtmodum Gabellarum, & tributorum tria requiruntur. Primum eſt, quod legitima auctoritate imponantur, a Principe videlicet, vel ab alio, qui a Principe facultatem & privilegium habuerit ea imponendi -- *Nec quiſquam alicui novas Pedagiorum exactiones ſine auctoritate, & conſenſu Regum & Principum ſtatuere aliquo modo præſumat. Si quis autem contra hoc fecerit, & commonitus non deſtiterit, donec ſatisfaciat, communione careat chriſtiana* — Extra *de cenſibus* cap. *Innovamus*. Secundum eſt, quod non imponantur niſi juſta de cauſa, & iccirco appoſite S. Bonaventura in Speculo Animæ cap. 2. ubi de rapina — *Circa primum notandum, quod novas talias, vel leges, vel conſuetudines conſtituere, ad extorquendum pecuniam abſque juſta cauſa, habet rationem rapinæ* —. Tertium eſt, ut moderata ſint, & ad menſuram cauſæ, vel neceſſitatis, ob quam imponuntur.

Tributa imponi poſſe a Principibus, & iiſdem a ſubditis eſſe ſolvenda, invicte probat S. Antoninus part. 3. tit. 12. cap. 4. in principio ſcribens — Cenſum, ſeu tributum eſſe ſolvendum ei, cui debetur, oſtendit Chriſtus verbo ſuo, quando interrogatus a quibuſdam, ſi licet cenſum dari Cæſari, an non, reſpondit, *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo* Matth. 22. Oſtendit exemplo, quando iter faciendo cum diſcipulis, qui exigebat a tranſeuntibus tributum, vel pedagium, vel vectigal, hoc petens a Petro, oſtendit Chriſtus ipſi Petro, ſe liberum eſſe ab hujus ſolutionis debito, & ſubdit: ut non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, quem primo capies, accipiens invenies in ore ejus ſtaterem, ideſt certam monetam, & illum ſumens da illis, ſcilicet exigentibus: quod & factum eſt, ut habetur Matth. 17. Ad idem Apoſtolus ad Rom. 13. — *Reddite omnibus debita: cui honorem, honorem: cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal* — & Auguſtinus tractans illud Apoſtoli ad Rom. 13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit* —, ſic dicit — *Et vos ſubditi eſſe debetis: ideo enim tributa præſtatis, quia hæc eſt probatio ſubjectionis* Extra *de cenſibus* cap. *Omnis*. Et dicit Gloſſa — Hoc dictum Laicis eſt, & poteſt extendi ad Clericos; non omnes, ſed eos, qui poſſident Civitates, & Caſtra a Laicis data cum aliqua ſubjectione obſequii temporalis. Hinc Ambroſius ait 11. q. 1. cap. *Magnum* — Magnum quidem, & ſpeciale documentum, quo chriſtiani viri poteſtatibus ſublimioribus docentur debere eſſe ſubjecti, ne quis conſtitutionem terreni Regis putet eſſe ſolvendam. Si enim cenſum filius Dei ſolvit, ut patet exemplo poſito: quis tu tantus es, qui putas non eſſe ſolvendum? Ubi dicit Gloſſa, quod Chriſtus ſolvit cenſum non ex debito, quia cum cenſus ſit ſignum ſubjectionis, Chriſtus autem nemini erat ſubjectus, ſed Dominus omnium, ideo non

erat

erat obligatus ad illud, ſed ad tollendum ſcandalum puſillorum ſolvit — Hactenus S. Antoninus.

Hiſce declaratis, & eliquatis, de quibus nulla penes Theologos contentio, & opinionum varietas, venio ad Dubium ab Authore propoſitum, & utroque pollice obſigno reſponſum ab eodem traditum. Quod ut magis magiſque clareſcat, opportunum duco hic exhibere, quod ſuper hoc eodem Dubio ſcripſit Aſteſanus lib. 1. tit. 32. art. 1. ſub initio — Sciendum ergo ſecundum Ray. tit. *de raptoribus*, & Hoſtienſem tit. *de immunitate Eccleſiarum*, quod regulariter Dominus petere non debet a ſubditis, niſi ea, de quibus inter eum, vel ejus anteceſſores, vel ipſos, vel eorum anteceſſores plane, bona fide, ſine dolo, & coactione convenit. De his ſolent fieri inſtrumenta. Omnia ergo ab initio impoſita, dum tamen non ſint turpia, vel contra Deum, poſſunt peti, & debent ſolvi: quia quilibet in traditione rei ſuæ legem, quam vult, ponere poteſt Extra *de pactis* cap. *Antigonus*. Et quicquid ſubditus de his, ſcilicet quæ ſunt certa, ſine Domini voluntate ſubtraheret, diminueret, vel celaret ſcienter, ſicut fur reſtituere teneretur: Et idem intellige ſecundum Rod., ſi non extet inſtrumentum. Eſt tamen antiqua, & certa tallia a tempore, cujus non extat memoria, & ſcitur, vel probabiliter creditur, quod ab initio fuerit impoſita juſta de cauſa, ita tamen ſecundum Ray., quod & ipſe Dominus compleat ſi quid ex illa cauſa, vel inſtitutione complere debeat. Ubi tamen ponitur in inſtrumento indefinite collecta, tallia, & hujuſmodi, debet intelligi, quod debet etiam moderate petere inſpectis oneribus, & facultatibus ſubditorum Extra *de cenſibus* cap. *Cum Apoſtolus*. Et idem credit Rod., ſi contineatur in inſtrumento, vel etiam ſi ſit conſuetudo talis ſine ſcripto, quod talia facere poſſit ad placitum ſuum. Et ſi de hoc Dominus habeat conſcientiam, inducatur ad reſtitutionem.

Si autem accepit Dominus ultra conventa, & ſtatuta inter eum, & ſubditos ejus aliqua ſponte oblata, nulla fraude adhibita, vel minis, vel coactione indirecta, reſtituere non tenetur 1. q. 2. cap. *Placuit*, & cap. *Quam pio*. Coactio indirecta eſſet, ſi eis juſtitiam negaret, vel eos non defenderet, ſecundum quod deberet, ut ſic ab eis aliquod extorqueret, vel eis inſinuari faceret, quod abipſis aliquid habere vellet.

Si tamen ex aliquibus circumſtantiis appareret reſtitutio impoſſibilis, vel multum difficilis, ſatis videtur, quod conſuli poſſet his Dominis, quod in recompenſationem remitterent ſubditis communiter cum conſenſu eorum, & libera voluntate aliquam ſervitutem, vel annuam præſtationem in perpetuum, vel ad tempus: ita quod videretur eis pleniſſime ſatisfactum; vel etiam quod facerent in remiſſionem peccatorum illorum, quibus tenebantur, aliquod hoſpitale, vel aliquod opus ſimile pietatis, cum conſenſu tamen eorumdem, ubi poteſt requiri: & hoc debet intelligi, niſi juſta cauſa ipſum Dominum ad talem exactionem faciendam inducat. Sunt enim quædam

dam cauſæ juſtæ. Una pro defenſione patriæ, cum ſcilicet invaditur ab hoſtibus injuſte Extra *de immunitate Eccleſiarum* cap. *Pervenit*. Alia eſt, ſi Dominus vult ire in exercitum indictum ab Eccleſia, vel a Principe contra hæreticos, vel paganos, nec de ſuo ſine gravi damno expenſas facere poſſet. Tertia eſt, ſi Dominus in guerra, vel in bello juſto ex parte ejus ſit ab hoſtibus captus, nec de ſuo redemptionem ſine gravi damno ſolvere poſſit. Quarta, ſi velit ad Principem ire pro privilegio ſpecialis protectionis pro ſe, & ſuis ſubditis obtinendo, nec poteſt de ſuo facere expenſas ſine gravi damno. Pro his cauſis, & aliis ſimilibus emergentibus Dominus a ſubditis auxilium petere poteſt, dum tamen ſemper moderate, & non cum eorum gravamine, & cum charitate, non ex violentia petat 10.q.4. cap. *Unio* circa medium, & Extra *de cenſibus* cap. *Cum Apoſtolus* §. *Prohibemus*.

Secundum Ray., ſecundum etiam Rod. cauſæ præter prædictas alicubi uſitatæ, & approbatæ ſunt: quando Dominus filium militem facit, vel filiam nuptui tradit, vel feudum ſuum relevat, vel novum comparat. Hujuſmodi enim reſpiciunt commodum ſubditorum: quia ex talibus Dominus fit potentior, vel ditior, ac per hoc parcere poteſt ſubditis pluſquam ante; & ideo videtur, quod pro talibus poſſit accipere a ſubditis, ubi eſt conſuetum, vel conſtitutum, dum tamen accipiat moderate ſecundum Rod. Si autem Dominus velit ad aleas ludere, vel ultra vires ad vanitatem in veſtibus, hoſpitibus, & ſimilibus expendere, non debet propter hujuſmodi exigere. Quod ſi fecerit, tenetur reſtituere: & idem eſt, ſi captus in bello injuſto exigat totam redemptionem, vel partem, quam hoſtibus ſolvit, ſecundum Ray.

Ricardus vero 2. diſp.44. q.3. art.1. cap. Circa tallias, quas imponunt Domini de novo ſubditis ſuis, diſtinguit ſic: ſcilicet quod ſubditi aut ſunt ſervi, aut liberi. Si ſervi, Domini ſimpliciter poſſunt eis de novo tallias imponere, etiamſi non vergant niſi in bonum Dominorum ipſorum, & ſervi tenentur eis obedire: quia ſervus & res ejus ſunt poſſeſſio Domini; unde Philoſophus primo Politicorum dicit, quod ſervus eſt res poſſeſſa; & ideo ſi fugiant Dominum, debent reſtitui ſibi Extra *de ſervis non ordinandis* cap. *De ſervorum*. Si autem ſunt liberi, ita quod Dominus dominetur politice: aut Dominus ille eſt Rex, vel Princeps: aut Dominus inferior. Si primo modo, poteſt auctoritate ſua pro utilitate boni communis de novo tallias ſuis ſubditis imponere, compenſata ſubditorum facultate, & negotii, quod eſt pro bono communi, qualitate, & quantitate ff. *de publicanis & vectigalibus* L. *Vectigalia*. Quod debet intelligi, niſi facultates ſufficiant Regi, vel Principi pro boni communis promotione, & defenſione. Si autem illæ talliæ in nullo ſint ad utilitatem boni communis, nec Rex, nec Princeps temporalis poteſt eas de novo imponere: & ſi eas imponit, ſubditi non tenentur obedire: quia poteſtatis ſuæ limites exit. Si autem ſit inferior, non poteſt de novo ſubditis tallias imponere: & ſi ponit, cum exeat limites po-

teſtatis ſuæ, ſubditi non tenentur obedire, maxime quando ſine conſenſu Regis, vel Principis imponuntur: & hoc eſt expreſſum Extra *de cenſibus* cap. *Innovamus*. Et ſi quis contra fecerit, & admonitus non deſtiterit, donec ſatisfecerit, communione careat Chriſtiana, ut ibidem dicitur, & Extra *de verborum ſignificatione* cap. *Super quibuſdam*, & C. *Vectigalia nova inſtitui non poſſe* L. 2. 3. & 4.

Sed contra. Super illud Matth. 17. *Ergo liberi ſunt filii*, dicit Gloſſa, quod liberi ſunt filii Regis in omni Regno. Multo magis ſunt liberi filii illius Regis, ſub quo ſunt omnia Regna. Ergo videtur, quod Chriſtiani &c. Reſpondeo, filios Regni vocat Chriſtianos illos, qui reliquerunt omnia temporalia propter Chriſtum; tales enim non tenentur ad aliquas exactiones temporales.

Pro altera parte objicitur illud 1. Petri 2. *Servi eſtote ſubditi Dominis, non tantum bonis, & modeſtis, ſed etiam diſcolis*. Ergo &c. Reſpondeo, aut loquitur de ſubditis ſervis: aut ſi loquitur de ſubditis liberis, intelligendum eſt, quod debent eis eſſe ſubditi in his, ad quæ poteſtas eorum ſe extendit ſecundum Ricardum 2. Diſp. 44. q. 3. art. 1. cap. 2.

Sciendum etiam ſecundum Ricardum ubi ſupra, quod aliquando talliæ, quæ de novo imponuntur, ſunt directe ad utilitatem boni communis: puta quando fiunt pro defenſione fidei, vel regni, vel pro refectione pontium, vel viarum. Aliquando autem indirecte, & non ita aperte: ut cum aliqua injuria infertur Regi extra ſuum regnum, puta quia ab adverſariis detinetur captivus ejus frater, filius, vel propinquus: vel aliqua terra, quæ de novo eſt devoluta ad Regem, poſſidetur violenter ab adverſariis de facto, & Rex imponit ſubditis tallias, per quas jus ſuum recuperare poſſit: tunc illæ redundant in bonum ſubditorum, quia cum Rex viriliter impugnat adverſarios, terram ſibi de jure debitam eripiendo, vel fratrem ſuum, vel conſanguineum injuſte detentum liberando, ex hoc ipſe magis honoratur, & ab adverſariis timetur; & per conſequens ejus ſubditi fideles gaudent, & ſua bona ſecurius poſſident, & in majori habentur honore, & ſunt in meliori conditione. Unde in tali caſu, ſi ad hoc non ſufficiant facultates Regis, poteſt a ſubditis etiam liberis accipere auxilium moderatum, compenſata negotii qualitate, & utilitate, & ſubditorum facultate. Videtur tamen, quod negotio expedito, ſi Regis facultates abundanter augeantur, & aliquæ Communitates nimis notabiliter ſint gravatæ, Rex eis ſubvenire debet ſecundum exigentiam, & proportionem, ſicut ei ſubvenerunt in ſua neceſſitate. Cum enim caput ægrotat, ei membra alia ſubminiſtrant, & ſimiliter e converſo caput aliis membris. Sciendum etiam, quod, quia facultates Regis ſunt ei datæ propter promotionem, & defenſionem communis utilitatis, ſi facultates Regis ſufficiant pro defenſione regni, vel fidei, non debet etiam in illo caſu ſubditos talliare. Non tamen eſt dicendum, facultates Regis ſufficere, quando non poteſt regnum, vel fidem defendere,

niſi

niſi ita ſe depauperet, quod nihil ſibi remaneat in theſauro, quo ſe juvare poſſet, ſi iterum infra breve tempus ab aliis adverſariis invaderetur, maxime ſi multos habeat inſidiatores. Tali enim Regi neceſſarius eſt Theſaurus pecuniæ: quia adverſarii ſcientes eum ſic eſſe munitum, magis timent eum, & ex conſequenti magis pacifice poſſidet regnum ſuum: licet multo plus valeret ſibi theſaurizare amorem ſubditorum, quam argentum, & aurum. Hæc Ricardus quolibet. 3. q. 28.

Hactenus Aſteſanus, cujus judicium in hac perdificili, & graviſſima materia nemo non ſuſpiciet, quum æquiſſimum ipſum ſit, nec ſubditis, nec Principibus injurium. Unice igitur proferam nonnullas leges canonicas, & civiles, quarum ipſe meminit.

*Inquiſitioni tuæ taliter reſpondemus, quod cenſus ignorantiæ* (ideſt cujus cauſa ignoratur, ait Gloſſa ibidem) *nec divinis, nec humanis legibus invenitur: oportet quippe, ut omnis cenſus ad quid, & quando perſolvi debeat, præſciatur* —. Paſchalis II. Comitiſſæ Mathildæ cap. *Pervenit* Extra *de Cenſibus*.

*Prohibemus etiam, ne ſubditos ſuos talliis, & exactionibus Epiſcopi gravare præſumant. Suſtinemus autem pro multis neceſſitatibus, quæ aliquoties ſuperveniunt, ut, ſi manifeſta, ac rationabilis cauſa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium poſtulare* — Cap. *Cum Apoſtolus* Con. Lateranenſe eod. titulo.

*Nec quiſquam alicui novam pedagiorum exactionem ſine auctoritate, & conſenſu Regum, & Principum ſtatuere aliquo modo præſumat. Si quis autem contra hoc fecerit, & commonitus non deſtiterit, donec ſatisfaciat, communione careat Chriſtiana* — Alex. III. cap. *Innovamus* eod. titulo.

*Præterea cum Pedagia, Guidagia, Salinaria tibi Legatus interdixerit memoratus, Auctoritate Apoſtolica duximus declarandum, illa eſſe Pedagia, Salinaria, Guidagia interdicta, quæ non apparent Imperatorum, vel Regum, vel Lateranenſis Concilii largitione conceſſa, vel ex antiqua conſuetudine a tempore, cujus non extat memoria, introducta* — Inno. III. Extra *de verborum ſignificatione* cap. *Super quibuſdam*.

*Et ſi quilibet ſervus fugiens Dominum ſuum, qualibet calliditate, aut fraude ad gradus pervenerit Eccleſiaſticos, decretum eſt, ut deponatur, & ejus Dominus eum recipiat* —. Con. Toletanum Extra *de ſervis non ordinandis* Cap. *De ſervorum*.

*Vectigalia ſine Imperatorum præcepto neque Præſidi, neque Curatori, neque Curiæ conſtituere, nec præcedentia reformare, & his vel addere, vel diminuere licet* — L. *Vectigalia* ff. *de publicanis & vectigalibus*.

*Vectigalia nova nec Decreto Civitatum inſtitui poſſunt* — L. 2. C. *Vectigalia nova inſtitui &c.*

*Non ſolent nova vectigalia inconſultis Principibus inſtitui. Ergo & exigi aliquid, quod illicite poſcatur, competens Judex vetabit, & id, quod exa-*

Ff 2 *ctum*

*ctum videtur, ſi contra rationem juris extortum eſt, reſtitui jubebit* — L. 3. ibidem.

*Si Provincialium noſtrorum querela de conductorum aviditate extiterit, & probatum fuerit ultra antiquam conſuetudinem, & noſtræ termines juſſionis aliquid eos profligaſſe, rei tanti criminis perpetuo exilio puniantur. Sub conſpectibus autem tuis, vel eorum, qui tuæ gravitati ſuccedunt, licitationis cura ſervetur* — L. 4. ibidem. Licitatio eſt oblatio ad ſubhaſtationem; quapropter dum aliqua res venalis exponitur ſub haſta, & unus offert decem, alter quindecim, qui plus offert dicitur alium vincere licitatione.

Secundum Dubium. Utrum exigentes tallias, & hujuſmodi exactiones a perſonis Eccleſiaſticis, teneantur?

Reſpondeo, quod ſic, quamvis eſſent licitæ quoad ſeculares, niſi Clerici haberent de patrimonio; tunc enim liceret: quia res tranſit cum onere ſuo Extra *de pignoribus* cap. *Ex literis*. Concordat Joannes de Faucona tit. 7.

(98) Quæ a nobis in præſenti dicitur immunitas, olim a veteribus appellabatur Emunitas. Utrumque hoc vocabulum exponit Hoſtienſis *de immunitate Eccleſiæ* num. 2. ſcribens — *Et quidem Emunitas dicitur quaſi extra munia, ideſt munera data libertas, quaſi ab E, quod eſt extra: vel dicitur Immunitas quaſi ſine muneribus data libertas, ab In, quod eſt ſine* —. Immunitatem ſic definit Lucius Ferraris ver. *Immunitas* art. 1. num. 4. inquiens — *Jus, quo Eccleſiæ, & alia loca ſacra, nec non perſonæ Eccleſiaſticæ, ac res ipſarum liberæ, ac immunes ſunt a muneribus, & oneribus ſæcularium, atque ab actibus earum ſanctitati, & reverentiæ debitæ repugnantibus* —. Immunitas poſtmodum ſic expreſſa recte dividitur in perſonalem, localem, & realem. Perſonalis ea eſt, quæ perſonis competit Eccleſiaſticis. Localis, quæ convenit Eccleſiis, aliiſque locis piis, & religioſis. Realis demum, quæ rebus competit Eccleſiaſticis, bonis ſcilicet temporalibus ad Eccleſias, & ad perſonas Eccleſiaſticas pertinentibus. Sermo hic non eſt de perſonali, neque de locali, ſed unice de immunitate reali, de cujus æquitate ita ſcribit idem Ferraris ver. *Bona* art. 2. num. 15. — Et ratio eſt clara, quia ſolvere tributa &c. eſt proprium ſubditorum, cum id ſit verum ſignum ſubjectionis, ut teſtatur Apoſtolus ad Rom. 13. num. 5. ibi — *Neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam; ideo enim & tributa præſtatis* —. Et clariſſime habetur ex cap. *Omnis anima* 3. *de Cenſibus*, ibi — *Vos ſubditi eſſe debetis; ideo enim tributa præſtatis, quia hæc eſt probatio ſubjectionis* —. Sed perſonæ Eccleſiaſticæ ſunt immunes a Juriſdictione Laicali, ut fatentur omnes in titulo de Foro competenti. Ergo

etiam

etiam ab oneribus , & tributis . Tum quia ex quo Domini ſæculares a Clericis, aliiſque Eccleſiaſticis perſonis ſpiritualia commoda accipiunt , æquum non eſt , ut etiam temporalia ab iis exigant ; ſed potius tribuant juxta illud Apoſtoli I. ad Corinth. cap. 9. num. 11. ibi -- *Si nos vobis ſpiritualia ſeminavimus , magnum eſt , ſi nos carnalia veſtra metamus ?* -- Hæc ille .

De hac immunitate fuſe agit Auguſtinus Barboſa Luſitanus *Juris Eccleſiaſtici univerſi* Lib. 1. cap. 39. §. 5. per totum . Unice hic exſcribo , quæ habet in principio -- Certa eſt Theologorum , Canoniſtarum , & Juriſconſultorum propoſitio , quam nemo ex Catholicis audet impugnare , bona Eccleſiaſtica immunia eſſe , & libera ab oneribus , & tributis impoſitis per Principes laicos . Ita definitum eſt in Con. Lateran. ſub Alex. III. part. 1. cap. 19. , ſub Inno. III. cap. 46. , & habetur in cap. *Non minus* , ubi Conſules , & alii Magiſtratus Eccleſiaſticis , & eorum bonis collectas , & pedagia imponentes anathemate feriuntur , & in cap. *Adverſus , de immunitate Eccleſ.* , & in cap. 1. & 3. eod. tit. in ſexto , & in cap. *Quamquam , de Cenſibus* eod. Lib. , & in Clementin. unic. *de immunitate Eccleſ.* : quæ ſanctiones innovatæ fuerunt per S. Concil. Trident. Seſs. 25. de reform. cap. 20. , Romanique Pontifices quotannis in Bulla Cœnæ §. 18. hujuſmodi pedagia imponentes , & exigentes cenſuris coercent , ut infra oſtendemus . Et Conſtantinus primus Imperatorum palam Chriſtianus , immunitatem hanc Eccleſiaſticam , ſive potius illius uſum exhibuit , ut eſt apud Euſebium lib. 10. Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. 7. , & in Orat. *de laudibus Conſtantini* : ſublatiſque Ethnicis , neminem ex Orthodoxis , & illibatæ Religionis Imperatoribus tributum de bonis Eccleſiarum exegiſſe , obſervat Cardinalis Cæſar Baronius To. 3. Annal. Eccleſ. ſub anno 387. num. 13. : & Juſtinianus etiam hanc Clericorum immunitatem reſpectu bonorum Edicto ſancivit , ut in L. *Sancimus* 2. C. *de ſacroſanctis Eccleſiis* , & Federicus in Authent. *Item nulla Communitas* C. *de ſanctiſſimis Epiſcopis* .

Neque a Jure poſitivo , & Imperatorum liberalitate , ſed a Jure divino ortum habuiſſe hujuſmodi immunitatem reſpectu bonorum fatendum eſt , ut diſertis verbis aſſeritur in dicto cap. *Quamquam , de Cenſibus* , ibi -- *Eccleſiæ , Eccleſiaſticæque perſonæ , & res ipſorum non ſolum jure humano , quin immo & divino a ſæcularium perſonarum exactione ſint immunes* -- : & in Conc. Trid. Seſs. 25. de refor. cap. 20. dicitur -- *Immunitas hæc Dei ordinatione , & Canonicis ſanctionibus inſtituta eſt* -- : nihilque refert hanc immunitatem reſpectu bonorum oculariter non legi ſcriptam in ſacris Scripturis : quia , ut juris divini dicatur , ſat eſt , quod ex teſtimoniis , vel exemplis ex ipſa ſacra Pagina depromptis , vel traditione Eccleſiæ deducatur ; prout egregie hæc immunitas deducitur ex Gen. cap. 47. , ubi Joſephus Prorex Pharaonis Sacerdotes , & eorum agros , etiam eis a Rege traditos , in primæva libertate dimiſit , quamvis reliquos totius populi ſervituti Regis ſubegetit ;

Digitized by Google

rit: & meminit etiam Joſephus Antiquit. Judaic. Lib. 4. cap. 4., & Diodor. Sicul. in 2. Lib. Hiſtor., & Herodot. in Euterpe Lib. 4. Hinc appoſite in dicto Con. Lateran., de quo in dict. cap. *Non minus*, *de immunit. Eccleſ.* infertur, non decere Eccleſiam Dei minus liberam eſſe tempore Principum Chriſtianorum, quam fuerit tempore Pharaonis. Immo & addi poteſt tempore Ethnicorum, qui Flamines, Augures, Salios, Feciales, alioſque Sacerdotes una cum bonis ipſorum immunes, & liberos a tributo reddebant, ut obſervat, & inde ad propoſitum noſtrum arguit Præpoſ. in cap. *Si tributum* num. 5., & ibidem Cardinal. tract. 11. q. 1., & ſequitur Joannes Antonius de Nigris in repet. Extravag. unic. num. 243. *de vita & honeſtate Clericorum*, Plot. in addit. ad ultim. Concil. Laud. ſub num. 8. Aliaque exempla deduci poſſunt ex 1. lib. Eſdræ cap. 7., & Numer. cap. 3., & luculentius teſtimonium patet apud Matth. cap. 17., ubi filius Regis, qualis eſt Chriſtus, qui eſt filius Regis Regum, eximitur a tributo Principis: Eccleſiam autem, & Eccleſiaſticas perſonas, tamquam ſponſam, familiareſque, & domeſticos Chriſti, eadem potiri prærogativa, inferunt S. Hieronymus ibidem, & S. Aug. lib. 1. quæſt. Evangelic. q. 23., Joan. Anton. de Nigr. in repet. dict. Extravag. unic. num. 223., & docte Suarez *ad Regem Angliæ*, de immunit. Eccleſ. lib. 4. cap. 5. num. 12., & cap. 8. num. 16., quæ teſtimonia, & exempla ad hanc rem recte perpendunt Card. Bellarm. Controv. To. 2. lib. 1. *de Clericis* cap. 28. in 4. & 5. propoſit., ubi pluribus comprobat hanc immunitatem eſſe de Jure divino: & idem firmarunt Joan. Montagn. de collat. Parlament. part. 2. num. 11....... Suarez dict. lib. 4. cap. 8. & 9., qui plures alios enumerat: & bona, dum Eccleſiæ traduntur, eo ipſo eximuntur a dominio, & poteſtate laicorum, & ex ſpeciali jure ſub dominio Chriſti Domini conſtituuntur, nec per metaphoram, ſed per omnimodam proprietatem, itaut tale dominium Chriſti in his bonis Eccleſiarum ſit proximum, & immediatum, illique dicatur acquiſitum tamquam principali Domino, ut per Innocent. in cap. *Cum ſuper* num. 3. *de cauſa poſſeſſ. & propr.*, & in cap. *Verum* num. 2. *de Foro compet.......*

Hactenus Barboſa. Si plura cupis ſuper hac re, vide inter Recentiores Lucium Ferraris ver. *Immunitas* art. 1. num. 7., & ver. *Bona* art. 2. num. 16., Clericatum *Erotemata Eccleſiaſtica* cap. 33., alioſque complures. Placet hic leges proferre omnino tres a Barboſa laudatas, unam ex Jure Canonico, & duas ex Civili: quibus addam quod legitur I. Eſdræ cap. 7.

*In diverſis mundi partibus Conſules Civitatum, & Rectores, nec non & alii, qui poteſtatem habere videntur, tot onera frequenter imponunt Eccleſiis, ut deterioris conditionis factum ſub eis Sacerdotium videatur, quam ſub Pharaone fuerit, qui legis divinæ notitiam non habebat. Ille quidem, omnibus aliis ſervituti ſubjectis, Sacerdotes, & poſſeſſiones eorum in priſtina libertate dimiſit, & eis alimoniam de publico adminiſtravit: iſti vero onera ſua fere univerſa imponunt Eccleſiis, & tot angariis eas affligunt, ut eis,*

*quod*

*quod Hieremias deplorat, competere videatur — PRINCEPS PROVINCIARVM FACTA EST SVB TRIBVTO —. Sive quidem foſſatam, ſive expeditiones, ſive alia qualibet ſibi arbitrentur agenda de bonis deputatis, volunt fere cuncta compleri. Juriſdictionem etiam, & auctoritatem Prælatorum ita evacuant, ut nihil poteſtatis eis in ſuis videatur hominibus remanſiſſe. Quocirca ſub anathematis diſtrictione fieri de cætero talia prohibemus .....* Con. Lateranenſe Extra *de immunitate Eccleſiarum* cap. *Non minus*.

*Sancimus, res ad venerabiles Eccleſias, vel Xenones, vel Monaſteria, vel Orphanotrophia, vel gerontocomia, vel ptochotrophia, vel noſocomia, vel brephotrophia, vel denique ad aliud tale conſortium deſcendentes ex qualicumque curiali liberalitate, ſive inter vivos, ſive mortis cauſa, ſive in ultimis voluntatibus habita, a lucrativorum inſcriptionibus liberas, immuneſque eſſe: lege ſcilicet, quæ ſuper hujuſmodi inſcriptionibus poſita eſt, in aliis quidem perſonis ſuum robur obtinente: in parte autem Eccleſiaſtica, vel aliarum domuum, quæ hujuſmodi piis conſortiis deputatæ ſunt, vigorem ſuum, pietatis intuitu, mitigante. Cur enim non faciamus diſcrimen inter res divinas, & humanas? Et quare non competens prærogativa cœleſti favore conſervetur? —* Juſtinianus C. *de Sacroſanctis Eccleſiis* L. 22. ſuper qua ad rem Gloſſa — *Conſuetudo, ſive lex erat, quæ dicebat, quod ſi quis Decurionum, vel Curialium vellet ſuam ſubſtantiam totam dare quoquo modo alicui, ſive in ultima voluntate, ſive inter vivos, certa pars, puta quarta, dabatur Curiæ. Hodie vero excipiuntur per hanc legem omnia loca venerabilia, ut eis Decuriones bona omnia dare poſſint, & Curia nil detrahat: & in aliis omnibus remaneat dicta conſuetudo —*.

*Item nulla Communitas, vel perſona publica, vel privata collectas, vel exactiones, angarias, vel parangarias Eccleſiis, vel aliis piis locis, aut Eccleſiaſticis perſonis imponere, aut invadere Eccleſiaſtica bona præſumant. Quod ſi fecerint, & requiſiti ab Eccleſia, vel Imperio emendare contempſerint, triplum refundant, & nihilominus bona Imperiali banno ſubjaceant quod abſque ſatisfactione debita nullatenus remittatur —* Fridericus Imperator in ſua Conſtitutione §. *Item nulla C. de Epiſcopis, & Clericis*.

*Vrbis quoque notum facimus, de univerſis Sacerdotis, & Levitis, & Cantoribus, & Janitoribus, Nathinæis, & Miniſtris domus Dei hujus, ut Vectigal, & tributum, & annonas, non habeatis poteſtatem imponendi ſuper eos —* Artaxerſes Rex I. Eſdræ 7. v. 24.

Animadverſione dignum eſt, quod ſuper hac re ſcribit idem Barboſa eodem libro, & capite §. 2. num. 200. & ſeq. — Nullus eſt, qui neſciat olim Hiſpaniam in turpiſſimum Maurorum jugum, fœdeſſimam Mahometanæ gentis ditionem deveniſſe, non ſolum ob ſodomiam, effrænatamque luxuriam, ſed præcipue quia in debita reverentia, & ſubjectione Sedis Apoſtolicæ defecit, ut auctor eſt Franciſcus Longus in Breviario Chronolog. anno Domini 704. pag. mihi 208. Juvat hac verba transferre — *Non alia*, inquit,

Digitized by Google

inquit, *major cauſa interceſſiſſe excogitari poteſt, cur regnum illud Deus impiis Saracenis tradiderit conculcandum, quam defectio a Sede Apoſtolica, non quidem in rebus fidei, ſed in juriſdictione, & temporalitate* —. Hæc ille.

Animadverſione pariter dignum eſt, quod adjicit idem Barboſa loco primum laudato num. 7. — Nec quicquam vero facit, antiquitus aliquando Clericos ſolviſſe tributa Principibus laicis, hancque exactionem ceſſaſſe iiſdem Principibus indulgentibus. Quoniam id accidit tempore, quo nondum Principes Evangelii jugo cervices ſubegerant, & facultas ipſa, ſeu immunitas a collectis & tributis Clero competebat quidem de jure, ſed adhuc de facto, & male exigebantur. Sic ipſa immunitas a jure divino profecta eſt; immunitatis autem uſus, ſeu exercitium emanavit a Principum Orthodoxorum ſanctionibus: quia Principes Chriſtiani non vere & proprie Eccleſiaſticis bonis exemptionem conceſſerunt, ſed potius detexerunt, & in eam a Deo conceſſam conſenſerunt, illiuſque exercitium juſſere. Et hoc bene agnovit Juſtinianus in dict. L. *Sancimus* C. *de Sacroſanctis Eccleſiis*, ibi — *Cur enim non facimus diſcrimen inter res divinas, & humanas?* — Hactenus Barboſa.

Scias interim oportet, bona Eccleſiaſtica triplicis eſſe generis. Primi generis ſunt ipſæmet materiales Eccleſiæ; item vaſa ſacra, veſtes, paramenta, & alia hujuſmodi ſive conſecrata, ſive benedicta ad cultum divinum legitime deputata. Bona hæc immunia ſemper ſunt ab omni laicali juriſdictione, ab omnibus laicalibus oneribus, tributis, & exactionibus: quia ipſa nullam temporalem afferunt utilitatem, & ad profanos uſus adhiberi nequeunt, *de conſecratione* diſt. 1. cap. 38. — *Ligna Eccleſiæ dedicatæ non debent ad aliud opus jungi niſi ad aliam Eccleſiam, vel igni ſunt comburenda, vel ad profectum in Monaſterio Fratribus, in Laicorum vero uſum non debent admitti* —. Et ibidem cap. 39. — *Altaris palla, cathedra, candelabrum, & velum, ſi fuerint vetuſtate conſumpta, incendio dentur: quia non licet ea, quæ in ſacrario fuerint, male tractari, ſed incendio univerſa tradantur. Cineres quoque eorum in Baptiſterium inferantur, ubi nullus tranſitum habeat, aut in pariete, aut in foſſis pavimentorum jactentur, ne introeuntium pedibus inquinentur* —: Item ibi cap. 41. — *In ſancta hac Apoſtolica Sede ſtatutum eſt, ut ſacra vaſa non ab aliis, quam a ſacratis, Dominoque dicatis contrectentur hominibus. Indignum enim valde eſt, ut ſacra Domini vaſa, quæcumque ſint, humanis uſibus ſerviant: aut ab aliis, quam a Domino famulantibus, eique dicatis tractentur viris* —. Item ibi cap. 42. — *Veſtimenta Eccleſiaſtica, quibus Domino miniſtratur, & ſacrata debent eſſe, & honeſta, quibus aliis in uſibus non debent frui, quam in Eccleſiaſticis, & Deo dignis officiis* —. Secundi generis ſunt bona temporalia Eccleſiarum, & Beneficiorum a Fundatoribus, aliiſque Fidelibus oblata, ſeu donata in ſuſtentationem Miniſtrorum, alioſve pios uſus, & præcipue in ornatum Eccleſiæ, & levamen pauperum. Tertii tandem generis ſunt bona temporalia pro-

propria Eccleſiarum, & Clericorum, ab ipſis titulo aliquo acquiſita, emptione puta, inventione, hæreditate, donatione, arte, labore, aliove titulo ſimili. Hæc bona ſive ſecundi, ſive tertii generis vel habent onera realia antiquitus adnexa, puta penſiones, præſtationes, aliave ſimilia ratione contractus, aut ex voluntate, & conventione Dominorum iiſdem impoſita: vel gravantur oneribus duntaxat perſonalibus, aut ad Eccleſiam tranſeunt omnino libera. Si primum, Eccleſia non liberatur ab illis oneribus, ſed debet ea ſolvere; dummodo onera ſint vera, realia, ipſis fundis infixa, impoſita bonis propter bona, non autem perſonis propter bona: dummodo item onera ſint perpetua, certa, & invariabilia, non autem aliquibus cauſis urgentibus invecta, & illis ceſſantibus removenda. Ratio eſt evidens: quia res tranſeunt cum onere ſuo Extra *de pignoribus* cap. *Ex literis — Cum etiam bona viri mulieri ſint pro dote tacite obligata, & cum ſuo onere tranſierint ad quemlibet poſſidentem —*: & Extra *de decimis* cap. *Cum non ſit — Quoniam res cum onere ſuo tranſit —*. Definitum id fuit Urbano Pontifice 23. q. 8. cap. *Tributum — quia de exterioribus Eccleſiæ, quod conſtitutum antiquitus eſt, pro pace & quiete, qua nos tueri, & defenſare debent, Imperatoribus perſolvendum eſt —*: & clarius a Trident. Synodo Seſs. 25. de reformatione cap. 5. — *Ratio poſtulat, ut illis, quæ bene conſtituta ſunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. Quando igitur ex Beneficiorum quorumcumque erectione, ſeu fundatione, aut aliis conſtitutionibus qualitates aliquæ requiruntur, ſeu certa illis onera ſunt injuncta in Beneficiorum collatione, ſeu in quacumque alia diſpoſitione, eis non derogetur. Idem in Præbendis Theologalibus, Magiſtralibus, Doctoralibus, aut Præbyteralibus, Diaconalibus, aut Subdiaconalibus, quandocumque ita conſtituta fuerint, obſervetur, ut eorum qualitatibus, vel ordinibus nihil in ulla proviſione detrahatur, & aliter facta proviſio ſubreptitia cenſeatur —*. Si poſtmodum ſecundum, quum libera tranſeant in patrimonium Chriſti, gravari nequeunt tributis, & oneribus laicalibus neque perſonalibus, neque realibus de novo imponendis, ſicuti ſuperius fuit oſtenſum. Rem hanc fuſe expendit Barboſa eod. Lib. & cap. §. 5. num. 35. & ſeq., & cum eodem in totum ſenſit Author Additionum ad Bibliothecam Ferraris, ubi de art. 2. ver. *Bona* num. 7. & ſeq. inquiens — Hinc autem facilis evadit reſolutio ejus quæſtionis, de qua agit Barboſa *Juris Eccleſiaſtici univerſi* lib. 1. cap. 39. §. 1. num. 35. an bona, quæ priuſquam Eccleſiæ obvenirent, obnoxia erant tributis, & oneribus, eo ipſo quod Eccleſiaſtica fiant, immunia evadant a tributis, & gabellis. Licetque nonnulli id ſimpliciter aſſeruerint, rectius tamen Barboſa, exploſis horum ſententiis, illa bona propterea Immunia fieri negat, quod tributa, & exactiones ſint onera ipſi rei inhærentia, ideobue ad Eccleſiam quoque tranſeant tamquam eorum poſſeſſorem. Intellige vero cum eodem Barboſa num. 57. de onere reali ipſi fundo inhærente, non autem perſonis propter bona impoſito. Probeque laudatus Auctor advertit,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

quod bona nullo onere antea affecta, libera quoque in Eccleſiam tranſeant: & mutata priſtina qualitate, ab extraordinariis, quæ noviter imponuntur, immunia ſint –. Hæc ille.

Ingenue tamen fatendum eſt, quod noſtris hiſce temporibus ſuper immunitate, aliiſque ſimilibus, de quibus in hac tractatione, attendenda ſunt pro Nationibus reſpectivis, & inſtar Regulæ eſſe debent privilegia ab Apoſtolica Sede nonnullis Catholicis Principibus conceſſa, & Concordata cum iiſdem reſpective inita.

TERTIUM DUBIUM. Utrum Prælati Viſitatores, vel famuli ipſorum aliquam pecuniam recipientes ab iis, quos viſitant, teneantur?

Reſpondeo, quod Archiepiſcopi, Epiſcopi, & quicumque alii Prælati, qui ordinario jure ſuos ſubditos viſitant, ſi recipiunt ab eis, quos viſitant, aliquid præter pecuniam pro moderatis expenſis faciendis in victualibus, dum viſitant: aut ſi aliquis de familia ipſorum Clericus, vel Laicus pecuniam recipit, ſive hoc faciat occaſione ſtatuti, vel officii, puta ſigilli, ſcripturæ, aut conſuetudinis, ſive quocumque alio modo: tenentur reddere duplum ſub pœna maledictionis æternæ, a qua non liberantur, niſi duplum reſtituant. Similiter ad idem tenentur, ſi ipſi, vel quiſque ſuorum aliquod munus quodcumque illud ſit, & qualitercumque offeratur, recipiant, niſi, ut dictum eſt, pro expenſis, & victualibus faciendis, dum viſitant. Niſi hi reſtituant duplum infra menſem, ſi fuerint Archiepiſcopi, Epiſcopi, vel Patriarchæ, interdictus eſt eis ingreſſus Eccleſiæ. Si vero prædictis ſunt inferiores, tamdiu ſunt ſuſpenſi ab Officio, & Beneficio, donec reſtituant, nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura. Patet hoc in cap. 1. 2. & 3. *de Cenſibus*. Lib. 6. in textu, & in Gloſsa.

(99) Doctrina iſtæc plana omnibus fiet, atque conſpicua ſola recitatione eorum Capitum, quæ ab Authore indicantur. *Procurationes autem recipiat, ſecundum quod eſt in Canonibus conſtitutum; nullam tamen pecuniam ipſe,*

*ipſe, vel aliquis de ſua familia, occaſione alicujus officii, aut conſuetudinis, ſeu quælibet alio modo earum nomine, ſed in victualibus expenſas tantum recipiat moderatas. Caveat inſuper, ne ipſe, vel quiſquam ſuorum aliquod munus, quodcumque ſit, & qualitercumque offeratur, præſumat recipere: ut non quæ ſua ſunt videatur quærere, ſed quæ Ieſu Chriſti. Quod ſi fuerit contra præſumptum, recipiens maledictionem incurrat, a qua numquam (niſi duplum reſtituat) liberetur: volumus enim in his fraudem quamlibet penitus evitari* --. Inno. IV. Extra de *Cenſibus* cap. 1. §. 5.

*Exigit perverſorum audacia, ut non ſimus ſola delictorum prohibitione contenti, ſed etiam pœnam delinquentibus imponamus. Conſtitutionem itaque felic. record. Innocentii Papæ IV. prædeceſſoris noſtri editam, ſuper non recipiendis in pecunia procurationibus, ac ſuper receptione munerum, viſitantibus, eorumque familiaribus interdicta, quam multorum fertur temeritas præterire, volentes inviolabiliter obſervari: eam decernimus pœnæ adjectione juvandam. Statuentes, ut univerſi, & ſinguli, qui ob procurationem ſibi ratione viſitationis debitam exigere pecuniam, vel etiam a volente recipere, vel alias Conſtitutionem ipſam recipiendo munera, ſive viſitationis officio non impenſo procurationem in victualibus, aut aliquid procurationis occaſione violare præſumpſerint, duplum ejus, quod receperint, Eccleſiæ, a qua id receptum fuerit, intra menſem reddere teneantur. Alioquin & tunc Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi duplum ipſum ultra prædictum tempus reſtituere differentes, ingreſſum ſibi Eccleſiæ ſentiant interdictum. Inferiores vero ab officio & Beneficio noverint ſe ſuſpenſos, quouſque de duplo hujuſmodi gravatis Eccleſiis plenariam ſatisfactionem impendant: nulla eis in hoc dantium remiſſione, liberalitate, ſeu gratia valitura* -- Gregorius X. in Con. Lugdun. ibidem cap. 2.

*Felicis recordationis Gregorius Papa X. prædeceſſor noſter prohibuit in Concilio Lugdunenſi, ne aliqui procurationem ſibi ratione viſitationis debitam exigere pecuniam præſumerent, vel etiam recipere a volente. Verum quoniam rerum experientia nos inſtruxit, ex hoc tam perſonis viſitantibus, quam locis, & Eccleſiis viſitatis multa incommodorum diſpendia provenire, concedimus, ut Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & alii, quibus ex officio competit viſitare, a volentibus Eccleſiarum, & locorum viſitatorum Rectoribus, ſeu perſonis pecuniam licite recipere valeant pro ſumptibus moderatis faciendis in victualibus, diebus, quibus viſitationis officium perſonaliter exercebunt: adjicientes. Quod non liceat viſitanti niſi unam procurationem recipere una die, ſive unum locum ſolum viſitaverit, ſive plura, etiamſi locus quilibet viſitatus ab illo ſufficeret ad procurationem integram perſolvendam, cum eidem ſufficere debeat, ut temporalia metat a locis perſonaliter viſitatis pro diebus, quibus eis ſpiritualia ſubminiſtrat: cetera vero in ejuſdem prædeceſſoris Conſtitutione contenta in ſuo volumus robore perdurare* --. Bonifacius VIII. ibid. cap. 3.

Placet adjicere, quod ſancivit Tridentina Synodus Seſſ. 24. de reform. cap. 3. -- *Itemque caveant, ne inutilibus ſumptibus cuiquam graves, oneroſi-*

*ve ſint; neve ipſi, aut quiſquam ſuorum quidquam procurationis cauſa pro viſitatione, etiam teſtamentorum ad pios uſus, præter id, quod ex relictis piis jure debetur, aut alio quovis nomine nec pecuniam, nec munus, quodcumque ſit, etiam qualitercumque offeratur, accipiant, non obſtante quacumque conſuetudine etiam immemorabili; exceptis tamen victualibus, quæ ſibi, ac ſuis frugaliter, moderateque pro temporis tantum neceſſitate. & non ultra, erunt miniſtranda. Sit tamen in optione eorum, qui viſitantur, ſi malint, ſolvere id, quod erat ab ipſis antea ſolvi, certa pecunia taxata, conſuetum, an vero prædicta victualia ſubminiſtrare: ſalvo item jure conventionum antiquarum cum Monaſteriis, aliiſve piis locis, aut Eccleſiis non Parochialibus inito, quod illæſum permaneat. In iis vero locis, ſeu Provinciis, ubi conſuetudo eſt, ut nec victualia, nec pecunia, nec quidquam aliud a viſitatoribus accipiatur, ſed omnia gratis fiant, ibi id obſervetur. Quod ſi quiſquam (quod abſit) aliquid amplius in ſupradictis omnibus caſibus accipere præſumpſerit, is præter dupli reſtitutionem intra menſem faciendam, aliis etiam pœnis juxta Conſtitutionem Concilii Generalis Lugdunenſis, quæ incipit, Exigit: nec non & aliis pœnis in Synodo Provinciali arbitrio Synodi abſque ulla ſpe veniæ mulctetur —.*

Procuratio, ad præſens quod attinet, definitur a Lucio Ferraris ver. *Procuratio* num. 1.— *Contributio ſumptuum, & expenſarum neceſſariarum pro victu, & honeſta ſuſtentatione tempore viſitationis præſtanda illis, qui Eccleſias Diœceſis viſitant.* Sub procuratione comprehenduntur omnia, quæ ſunt neceſſaria pro victu, nempe cibus, potus, & habitatio ipſius Viſitatoris, & honeſti comitatus ejuſdem. Item pabulum pro equis, & jumentis neceſſarium. Idem ibi num. 2. Procurationi non ſunt obnoxii parvi Conventus, quos ex Decreto Inno. X. viſitare poteſt Epiſcopus, ſicuti declaravit S. Congregatio ſuper ſtatu Regularium 25. Junii 1665., Decreto hac de re edito, & a Summo Pontifice approbato, tenoris ſequentis — *Cum S. Congregatio ſuper ſtatu Regularium alias conſulta: An Epiſcopus viſitans parvos Conventus ſuæ Juriſdictioni ſuppoſitos, aut perſonas in eis degentes ad præſcriptum Decreti ſan. mem. Innocentii X., quod incipit, Ut in parvis &c., poſſit a viſitatis procurationem exigere in victualibus, vel in pecunia, duxerit expedire, ut Sanctiſſimus Dominus Noſter decernat, & declaret non licere Epiſcopo tales Conventus viſitanti quicquam accipere procurationis nomine. Sanctitas ſua Congregationis ſententia audita, eam expreſſe approbavit, noluitque licere Epiſcopis hujuſmodi Conventus viſitantibus aliquid accipere procurationis nomine, ſeu in pecunia, ſeu in victualibus, & ita obſervari præcipit. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam in corpore Juris clauſis, cæteriſque contrariis quibuſcumque* Dat. Romæ die 25. Junii 1665.— Idem ibi num. 9.

Si petas abs me, quam pecuniæ ſummam præbere debeant Eccleſiæ, dum non ſubminiſtrant victuâlia, unice reſpondere poſſum, quod hæc debet eſſe moderata jure omni clamante. Quæ vero præciſe debeatur, generatim

ratim adſignari nequit attenta varietate locorum. Opportune ſuper hac re Gaudentius a Janua *de Viſitatione*. Dubitat. 6. Prœmiali num. 6. — Verum magis ſpecifice deinde in Ferentina 26. Martii 1735., in qua, propoſito dubio, — *An, & in qua ſumma, ſeu ſpecie taxanda ſit procuratio ſolvenda, ſeu ſubminiſtranda Epiſcopo viſitanti?*

S. Congregatio Concilii reſpondit — *Taxandam eſſe in ſcutis ſeptem, quatenus viſitandi nolint præſtare victualia danda in quantitate moderata ad formam Concilii*: ibi in reſponſ. ad ſecundum inter fol. publ. ejuſdem anni pag. 50. Quam ipſam ſummam clare conſtat, eſſe augendam, quando multiplicentur dies in viſitatione neceſſarii, attentis Eccleſiis pluribus, & locis piis non adeo perfunctorie, & per ſolam apparentiam viſitandis. Ideoque in Juvenacen. Procurationis ſub die 3. Septembris 1740. propoſito dubio — *An, & in qua ſumma, ſeu quantitate debeatur Epiſcopo Juvenacen. procuratio pro viſitationibus Eccleſiarum, & locorum piorum Oppidi Terlitii, expletis abſque ſolutione per tres vices, ſcilicet annis elapſis 1734., 1735., 1737.?* Sacra eadem Congregatio Concilii, auditis partibus, diſcuſſiſque earum rationibus, reſpondit contra Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ ejuſdem Terræ Terlitii, deberi — *pro utraque Viſitatione in ducatis bis centum, non comprehenſis ducatis ſeptemdecim jam ſolutis*. Inter fol. publ. ejuſdem anni 1740. Et repropoſita cauſa de anno 1742. 20. Januarii replicatum fuit — *In deciſis, & amplius* &c., inter fol. publ. an. 1742. pag. 2. Licet autem hujuſmodi deciſiones omnibus Diœceſibus, & locis nequaquam poſſint præciſe accomodari, ut cautum eſt; non deſunt tamen lumen aliquod præbere ſummæ ſubminiſtrandæ reſpective, attentis circumſtantiis, perſoniſque, ac Eccleſiis in majori, vel minori quantitate, ut diximus, Viſitationi ſubjectis — Hactenus ille.

QUARTUM DUBIUM. Utrum qui per metum aliquid extorſit ab aliquo, teneatur?

Reſpondet Petrus Caſuel tit. *de his quæ vi* &c., quod ſic. Et licet ſecundum leges civiles, ſi agatur contra eum intra annum, teneatur ad pœnam, & de eo quod habuit; ſi vero poſt annum, teneatur ſolum de eo, quod ad ipſum pervenit: quia ejuſmodi actiones quoad proſecutionem rei ſunt perpetuæ, quoad pœnam autem ſunt temporales Instit. *de perpetuis & temporalibus actionibus* in principio, & ff. *de vi, & vi armata* L. 1. pariter in principio, & ff. *quod metus cauſa* L. *Si cum exceptione* §. 1. 2. & 3. Tamen ſecundum Canones ita poteſt agi ad pœnam ſicut ad rem, quia

quia nulla condictio temporis poteſt opponi 3. q. 1. cap. *Redintegranda*, & ibi per Doctores, & cap. 2. Extra *de reſtitutione ſpoliatorum*. Immo poteſt quilibet poſseſsor conveniri de indiciis Extra *de tranſactionibus* cap. *Veniens*, *&* *de reſtitutione ſpoliatorum* cap. *Sæpe*.

(100) Metus definitur L. 1. ff. *quod metus cauſa* — *Inſtantis, vel futuri periculi cauſa mentis trepidatio* — & juxta Hoſtienſem tit. *de his, quæ vi, metuſque cauſa fiunt* num. 1. — *Dicitur metus, quaſi mentem ſcilicet liberam tenens, ideſt retinens, ſeu impediens: nam qui timorem habet, non quod ore ſemper exprimit, mente gerit* —. Quod fit per metum, generatim loquendo, ratum haberi non debet, textu expreſſo dicta L. 1. — *ait Prætor: quod metus cauſa geſtum erit, ratum non habebo* — Metus alter eſt probabilis, ſeu gravis, alter non probabilis, ſeu levis. Probabilis ex Hoſtienſi ibid. num. 2. hoc verſu continetur — *Excuſat carcer, ſtatus, mors, verbera, ſtuprum*, ſcilicet quando quis — *timet ſubverſionem ſtatus, vel ſtuprum in ſe, vel in filios, vel verbera, ſeu cruciatum corporis, vel vincula* —: & cadit in conſtantem virum. Non probabilis, ſeu levis, ex eodem — *eſt, quando cadit in miſerum hominem, & vecordem, qui timet timenda, & non timenda, & talis dicitur meticuloſus* —. Huc reſpiciunt L. 5. ff. eod. tit. — *Metum accipiendum Labeo dicit, non quemlibet timorem, ſed majoris malitatis* — (Gloſſa putat legendum forte eſſe calamitatis): & L. 6. ibid. — *Metum autem non vani hominis, ſed qui merito & in hominem conſtantiſſimum cadat, ad hoc Edictum pertinere dicemus* —. Metus item alter eſt juſte, alter injuſte incuſſus. Juſte incuſſus dicitur, cum quis minatur alteri gravem pœnam, niſi faciat id, ad quod tenetur ex juſtitia, puta ducendi in uxorem, vel dotandi puellam, quam violavit. Dicitur autem injuſte incuſſus, cum quis, minando gravem pœnam, alterum inducit ad faciendum, vel præſtandum id, ad quod nullo jure tenetur, puta ad ducendam puellam, ad quam nec jure promiſſionis, nec jure violationis cogi poteſt.

Author dubio procul metum ponit gravem, & inſimul injuſte incuſſum; ſi enim ſermo eſſet de metu levi, vel de gravi quidem, ſed juſte incuſſo, aliter foret conſtituendum. Dicit Author, quod ſecundum jura civilia, ſi contra hunc, qui per metum injuſte alteri incuſſum aliquid extorſit, agatur intra annum, tenetur is & ad rem, & ad pœnam; ſi vero elapſo jam anno, ad rem duntaxat, non autem ad pœnam. Et reipſa id præſtitutum eſt Inſtitut. *de perpetuis & temporalibus actionibus* in principio — *Hoc loco admonendi ſumus, eas quidem actiones, quæ ex lege, Senatuſve conſulto, ſive ex Sacris Conſtitutionibus proficiſcuntur, perpetuo ſolere antiquitus competere, donec ſacræ Conſtitutiones tam in rem, quam in perſonam actionibus certos fines dederunt; Eas vero, quæ ex propria Prætoris Juriſdi-*

*ctione*

*ctione pendent, plerumque intra annum vivere, nam & ipſius Prætoris intra annum erat imperium* —: & L. *Si cum exceptione* §. 1. & 2. ff. *quod metus cauſa* — *Si quis non reſtituat, in quadruplum in eum judicium pollicetur. Quadruplabitur autem omne, quodcumque reſtitui oportuit. Satis clementer cum eo Prætor egit, ut daret ei reſtituendi facultatem, ſi vult pœnam evitare. Poſt annum vero in ſimplum actionem pollicetur, ſed non ſemper, ſed cauſa cognita. In cauſæ autem cognitione verſatur, ut ſi alia actio non ſit, tunc hæc detur. Et ſane cum per metum facta injuria anno, & quidem utili exoleverit, idonea eſſe cauſa debet, ut poſt annum actio hæc dari debeat* —. Nihil poſtmodum refert, quod ille, qui convenitur, metum incuſſerit, aut metus incuſſus fuerit ab alio: quoniam ad rem ibid. §. 3. — *In hac actione non quæritur, utrum is, qui convenitur, an alius metum fecit; ſufficit enim hoc docere metum ſibi illatum, vel vim, & ex hac re eum, qui convenitur, etſi crimine caret, lucrum tamen ſenſiſſe. Nam cum metus habeat in ſe ignorantiam, merito quis non adſtringitur, ut deſignet quis ei metum, vel vim adhibuit; & ideo ad hoc tantum Actor adſtringitur, ut doceat metum in cauſa fuiſſe, ut alicui acceptum pecuniam faceret, vel rem traderet, vel quid aliud faceret. Nec cuiquam iniquum videtur, ex alieno facto alium in quadruplum condemnari: quia non ſtatim quadrupli eſt actio, ſed ſi res non reſtituatur* —. Subdit Author, quod jure canonico etiam poſt annum agi poteſt contra eundem & quoad rem, & quoad pœnam: idque probat tum hic, tum in Angelica ver. *Metus* num. 14. ex cap. *Redintegranda* 3. q. 1., quod eſt hujuſmodi — *Redintegranda ſunt omnia exſpoliatis, vel ejectis Epiſcopis præſentialiter ordinatione Pontificum, & in eo loco, unde abſceſſerant, funditus revocanda quacumque conditione temporis, aut captivitate, aut dolo aut violentia majorum* —. Gloſſa nihilominus ſuper hoc capite, & ſingillatim ſuper ver. *Captivitate*, videtur ſentire, quod in hac parte jus Canonicum ſequi debeat jus civile, ſcribens — *Si enim per vim aliquid ab eo extortum eſt, vel ablatum, intra annum poteſt agere contra dejectorem in quadruplum, poſt annum in ſimplum ff. DE VI ET VI ARMATA L. 1. Sed ſi per metum eſt extortum aliquid, tunc contra omnem poſſeſſorem agitur intra annum in quadruplum, cum non vult reſtituere ff. QVOD METVS CAVSA L. SI CVM EXCEPTIONE* §. 1. 2. & 3. — Hæc tamen omnia, ut puto, conſtituta ſunt pro foro judiciali tum civili, tum canonico: quoniam forum conſcientiæ quod reſpicit, qui ſic rem alienam extorſit, etiam poſt quodcumque tempus, tenetur reſtituere rem extortam, & inſuper compenſare fructus, damna, & omnia alia, ad quæ tenetur injuſte accipiens, & poſſeſſor malæ fidei.

Concludit Author, quod in hoc caſu quilibet poſſeſſor conveniri poteſt in jure canonico, quamvis in jure civili ſecus conſtituatur. Definitum reipſa id eſt ab Inno. III. cap. *Sæpe* Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* — *Sæpe contingit, quod ſpoliatus per ſpoliatorem in alium re translata, dum adver-*

ſus

*ſui poſſeſſorem non ſubvenitur per reſtitutionis beneficium eidem ſpoliato ; commodo poſſeſſionis amiſſo, propter difficultatem probationum, juris proprietatis amittit effectum. Unde non obſtante juris civilis rigore ſancimus, ut ſi quis de cætero ſcienter rem talem receperit, cum ſpoliatori quaſi ſuccedat in vitium (eo quod non multum intерſit, quoad periculum animæ injuſte detinere, ac invadere alienum) contra poſſeſſorem hujuſmodi, ſpoliato per reſtitutionis beneficium ſuccurratur* —. Ut Canonem hunc facilius percipias, ipſius declarationem exhibeo, quam edidit Gloſſa ſuper eodem — In jure civili cavetur, quod beneficium reſtitutionis contra ſpoliatorem tantum datur. Unde contingit aliquando, quod ſpoliator transfert in alium rem illam, qua alium ſpoliavit : & ſic ſpoliatus non poteſt petere reſtitutionem contra poſſeſſorem, qui non ſpoliavit. Unde oportet ipſum intentare contra poſſeſſorem judicium proprietatis. Sed propter difficultatem probationum amiſſo commodo poſſeſſionis ſpoliatus amittit proprietatem. Propter quod ſtatuit Concilium, ut non obſtante juris civilis vigore, ſi aliquis de cætero ſcienter rem talem receperit, cum ſpoliatori ſuccedat in vitium, contra hujuſmodi poſſeſſorem ſuccurratur ſpoliato per beneficium reſtitutionis : quia non multum intereſt quoad periculum animæ injuſte detinere, ac invadere alienum. Nota juris rigorem non eſſe ſervandum in caſu iſto propter vitium ſucceſſionis —. Hactenus Gloſſa.

Dices. Hoc Canone præſtituitur, *ſcienter* recipientem rem alienam, de qua in caſu, conveniri poſſe, & ſuccurrendum eſſe ſpoliato per beneficium reſtitutionis. Ergo, inferes, ſi ignoranter eandem quis accipiat, neſciens eam eſſe alienam, conveniri amplius non poterit, etſi non ſine maximo ſpoliati detrimento. Huic objectioni reſpondet Gloſſa ibid. inquiens, quod certe conveniri non poteſt vi hujus Canonis, quum expreſſim loquatur de ſcienter recipiente. Conveniri nihilominus poteſt vi Canonis *Redintegranda* ſupra recitati, & vi Decretalis Celeſtini III. *de judiciis* cap. 11. — *Quia V., qui violenter dicebatur Eccleſiam P. Clerici occupaſſe, defunctus eſt, ut accepimus, & R. eam poſtmodum eſt ingreſſus : præcipimus, ut ſecundum formam priorum literarum inter ipſos R. & P. ſub eiſdem Judicibus mediante ratione, ſicuti inter eundem P. & præfatum V. ſi viveret, negotium terminetur* —. Ratio eſt in promptu : quia vitium rei ſequitur omnem poſſeſſorem C. *de acquirenda & retinenda poſſeſſione* L. *Vitia*, quæ eſt hujuſmodi — *Vitia poſſeſſionum a majoribus contracta perdurant, & ſucceſſorem auctoris ſui culpa comitatur*, cui concinit Cap. *Cito turpem* 1. q. 1. — *Facto auctoris ſucceſſio damnatur hæredis* —.

Quintum Dubium. Utrum Dominus injuſte banniens, vel diffidans aliquem qui habet multa bona mobilia, vel immobilia in terra ſua, quæ iccirco rapiuntur, & dilapidantur, teneatur ? Reſpon-

Reſpondet Petrus prædictus tit. *de his, quæ vi metuſve cauſa fiunt*, quod ſic, de omnibus commiſſis, actione quæ metus cauſa L. *Si cum exceptione* §. *In hac actione* ff. *quod metus cauſa*: quia bannitio ejus fuit occaſio amiſſionis dicta L. *Si cum* & dicto §. *In hac actione*. Concordant Innocentius, & Hoſtienſis *de his, quæ vi* cap. ultimo. Nota ſecundum Archidiaconum eod. tit. cap. *Abſolutionis* lib. 6., quod metus debet hic, & in caſibus ſimilibus accipi large, ut ſonat litera, in odium ſcilicet facientis. Item quod idem tenendum eſt de quolibet incutiente timorem. Item quod ſequendum eſt arbitrium Judicis, utrum metus incuſsus ſit omnino ſufficiens, nec ne L. *Metus* ff. *Ex quibus cauſis majores*. Hæc pro Regula ſunt notanda.

(101) Bannire ſecundum dicta vulgarium videtur idem eſſe quod proſcribere: & dicitur bannitus quaſi proſcriptus de Civitate. Ita Vocabularium utriuſque Juris ver. *Bannire*. Vocabulo *diffidare* Author, ut ſeipſum explicat in Angelica ver. *Aſſaſſinus* num. 2., intelligit ſtatuere, & præcipere, quod aliquis impune poſſit occidi. Dubio procul Dominus injuſte hæc agens tenetur ad reſtitutionem in caſu, de quo agitur: quia ob culpam ſuam alter damnum eſt paſſus — *Si culpa tua datum eſt damnum ....... jure ſuper his ſatisfacere te oportet* —. Gregorius IX. Extra *de injuriis & damno dato* cap. ultimo.

Quod ſi bannum (Bannum ſecundum vulgare Gallicorum, & Lombardorum videtur eſſe Edictum publicum. Ita laudatum Vocabularium ver. *Bannum*) latum non eſt, ſed duntaxat ob metum ipſius quis fugiat de terra ſua, alio ſe recipiens, & exinde ſequatur damnum, de quo in caſu: videndum tunc eſt, an hujuſmodi metus fuerit ſufficiens, aut vanus. Si primum, certe Dominus tenetur ad reſtitutionem damni, quod fugiens paſſus eſt. Si vero ſecundum, Dominus ad nil tenetur; & iccirco jure optimo L. *Metum* 3. in principio ff. *quod metus cauſa* — *Si fundum meum dereliquero, audito quod quis cum armis veniret, an huic Edicto locus ſit? Et refert Labeonem exiſtimare, Edicto locum non eſſe, & VNDE VI Interdictum ceſſare; quoniam non videor vi dejectus, qui dejici non expectavi, ſed profugi* —. Ratio eſt: quia armati, de quibus hic, alio tendebant, ut notat Gloſſa ſuper hac lege. Utrumque complectitur Author in Angelica ver. *Bannum* num. 1. legem hanc exponens — *Nec obſtat ff. eod. L. Metum 3. in principio, ubi ſentiens armatos contra ſe venire, & fugiens, ſi occupatus fuit fundus, quem*

*fugiendo dimiſit*, *non tenentur armati*: *quia loquitur quando metus fuit vanus*, *quia forte contra eum non ibant*. *Sed ſi promiſiſſent ire contra eum*, *& hujuſmodi*, *bene tenerentur de omni damno*, *quod juraret ſibi contigiſſe eorum occaſione* --. In dubio: an metus ſufficiens fuerit, nec ne, Judicis ſententia definiri debet L. *Metus* ff. *Ex quibus cauſis* -- *Metus autem cauſa abeſſe videtur*, *qui juſto timore mortis*, *vel cruciatus corporis conterritus abeſt*, *& hoc ex affectu ejus intelligitur*. *Sed non ſufficit quolibet terrore abductum timuiſſe*, *ſed hujus rei diſquiſitio Judicis eſt*, ſicuti Author aſſerit, & concludit.

# OCtavus Titulus qui eſt de Pedagiis, continet tres quæſtiones; ſeu tria Dubia.

PRIMUM DUBIUM. Utrum Pedagia, quibus pro rebus, Guidagia, quibus pro aſſociatione, & Salinaria, quibus pro ſalis vendendi permiſſione, aliquid exigitur, ſint licita?

Reſpondeo quod ſic, ſi triplex ſequens cauſa interveniat, & tunc dicitur lex juſta ſecundum cap. *Erit autem* diſt. 4.

(102) En caput hic indicatum — *Erit autem lex honeſta, juſta, poſſibilis, ſecundum naturam, ſecundum patriæ conſuetudinem, loco, temporique conveniens, neceſſaria, utilis, manifeſta quoque, ne aliquid per obſcuritatem in captionem contineat, nullo privato commodo, ſed pro communi civium utilitate conſcripta* —

Primo, cauſa efficiens, quod ſcilicet ſint impoſita ab habente poteſtatem, puta Papa, Imperatore, Regibus, Concilio, vel ab aliis, quibus a prædictis conceditur auctoritas Extra *de verborum ſignificatione* cap. *Super quibuſdam*, & C. *nova vectigalia inſtitui non poſſe* per totum, & per Bartolum in L. *Vectigalia* ff. *de publicanis* in principio. Et nota, quod, ſi aliqua Civitas habet auctoritatem ea imponendi, non ſufficit, quod una pars conſentiat, ſed requiritur conſenſus majoris partis, eorum præſertim, quos tangit, ut vult Dominus Gaſpar Calderinus, cap. finali *de majoritate & obedientia*, & ff. *de aqua & aquæ pluviæ arcendæ* L. *In concedendo*, & ff. *de adoptionibus* L. *Nam ita Divus*, & Extra *de temporibus ordinationum* cap. *Si Archiepiſcopus*, & Extra *de officio Archidiaconi* cap. *Ad hæc nos dicimus*, & *de Regulis Juris* lib. 6. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*, & C. *de auctoritate præſtanda* L. ultima.



(103) Ho-

(153) Hoſtienſis tit. *de cenſibus* num. 8. & ſeq. videtur opinari, quod ſolus Imperator, ſive Rex Romanorum poſſit imponere pedagia: *niſi*, ut ipſe ſcribit loquens de Rege Franciæ, *& populus ſibi eandem poteſtatem dederit, quæ & Imperatori data eſt* —: Immo ita expreſſe docet num. 10. inquiens — *quod autem dicunt, quod Rex poteſt concedere pedagium, intellige de Rege Romanorum, non de alio* —. Hinc poſſet reſpicere L. *Vectigalia* ff. *de publicanis* — *Vectigalia ſine Imperatorum præcepto neque Præſidi, neque Curatori, neque Curiæ conſtituere, nec præcedentia reformare, & his vel addere, vel diminuere licet* —. Sed Innocentius in cap. *Innovamus* Extra *de cenſibus* ſecus opinatus eſt, Regibus omnibus, & Principibus concedens hujuſmodi facultatem. *Idem tenet Panormitanus in cap. INNOVAMUS, DE CENSIBUS, dicens, quod hodie Reges inferiores præſcripſerunt in eorum regnis jura Imperatorum: quo caſu poſſunt prædicta exercere ut Imperator. Et ſic videmus hodie in aliquibus Communitatibus Italiæ, quæ videntur hoc præſcribere* —. Ita apud Roſellam ver. *Pedagium* num. 2. Inter omnes igitur in præſentia convenit, quod cuncti ſupremi Principes, & qui ab ipſis facultatem obtinuerunt legitima conſuetudine præſcriptam, imponere poſſunt pedagia, guidagia, hujus generis alia, ſicuti in omnibus pene mundi partibus tactitatur, & evidenter uſque colligitur ex citato cap. *Innovamus* — *Nec quiſquam alicui novas pedagiorum exactiones ſine auctoritate, & conſenſu Regum, & Principum ſtatuere aliquo modo præſumat* —.

Quum pedagiorum, aliorumque cenſuum impoſitio non ſit res favorabilis, ſed odioſa ſolventibus, merito ſubdit Author, quod conſenſus majoris partis eſt exquirendus dum imponitur a Communitate — *Cum enim* (ait L. *In concedendo* ff. *de aqua & aquæ pluviæ*) *minuitur jus eorum, conſequens fuit exquiri, an conſentiant* —. Nec te moveat, quod in Regula Juris hic laudata dicatur — *Debet ab omnibus approbari* —: quoniam ad item Gloſſa ſuper ead. Regula — *Sed ibi ſubauditur vel majoris partis, ut ibi notatur in ultima Gloſſa, nam illud dicuntur omnes facere, quod facit major pars* —, textu expreſſo L. *Quod major* ff. *ad Municipalem* — *Quod major pars Curiæ effecit, pro eo habetur, ac ſi omnes egerint* —.

Secundo, cauſa finalis, quæ etiam dici poteſt formalis, quod ſcilicet imponantur ob bonum commune, vel propter juſtam cauſam, ut defenſio patriæ, tranſeuntium, vel navigantium, inſtauratio pontium, & hujuſmodi: & quod ſint moderata. Nam dicit Petrus de Ancharano, quod, quando imponuntur pro publicis neceſſitatibus, non poſſunt in conſcientia fraudari, ſi ſint moderata, L. *Veluti* ff. *de juſtitia & jure*. Publicas neceſſitates appellat Bartolus in L. *Uni-*

L. *Univerſi* C. *de vectigalibus*, ſtipendia publicæ poteſtatis, defenſio domus, ſtratæ, et hujuſmodi. Moderata autem dici non poſſunt, quando mercatores ea ſolventes quaſi coguntur ad faciendas deceptiones, ne perdant in mercibus: vel quando artifices vivere non poſſunt, et hujuſmodi. Et quod hac cauſa debeant eſſe veſtita, patet 24. q. 3. cap. *Si quis Romipetas*, juncto cap. *Innovamus* Extra *de treuga & pace*, et cap. *Pervenit*, et cap. *Cum Apoſtolus* Extra *de cenſibus*, et L. *Vectigalia* ff. *de publicanis*, et ibi per Doctores.

(104) Quotquot Scriptores hac ſuper re mentem aperuere ſuam, omnes conveniunt, quod pedagia, & ſimilia, imponi nequeunt niſi *juſta* de cauſa, & cum moderamine. Ratio eſt, quia Domini hæc imponentes ſunt Patres populi, & non hoſtes ipſius. Hoſtes autem fierent, ſi nulla neceſſitate ducti, & ut magis magiſque indebitis voluptatibus indulgere poſſent, vellent ſugere ſanguinem pauperum. Opportune iccirco Concilium Lateranenſe Extra *de cenſibus* cap. *Cum Apoſtolus* §. *Prohibemus* — *Prohibemus etiam, ne ſubditos ſuos tallIis, & exactionibus Epiſcopi gravare præſumant. Suſtinemus autem pro multis neceſſitatibus, quæ aliquoties ſuperveniunt, ut; ſi manifeſta, ac rationabilis cauſa extiterit, cum charitate moderatum ab eis valeant auxilium poſtulare. Cum enim dicat Apoſtolus: NON DEBENT FILII THESAURIZARE PARENTIBUS, SED PARENTES FILIIS* — (2. Cor. 12.): *multum longe a paterna pietate videtur, ſi præpoſiti ſubditis ſuis graves exiſtant, quos in cunctis neceſſitatibus paſtoris debent more fovere* —. Sermo quidem ibi eſt de Epiſcopis; ſed paritate rationis idem ſtatuendum videtur pro Dominis ſæcularibus, quos hac de cauſa improbat Roſella ver. *Pedagium* num. 5., mores ſui temporis reſpiciens — *Sic tamen, quod ſint moderata, & non ad gravamen ſubditorum, ut communiter fit in Italia: quia non ſolum pauperes ex hujuſmodi collectis immoderatis gravantur, verum etiam nobiles, & boni mercatores* —. De Dominis quapropter ſæcularibus inquit Card. de Lugo Diſput. 36. ſect. 3. — *Neque enim boni Medici eſt, corpus ſanguinis emiſſione uſque ad deliquium extenuare, niſi in extremo vitæ periculo, cui aliter ſubveniri non poteſt: & experientia conſtat potentiſſimas, & opulentiſſimas Reſpublicas nimiis exactionibus, & oneribus ſenſim ita debilitatas fuiſſe, ut in ultimam tandem ruinam pervenerint* —.

Tertio, cauſa materialis, quod nempe inſtituantur ſuper iis, quæ deferuntur cauſa negotiationis: nam ſuper his, quæ

quæ quis defert cauſa neceſsitatis videlicet pro victu ſui, ſuæque familiæ, vectigal imponi non poteſt dicta L. *Univerſi*. Nec valet conſuetudo in contrarium ſecundum Hoſtienſem: quod intelligo verum quoad extraneos, non quoad ſubditos, reſpectu quorum poteſt Rex. vel Dominus ex neceſsitate imponere vectigal etiam ſuper victualibus. Negotiator porro ille eſt, qui rem emit, ut immutatam carius vendat 88. diſt. cap. *Ejiciens*. Qui enim emit, ut cum ea laboret, ſicuti faciunt artifices, non eſt proprie negotiator. Similiter nec Clericus, qui emit vinum pro ſe, et poſtmodum coactus recedere de eo loco, ipſum vendit, non eſt negotiator. Et ideo ex hujuſmodi vectigal, ſive Pedagium exigi non poteſt cap. *Quamquam* lib. 6. *de cenſibus*, et Extra *de verborum ſignificatione* cap. *Super quibuſdam*.

(105) Hoſtienſis reipſa firmiter tenuit, pro rebus ad victum neceſſariis imponi non poſſe pedagia. En ipſius verba tit. *de cenſibus* num. 10. — Quid ſi quis facit deportari bladum, vel vinum, vel alias res ad uſum ſuum, ideſt vitæ ſuæ, & familiæ ſuæ neceſſarias, ut ff. *de uſu & habitatione* L. 2. §. 1., & L. *Plenum* §. 1.: numquid tenetur dare pedagium pro his rebus? Et videtur, quod ſic: quia tenet conſuetudo, quæ in talibus ſervanda eſt ff. *de publicanis & vectigalibus* L. *Si publicanus* §. finali. Sed certe talis conſuetudo eſt irrationabilis, & ſic non eſt tenenda, ut ſupra *de conſuetudine* cap. finali. Dicas ergo proxime dictam legem intelligi quoad loca, & res alias, quæ cauſa mercimonii deferuntur, ut ſequitur: nam in his tribuit jus conſuetudo, cujus non extat memoria, ut notatur infra eod. ver. *Exactiones*. Dic s igitur, quod de his, de quibus dictum eſt ſupra, nullum debet pedagium exigi: quia non datur niſi de his rebus, quæ cauſa negotiationis, ſeu mercimonii vehuntur C. *de vectigalibus & commiſſis* L. *Omnium* verſus finem. Quod ſi quis contravenerit, ſecundum legem decapitari debet, ut dicit lex expreſſe C. *de vectigalibus & commiſſis* L. *Univerſi Provinciales* —. Hactenus Hoſtienſis, quem bene multi ſecuti ſunt, Alteſanus nempe lib. 1. tit. 32. art. 4., Author in Angelica ver. *Pedagium* num. 3., Cajetanus, aliique: quemque præiviſſe videtur lex ab eodem poſtremo citata, quæ eſt hujuſmodi — *Univerſi Provinciales pro his rebus, quas ad uſum proprium, vel ad Fiſcum inferunt, vel exercendi ruris gratia vehuntur, nullum vectigal a Stationariis exigatur. Ea vero, quæ extra prædictas cauſas, vel negotiationis gratia portantur, ſolitæ præſtationi, vel penſitationi ſubjugamus*:

Digitized by Google

*gamus : capitali pœna propoſita ſtationariis , & urbanis militibus , & cæteris perſonis , quorum avaritia id tentari firmatur* —.

Secus certe opinatus eſt S. Antoninus : nam part. 2. tit. 1. cap. 13. §. 9., declarata Hoſtienſis opinione , mentem ſuam ita aperuit ſubdens — Si pedagium , & gabella ſumatur pro eodem , contrarium ſervatur de facto in Civitatibus Tuſciæ , ſcilicet Florentiæ , & aliis multis , quia de omnibus prædictis exigitur gabella . Et cum dicta gabella ſit impoſita per ſtatutum Civitatis per modum cujuſdam taleæ , ſeu impoſitionis , & collectæ pro expenſis faciendis in utilitatem Communitatis : dicendum quod Civitas exigens dictas gabellas pro victualibus , ſive regatur per unum , ut Ducem , Marchionem , Principem , & hujuſmodi , ſive per plures de populo , ut Priores , Conſules , Antianos , & hujuſmodi : ſi habent poteſtatem leges condendi , & imponendi collectas , quod eſt præſumendum ſi ex more antiquo hoc faciant , cujus memoria non extat in contrarium : videtur etiam poſſe imponere ſolutione dictarum gabellarum pro ſui adjutorio , & defenſione . Quamvis enim populus aliquis non poſſit facere legem generalem , quia hoc eſt Imperatoris , ut notant Joannes & Archidiaconus diſt. 2. cap. *Lex* , ſpecialem tamen facere poteſt , & in hoc conſentit Princeps ff. *de juſtitia & jure* L. *Omnes populi* . Sic etiam collectam ſpecialem facere , & imponere poteſt pro ſuis neceſſitatibus , etſi non generalem , ut exactionem pedagiorum , ſine licentia Principis . Quin immo per legem municipalem , quæ dicitur ſtatutum , ſive reformatio apud quoſdam , derogatur legi communi , ut patet in materia dotium , & ſucceſſionum , & aliorum . Ad quod facit Regula juris — *Generi per ſpeciem derogatur* — *de regulis juris* in Sexto . Et ſic ſi gabella includatur ſub nomine pedagii , vel ſit idem , non obſtabit , quod lex communis prohibeat exigi pedagium , vel gabellam de victualibus , & hujuſmodi : quando vel lex municipalis , vel conſuetudo præſcripta habeat contrarium , cum conſuetudo rationabilis & præſcripta tollat legem , ut Extra *de conſuetudine* cap. ultimo . Nec videtur irrationabilis conſuetudo , cum ſit neceſſarium pro expenſis ſupplendis Communitatis , & Civitatis defenſione : qui omnes cives debent ſe , & ſua exponere pro patriæ defenſione . Requiritur autem licentia Principis ad imponendum pedagium , quæ videtur fore obtenta , ſi extat conſuetum , nec eſt memoria in contrarium . Præſuppoſita igitur licentia habita a Principe , ſi gabella nomine pedagii intelligatur , & multo magis ſi gabella ſit non ut pedagium , ſed ut collecta : videtur , quod teneantur homines ſolvere gabellas de victualibus , & quibuſcumque , & contrarium faciendo ſit furtum , & tenentur reſtituere Communitati , vel ementibus eas : niſi iſta exactio gabellarum fieret ab his , qui non habent legitimum dominium , ſeu titulum juſtificatum inibi : vel niſi illi , qui fraudaverunt , aliis impoſitionibus & modis ultra proportionem eſſent gravati nimis : vel cum eſſent graves gabellæ , & ſine neceſſitate impoſitæ , & utilitate Communitatis , ſed ad nutrien-

trien-

triendum pompam, & avaritiam aliquorum Principum, vel civium. Alias ſolvi debent dictæ gabellæ, ut dictum eſt. Ad quod facit Auguſtinus — *Pactum inter ſe Civitatis, aut gentis conſuetudine, vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur* — diſt. 8. cap. *Quæ contra* —. Hæc S. Antoninus Hoſtienſem refellens, quem inter alios ſequitur Roſella ver. *Pedagium* num. 6. ſubjiciens — *Et hæc ultimo dicta optime declarant, quando hujuſmodi gabellæ ſint licitæ, vel non, non obſtante quod pro victualibus, & hujuſmodi ad victum neceſſariis, de jure nihil ſolvi deberet* —.

Aliquid faceſſere negotii poteſt, quod exactio pedagiorum primo intuitu videtur magis gravare pauperem, quam divitem. Sed audiamus Mastrium in ſua Theologia Morali diſput. 6. quæſt. 1. art. 2. num. 18. hoc ipſum diligenter expendentem —. Controverſia eſt inter Doctores, an ſit juſtum tributum, quod imponitur ſolvendum ex rebus, quæ communiter ad uſum vitæ humanæ emuntur, ut ex pane, vino, oleo, carnibus, &c. Prima ſententia negat, quia in his plus gravatur pauper, quam dives, & ex pauperibus ipſis magis pauper, qui ſcilicet plures habet filios, ad quos alendos plura emere cogitur: divites vero & nobiles plura ex his habent ex ſuis poſſeſſionibus, abſque eo quod emere cogantur; atque ideo nihil ſolvunt. Unde pauperes, qui ea emere coguntur, totum eorum tributorum pondus portant. Ita Hoſtienſis, Cajetanus, Angelus, Tabiena, Ledeſma, & alii. Secunda ſententia affirmat, quia in horum tributorum impoſitione adhuc ſervatur æqualitas geometrica quantum fieri poteſt: quia licet pauperes cogantur emere, plura tamen emunt divites & nobiles una die, quam pauperes emant uno menſe, propter majorem familiam, quam habent, & propter lautiorem victum, quo utuntur; & ideo per ſe & regulariter loquendo, magis gravatur dives, qui multo majorem familiam habere ſolet, & plura emere. Deinde quamvis aliquis in particulari hic & nunc pauperior magis gravaretur, tamen id compenſari poteſt per hoc, quod cum artifices, operarii, & alii majori pretio ſibi victum comparant propter tributa ſolvenda ex illis rebus emptis, carius ſuas operas divitibus locare poſſunt pro rata ſui gravaminis, ut lucrum, & victum ſolitum ſibi comparent. Et hæc eſt ſententia communior, quam tenent Sylveſter, Navarrus, Molina, Vaſquez, Lugo, Suarez, Leſſius, Turrianus, Reginaldus, Diana, Poncius ex noſtris, & alii communiter. Quorum tamen peritiores addunt conandum eſſe quantum fieri poteſt, ne tributa in rebus ad vitam neceſſariis, & communibus imponantur: & æquiora eſſe, quando in rebus non neceſſariis, ſed ad delitias, elegantiam, & luxum ſpectantibus imponerentur, ut in pannis pretioſis, ſericis, vaſis argenteis, vinis, ac eduliis pretioſis, & ſimilibus, quæ pauperibus non ſunt communia, nec ad victum humanum neceſſaria —. Hactenus ille.

Diſtinctio ab Authore hic appoſita, extraneorum ſcilicet a ſubditis, ut, cauſa juſta id poſtulante, pedagium imponi poſſit ſubditis, non extraneis,

neis, uſurpata & ipſa fuit, atque probata a Nicolao de Auximo in Supplemento ver. *Pedagium*. Hanc eandem & ipſe probo, ſi generatim loquamur: quia lex non fertur niſi in ſubditos. At ſi ſermo ſit, quemadmodum eſſe debet, de illis extraneis, qui, etſi alibi fixum habeant domicilium, tranſeunt tamen per loca, in quibus pedagium ſuper neceſſariis ad vitam juſte fuit impoſitum: quum hos immunes non dixerit S. Antoninus, nec ego eoſdem dico a debito ſolutionis immunes. Tenentur hi legibus locorum, per quæ tranſeunt, dum leges latæ ſunt ob bonum commune, ut oſtendit Ferraris ver. *Lex* art. 3. num. 45. Ratio eſt in promptu. Participant ipſi de utilitate, ſi quæ eſt, in emendis rebus eo in loco. Participent igitur etiam de onere, ſi quod fuit impoſitum pro earumdem delatione: quia tametſi non ſint per ſe ſubditi illius loci, per accidens tamen ſubditi & ipſi revera ſunt, donec ſcilicet inibi commorantur. *Pactum* (ait S. Auguſtinus a S. Antonino laudatus) *inter ſe Civitatis, aut gentis conſuetudine, vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens* —.

Nota, quod a Clericis, & Presbyteris Eccleſiaſticis, & ab Eccleſiis Pedagia, vel Guidagia, vel taleæ pro rebus ſuis, quas non cauſa negotiationis deferunt, vel deferre faciunt, exigi non poſſunt, non obſtante quacumque conſuetudine in contrarium. Alioquin, ſi ſunt perſonæ ſæculares excommunicationem, ſi Collegium, vel Univerſitas Civitatis, Caſtri, vel Loci, Interdicti ſententiam ipſo facto incurrunt: nec poſſunt abſolvi, niſi plenarie reſtituant cap. *Quamquam* Lib. *6. de cenſibus*.

(106) Author hac in re nihil ſuo marte protulit, ſed totum quantumcumque eſt, id deprompſit ex citato cap. *Quamquam*, quod eſt Bonifacii VIII. ita conceptum — *Quamquam pedagiorum exactiones tum jure Canonico, quam civili regulariter merito ſint damnatæ: tanto tamen diſtrictius, ne ab Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis talia exigantur, prohiberi oportet, quanto, ſi id fiat, major inde tranſgreſſionis reatus incurritur, & offenſa evidentior comprobatur. Cum igitur Eccleſiæ, Eccleſiaſticæque perſonæ, ac res ipſarum non ſolum jure humano, quin immo & divino a ſæcularium perſonarum exactionibus ſint immunes: Conſtitutionem felic. record. Alexandri Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri (qui ſtatuit Eccleſias & perſonas Eccleſiaſticas ad pedagia, & guidagia penitus non teneri, nec ad exibendum, vel ſolvendum talia pro rebus ſuis propriis, quas non cauſa negotiandi deferunt, vel deferri faciunt, ſeu tranſmittunt): Volentes propter multorum inſolentiam, &* abu-



Digitized by Google

*abuſum pœnæ adminiculo adjuvare, adjicimus diſtrictius inhibendo (contraria conſuetudine quorumcumque, quæ dicenda eſt corruptela verius, non obſtante) ut nec Collegium, nec Univerſitas, nec aliqua etiam ſingularis perſona, cujuſcumque ſit dignitatis, conditionis, aut ſtatus, a præfatis Eccleſiis, ſeu perſonis, pro perſonis ipſis, aut rebus prædictis talia exigat, vel extorqueat per ſe vel per alium, ſuo nomine, vel etiam alieno, aut eas ad hujuſmodi perſolvenda compellat. Qui vero contra fecerint, ſi perſonæ fuerint ſingulares, excommunicationis: ſi autem Collegium, vel Univerſitas Civitatis, Caſtri, ſeu Loci alterius cujuſcumque, ipſa Civitas, Caſtrum, vel Locus Interdicti ſententias ipſo facto incurrant: nec ab excommunicatione hujuſmodi abſolutionem, vel Interdicti relaxationem obtineant, donec exacta plenarie reſtituerint, & de tranſgreſſione ſatisfecerint competenter —.*

Et ſuper hac re attendi debent legitima Concordata, ſi quæ ſunt, in favorem quorundam Principum Catholicorum, & juxta ea, nihil omnino addendo, nihilque detrahendo, definitivum in caſu propoſito ferendum eſt judicium.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum fraudantes gabellas, ſeu pedagia, vel guidagia, teneantur?

Reſpondeo ſecundum Monaldum tit. *Reſtitutio tertio*; quod. ſic. Et hoc intellige, ſi exigentes pro poſſe ſuo faciunt illud, pro quo ea fuerunt inſtituta. Non requiritur tamen, quod ſemper laborent; ſed ſufficit, quod ſint parati, quando neceſſitas id poſtulat. Quod ſi non faciunt, tenentur reſtituere quidquid exigunt. Et multo magis ſecundum Hoſtienſem, ſi conſtat, quod ſint impoſita, ut defendant mercatores, & alios in rebus, & in perſona 23. q. 2. cap. *Dominus*. Concordat Petrus de Caſuel tit. *de Pedagiis*.

(107) Super hac re egregie S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 13. §. 8. — *Non ſolventes autem dicta pedagia, & thelonea, cum injuſta ſunt:-quia ſcilicet non ſunt inſtituta cum auctoritate Principis; vel ex injuſta cauſa, quod tamen credi non debet, niſi probabiliter ſciatur; vel etiamſi juſta de cauſa, & ab his, qui potuerunt, tamen non ſervant illud, propter quod fuit inſtitutum, ſcilicet in tenendo loca ſecura, & hujuſmodi: non peccant, nec tenentur reſtituere ſecundum Ray.: quia ceſſante cauſa in exigente ceſſat effectus, & obligatio in dante, & illo non ſervante fidem nec ipſi tenentur 61. diſt. §. HIS OMNIBUS, & DE JUREJURANDO cap. PERVENIT. Caveant tamen a mendaciis ſemper, quia peccata ſunt. Non ſolventes autem licita*

*circa pedagia, & thelonea, quæ ſcilicet ſunt inſtituta a quibus debent, cum juſta cauſa, & obſervata, rapinam faciunt, ſeu furtum ſecundum Ray.; unde tenentur ad reſtituendum illis, quibus talia debentur, & agere debent pœnitentiam de peccato hujuſmodi, & de mendaciis, & perjuriis, & aliis vitiis additis. Unde Apoſtolus ad Rom. 13. REDDITE OMNIBUS DEBITA, CUI TRIBUTUM &c. Verum ad pœnas, quæ inflictæ ſunt a jure communi, vel municipali contra facientes in hujuſmodi fraudem dupli, vel quadrupli, vel amiſſionis illorum mercimoniorum, in quibus fiebat fraus, non tenentur in foro conſcientiæ, niſi fuerint deprehenſi, & condemnati ſecundum Thomam 2. 2., & Guillelmum in Gloſſa ſuper cap. FRATERNITAS 12. q. 2. in fine —.*

Ingenue fateor, Authorem in Angelica ver. *Pedagium* num. 6. ſcripſiſſe — *Nec etiam credo peccent mortaliter fraudantes, quamvis prædicti laborent in prædictis pro loco, & tempore. Ratio, quia communiter ſic inſtituuntur: ſcilicet ſtatuimus, quod quilibet ſolvat &c., ſub pœna cadendi in promiſſum, ſi taliter inventus fuerit. Et ideo illud ſtatutum non obligat ad mortale, ut ſupra ver. INOBEDIENTIA §. 1. Nec etiam ad pœnam, ut tenet Gloſſa in cap. FRATERNITAS 12. q. 2., niſi poſt condemnationem. Si objiciat, quod damnificantur gabellas ementes: Ad hoc reſpondeo, quod ſuum damnum, quia ita & ſub iſta conditione emunt, ut vigilent; alias ſibi imputetur. Si vero ſtatutum, ex quo imponuntur, eſſet præceptivum, ſic haberet locum quod communiter tenent Doctores..... Conſulo ergo Confeſſoribus, quod videant Decreta dictorum pedagiorum, ut poſſint bonum judicium dare, utrum ſint obligatoria ad culpam, vel ne* —. Immo fateor, nonnullos, quos recenſet Mattrius Theolog. Moral. diſput. 6. q. 1. art. 2. num. 19. nulla adhibita diſtinctione tueri, legem tributorum, ſive vectigalium unice eſſe pœnalem, & in foro conſcientiæ duntaxat ligare, quando ea fraudans deprehenſus eſt, & damnatus ad eadem ſolvenda. Verum quum Nicolaus de Lyra ſub initio capitis 10. Epiſt. ad Rom. vere ſcripſerit — *Ex ordinatione vero divina eſt, quod ſuperiores regant inferiores, & inferiores eis obediant, ut patet in natura corporali in elementis, quæ reguntur ex influentia corporis cæleſtis* —, & poſtmodum ſuper verſ. 5. & 6., in quibus dicitur — *Ideo neceſſitate ſubditi eſtote non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes* — ſapienter adnotaverit — *Ideoque neceſſitati. Hic oſtendit, quod inferiores debent ſuperioribus ſubventionem ad neceſſaria ſecundum ſtatus ſui conditionem, quia nemo militat ſuis ſtipendiis, & hoc eſt quod dicitur, ideoque neceſſitati, ſcilicet ſuperiorum procurandæ. Subditi eſtote, ſolvendo ratam veſtram debitam. Non ſolum propter iram, ideſt punitionem vitandam. Sed etiam propter conſcientiam: quia quilibet tenetur reddere debitum, & explicat magis in ſpirituali. Ideo enim & tributa præſtatis; ad hoc enim principaliter ſunt inſtituta. Miniſtri enim Dei ſunt: quia ſunt executores ſuæ juſti-*

*juſtitiæ. In hoc ipſum ſervientes, ſcilicet Deo, & etiam hominibus Rempublicam conſervantes; ideo concludit: Reddite ergo omnibus debita, cui tributum: ſcilicet Principibus; eſt enim tributum, quod redditur pro tota patria, Cui vectigal, pro vectione rerum, cujuſmodi ſunt pedagia, & hoc ſolvitur a ſingulari perſona: quia non omnes talia habent ſolvere, quæ reddenda ſunt pedagiariis, qui communiter hoc accipiunt ad finem talem*—: recte inferunt complures, ſolutionem tributorum non ſolum eſſe de jure naturali, ſed etiam de jure divino: recte inferunt, legem tributorum non eſſe mere pœnalem, ſed mixtam, & pœnas adjici, ut efficacius ſubditi ad obſervantiam inducantur. Jure igitur Alphonſus noſter de Caſtro lib. 1. cap. 10. de lege pœnali — *Ex hac falſa doctrina mihi conſtat multos denegaſſe Regi Hiſpaniæ tributa. Rem mihi notam narro, quam ego ipſe vidi, & non quam ex aliorum relatione didici. Nam multi mercatores in variis Hiſpaniæ locis me de hac re conſuluerunt, quibus conſtanter, & eodem tenore ſemper reſpondebam, illos, qui talia tributa denegant, peccare mortaliter, & teneri ad reſtitutionem..... Hæc cauſſa fuit, quæ me ad hoc opus ſcribendum impulit, ut huic errori peſtifero, quem ſciebam multorum peccatorum eſſe cauſſam, occurrerem. Timebam enim illud Iſaiæ — VÆ MIHI QUIA TACUI —, & illud Leonis — QUI ALIOS AB ERRORE NON REVOCAT, SEIPSUM ERRARE DEMONSTRAT —. Quis enim vir doctus, & catholicus tolerare potuiſſet tam peſtiferam ſententiam, quæ docet furta ſine peccato exerceri, & quæ furto ſublata ſunt, ſine peccato retineri* —? Hanc ſententiam legi naturæ, & divinæ innixam pro virili parte defendunt, & Author hic, & Maſtrius loco ſupra laudato, & Roſella ver. *Pedagium* num. 7., & Ferraris ver. *Gabella* num. 23. & ſeq., omnes ex Ordine Minorum: Hoſtienſis inſuper tit. *de Cenſibus* num. 11., Joannes Pontas ver. *Vectigalia* Caſu primo, Antoine de juſtitia & jure part. 3. cap. 5. q. 17., Concina de jure naturæ & gentium lib. 1. Diſſert. 5. cap. 5., aliique pene omnes, quorum placitum utroque pollice obſigno. *Quare* (ait Concina ibid. num. 9.) *divites & mercatores, qui tributa juſta ſolvere recuſant, arcendi a Sacramentis ſunt, & ad reſtitutionem urgendi. Iſti quippe non ſolum peccant, quod tributum defraudent, ſed plebejorum, pauperumque gravaminum, & oppreſſionum fontes efficiuntur. Quare nullo modo Dei miniſter ad Sacramenta iſtos admittere debet, niſi & defraudata tributa prius reſtituant, & in poſterum ſolvant* —.

Quæres primo. Quid juris in dubio de juſtitia tributorum? Ferraris nunc laudatus num. 29. & ſeq. cum pluribus arbitratur, in foro conſcientiæ homines non teneri ad ea ſolvenda: quia in dubio debiti melior eſt conditio poſſidentis, & ei, qui petit, incumbit probatio debiti. Sed verior eſt adverſans ſententia, quam tuetur Romanus Theologus in Nota ad hunc eundem Ferraris locum ſcribens — Pac enim in dubio de juſtitia tributorum licere aut dolo ſolutionem declinare, aut quidquid ſolutum ſit occulte compen-

penſare, ubi tunc Principes ſecuri eſſe poterunt de ſuis ex ſolutione tributorum proventibus? Cum enim plerumque juſtæ cauſæ, quæ Principem ad tributa exigenda movent, occultæ ſint, atque populo incognitæ, & cum pauci ex plebe ſint homines, qui juſtam agnoſcere, ac decernere tributorum cauſam valeant, nec aliunde deſint, qui, cauſa etiam cognita, tributorum in juſtitiam prædicent; facile erit, ſi non omnibus, pleriſque ſaltem de tributorum juſtitia dubitare. Quamobrem pauci ſemper erunt in Republica homines, qui ſe ad tributa ſolvenda obligatos credant. Ubi ergo tunc eſſet debitum præcepto Principis obſequium? Ubi debita eidem ſubjectio? Nam ſemel facta populo, ob dubium in ejus mente ortum de tributorum injuſtitia, libertate, ſtatim Princeps veluti tirannus contemnitur, ac animus debitam ei ſubjectionem exuit. Satius ergo eſt aſſerere cum Antoine de juſtitia & jure part. 3. cap. 5. q. 17., in dubio de juſtitia tributorum ſolvendum omnino eſſe — *Quia in dubio juſtitiæ debet præſumi pro juſto præcepto Superioris poſſidentis jus præcipiendi, & exigendi tributa, quod jus eſt altius, & majus jure, quod habent ſubditi in bona, quæ poſſident. Præterea Princeps ſæpe habet cauſas juſtas occultas. Immo etiamſi eſſent evidenter injuſtæ ſive ex toto, ſive ex parte, tamen ſolvenda ſunt, cum exiguntur, ad evitandum ſcandalum, ac perturbationem publicam, ob quam cauſam quiſque juri ſuo cedere debet* —. Hactenus ille. Hoc poſtremum docuit etiam Author in Angelica ver. *Pedagium* num. 6. ſcribens — *Et hæc omnia intellige, niſi non ſolvendo talia pedagia immineret aliquod ſcandalum: quia tunc indiſtincte teneretur quilibet ad ea ſolvenda* —. Novimus id ipſum feciſſe Chriſtum Dominum Matth. 17. v. 26. — *Ut autem non ſcandalizemus eos, vade ad mare, & mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore ejus, invenies ſtaterem: illum ſumens, da eis pro me & te* —. Id etiam perſpicue docetur 28. q. 1. cap. Jam nunc — *Multa ſunt enim facienda non jubente lege, ſed libera charitate: & ea ſunt in noſtris officiis gratiora, quæ, cum liceret nobis etiam non impendere, tamen cauſa dilectionis impendimus. Unde prior Dominus ipſe, cum tributum ſe non debere monſtraſſet, ſolvit tamen, ne ſcandalizaret eos, quibus ad æternam ſalutem gerens hominem conſulebat* —. Verum tamen eſt, quod in hoc caſu injuſte exigens teneretur ad reſtitutionem, ut dicitur in dubio immediate ſequenti. Ad rationem a Ferraris productam dico, veriſſimam eſſe Regulam 65. Juris in Sexto — *In pari delicto, vel cauſa potior erit conditio poſſidentis* —. Sed in caſu poſſeſſio ſtat pro Principe, cui ex Dominico præcepto tributum generatim eſt ſolvendum.

Quæres ſecundo. Utrum tributa juſta ſolvi debeant etiam non petita, vel expectare quis poſſit, ut petantur, alioqui non ſoluturus? Etiam hac ſuper re Doctores in varias ſcinduntur opinationes, ut videre eſt apud Maſtrium nunc laudatum num. 20. Hinc videtur ſubditos non teneri exactores huc illucque perquirere, eoſque expectare ſi abſint, dummodo nihil agant

cum

cum dolo, vel fraude. *Illa enim vectigalia* (ait Sylvius apud Pontas loco ſupra memorato) *quæ ad portam Civitatis, aut ad pontem, ſeu viam publicam ſolvi debent juxta quorumdam locorum conſuetudinem, non neceſſario ſolvenda ſunt, ſi non petuntur: modo nihil fraude agatur, ut abſcondendo merces, divertendo a viis publicis, ne exactori occurratur, fugiendo, vel aliter decipiendo exactores* —. Illinc recta ratio videtur poſtulare, quod tributum reipſa ſolvatur: quoniam ſtatim atque juſte fuit impoſitum a Principe, ipſi debetur: nec præcepto Principis ſatisfacit, qui unice ſe abſtinet a fraudibus. Quum omnia tributa ejuſdem generis non ſint, probabilius mihi videtur, quod Antoine loco proxime citato generatim conſtituit inquiens — *Hæc tributa juſta ſolvi debent antequam petantur; niſi ex conſuetudine non ſolvantur ante petitionem*: quia conſuetudo optima eſt voluntatis Principum interpres, conſuetudo inquam proborum, & univerſalis, quæ a Principe numquam fuerit improbata.

Quæres tertio. Utrum Chriſtiani teneantur pedagium ſolvere Sarracenis? Hanc rem expendunt Hoſtienſis de cenſibus num. 11., S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 13. §. 8., Author in Angelica ver. *Pedagium* num. 7., aliique ex Veteribus præſertim complures. Unum profero reſponſum Aſteſani lib. 1. tit. 32. art. 4. ſcribentis — Reſpondeo. Ray. dicit, quod ſic, dum tamen ipſos tranſeuntes defendant. Nam & hoſti eſt fides ſervanda 22. q. 4. cap. *Innocens*, & 23. q. 1. cap. *Noli*: & hoc, dummodo illuc tempore guerra non vadant, nec merces prohibitas deferant. Alias ſi hoc facerent, ut punirentur in quo deliquiſſent, eis injungendum eſſet, ut ponerent illud ſcilicet pedagium, in redemptionem captivorum, vel in ſubſidium fidei Chriſtianæ ..... Secundum autem Hoſtienſem Chriſtiani non teneatur ad illam ſolutionem: quia Chriſtiani non ſubſunt Sarracenis. Si tamen volunt habere commoditatem terræ Sarracenorum, oportet quod ſolvant: quia nec alias eorum tranſitum ſubſtinerent. Rodonenſis vero dicit, quod Chriſtiani tenentur ad illud ratione pacti, ſi intervenit, & etiam ratione ſtatuti; cum enim Sarraceni ſint in poteſtate ſtatuendi & dominandi in terris, quas tenent, non ſunt ſpoliandi alicujus privatæ perſonæ auctoritate. Unde non ſunt ſpoliandi, ſive defraudandi pedagiis per aliquem Chriſtianum tranſeuntem per terram eorum —. Hæc ille. Non video ipſe dubium vel minimum ſuper hac re. Tributum ſemel atque eſt juſtum, debetur lege nedum divina, ſed etiam naturali. Si igitur Sarraceni, ut ſupponitur, juſtum habent Principatum, juſtumque imponunt tributum tranſeuntibus, vel degentibus in terris ipſorum: ſponte fluit, quod iiſdem ſolvi debet a quocumque ſive Sarracenus ipſe ſit, ſive Chriſtianus; lex enim naturæ univerſos homines cujuſcumque Religionis adſtringit. *Hodie tamen* (opportune adjicit S. Antoninus) *portantes non ſolum prædicta, ſcilicet ferrum, & lignamina, ſed & quæcumque mercimonia ad terras Sarracenorum ſine licentia Papæ, incidunt in excommunicationem, cujus abſolutio Apoſtolicæ Sedi reſervatur, & in alias*

graves

*graves pœnas, de quibus habes in 3. part. tit. 24.* — .

Tertium Dubium. Utrum exigentes gabellas injuſtas teneantur?

Reſpondeo ſecundum Monaldum ubi ſupra, quod ſic. Et nota quod, quia exactiones pedagiorum regulariter jure canonico & civili damnantur, ut loquitur textus in cap. *Quamquam* lib. 6. *de cenſibus*, oportet de rigore juris, ut qui ea petit cauſam alleget cap. *Pervenit* Extra *de cenſibus*. Et ideo neceſſe eſt, ut de cauſa conſtet; aliter quis ſolvere non tenetur. Nec iſta præſcribi poſſunt ſine titulo, ut patet in Gloſſa in dict. cap. *Pervenit*. Credo tamen, hoc obtinere in conſcientia, dum agitur de novo pedagio, non autem, ſi ſermo ſit de antiquo, de quo non extat memoria nec de cauſa efficiente, nec de finali, ſive formali. Tunc enim præſumendum eſt, quod ex juſta cauſa, & ab auctoritatem habente fuerit impoſitum, niſi pateat de contrario: quoniam unuſquiſque præſumitur bonus, niſi probetur malus. Et ideo niſi conſtet veriſimiliter de contrario, tamquam juſte impoſitum poteſt exigi, & debet ſolvi: dummodo exigens, ut dictùm eſt, faciat id, pro quo præſumitur fuiſſe impoſitum.

(108) Veriſſimum eſt, quod ſcripſit S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 8. ad 3. — *Si vero aliquid Principes indebite extorqueant per violentiam, rapina eſt, ſicut & latrocinium. Unde dicit Auguſtinus in 4. de Civitate Dei* — *Remota juſtitia quid ſunt regna, niſi magna latrocinia? quia & latrocinia quid ſunt, niſi parva regna? & Ezechielis 22. dicitur* — *Principes ejus in medio ejus quaſi lupi rapientes prædam. Unde ad reſtitutionem tenentur ſicut & latrones, & tanto gravius peccant quam latrones, quanto periculoſius, & communius contra publicam juſtitiam agunt, cujus cuſtodes ſunt poſiti* — .

Si petas, quomodo hujuſmodi reſtitutio ſit facienda in caſu? Reſpondet S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 13. §. 2. inquiens — *Dicit autem B. Thomas in prædicta Epiſtola ad Duciſſam, quod ſi id, quod ab Officialibus Dominorum injuſte exactum eſt, pervenit ad manus eorum Dominorum, reſtituendum eſt vel certis perſonis, ſi ſciuntur, vel in pias cauſas, ſeu in utilitatem communem, ſi neſciuntur. Si autem ad manus Dominorum non pervenit quod inju-*

*injuſte extortum eſt, debent nihilominus ipſi Domini compellere ſuos Officiales ad reſtitutionem ſimilem faciendam, ne de ſua injuſtitia lucrum reportent; immo & tales ſunt a Dominis graviter puniendi, ut cæteri a ſimilibus abſtineant in futurum: ſicut Salomon dicit, quod peſtilente flagellato ſtultus ſapientior fiet. Hæc Thomas Dicit etiam Ray., quod ſi ex aliquibus circumſtantiis videtur ipſis Dominis impoſſibilis, vel multum difficilis talis reſtitutio: ſatis videtur, quod poſſit hujuſmodi Principibus, & militibus conſuli, quod in recompenſationem remitterent eis de eorum aſſenſu, & libera voluntate aliquam ſervitutem, ſeu annuam præſtationem in perpetuum, vel ad tempus, ita quod pleniſſime videretur eis ſatisfieri: vel etiam facerent in remiſſionem peccatorum illorum, quibus tenentur, aliquod hoſpitale, vel opus ſimilis pietatis cum conſenſu tamen eorum, ſi poteſt requiri —.*

Nonus

NOnus Titulus qui eſt de naufragiis, continet duas quæſtiones, ſive duo Dubia.

Primum Dubium. Utrum rapientes aliquid de rebus illorum, qui naufragium patiuntur, teneantur?

Reſpondeo, quod ſic, ſi ſunt Chriſtiani, qui naufragium patiuntur. Secus ſi ſunt Sarraceni, vel Piratæ, ut in Conſtitutione nova Federici *Ad decus*: ſecundum Monaldum tit. *Reſtitutio*. Et hoc, ſive accipiant in mari, ſive in litore L. *Si quis ex naufragio* ff. *de incendio, ruina, naufragio*: & peccant mortaliter accipiendo, ſi animo retinendi acceperunt: & ſunt excommunicati ipſo jure, ſi non reſtituant poſtquam moniti ſunt quamprimum poſſunt cap. *Excommunicationi* Extra *de raptoribus* in textu, & in Gloſſa: & ibidem Joannes Andreæ, & Butrius concordant. Sed Panormitanus ibidem dicit, eſſe excommunicatos quoad Deum & conſcientiam etiam ſine admonitione, ſi non reſtituant quamprimum. Secus quoad homines: quia requiriritur admonitio.

(109) En legem *Si quis ex naufragio* ab Authore laudatam — *Si quis ex naufragio, vel ex incendio, ruvinave ſervatum rem, & alio loco poſitam ſubtraxerit, aut rapuerit: furti ſcilicet, aut alias vi bonorum raptorum judicio tenetur, maxime ſi non intelligebat ex naufragio, vel incendio, ruvinave eum eſſe. Jacentem quoque rem ex naufragio, quæ fluctibus expulſa ſit, ſi quis abſtulerit, plerique idem putant: quod ita verum eſt, ſi aliquod tempus poſt naufragium intercesſerit; alioquin ſi in ipſo naufragii tempore id acciderit, nihil intereſt, utrum ex ipſo mari quiſque rapiat, an ex naufragiis, an ex littore* —. Adde L. *Pomponius* ff. de *adquirendo rerum dominio* — *Idem ait, etſi in naufragio quid amiſſum ſit, non ſtatim noſtrum eſſe deſinere* —. Adde L. *Interdum* §. 1. ff. *de adquirenda, vel amittenda poſſeſſione* — *Quod ex naufragio expulſum eſt, uſucapi non poteſt; quoniam non eſt in derelicto, ſed in deperdito* —.

Hunc eundem caſum expendit, & ſolvit Aſteſanus lib. 1. tit. 32. art. 3. inquiens -- Circa tertium quæritur, quid de Principibus, vel aliis, qui de longa conſuetudine ſpoliant naufragantes? Reſpondeo. Tenentur reſtituere quicquid de ipſo naufragio habuerunt, ſive illud ſit captum de ipſo naufragio, ſive de mari, ſive de littore ff. *de incendio, ruina, naufragio* L. *Si quis ex naufragio*. Nec excuſatur a peccato mortali quicumque recipit, niſi ea intentione receperit, ut ei reſtitueret, cujus erat. Nec aliquis excuſatur aliqua conſuetudine, vel ſtatuto, vel præcepto: quia hoc eſt contra Dei præceptum Levitici 19. -- *Diliges proximum tuum ſicut teipſum* --, & Tobiæ 4. -- *Quæcumque oderis tibi fieri, alteri ne feceris* --. Epiſcopus vero, vel quilibet alius Prælatus, vel Clericus, qui tanti criminis particeps, vel conſentaneus eſſet, deponi deberet Extra *de accuſationibus* cap. *Cum dilecti*. Laicus vero, niſi admonitus ſatisfecerit, anathematizari debet. Arg. 24. q. 3. cap. *Illi qui*, & Extra *de treuga* cap. *Innovamus*. Secundum vero leges tenentur intra annum in quadruplum, poſt annum vero in ſimplum ff. *de incendio, ruina, naufragio* L. 1. §. 1. Hoc autem intelligas, niſi ſint talia navigia, quæ exerceant piraticam pravitatem, & tyrannidem, vel ſint Chriſtiano nomini inimica, ut in Conſtitutione Friderici *Ad decus* §. *Navigia*. Hæc Aſteſanus, cum quo pene verbatim uſque conveniunt Author in Angelica ver. *Naufragium* num. 1., & Nicolaus de Auximo in Supplemento ver. *Naufragus* ſub initio. Attamen quod reſpicit Clericos, & anathema, melius certe, meo ſaltim judicio, Roſella ver. *Naufragium* num. 1. ſcribens -- *Secundum etiam Canones ſi is, qui accepit res naufragorum, eſſet Epiſcopus, vel Prælatus, aut Clericus, debet deponi Extra DE ACCUSATIONIBUS cap. CUM DILECTI. Ultra autem prædicta ſive Clericus, ſive Laicus, niſi reſtituerit, debet excommunicari* --. Et ipſe addo -- eſt excommunicatus. Ratio in promptu eſt Decretalis Inno. III. *Cum dilecti* ſolam quidem injungit depoſitionem Epiſcopi, qui ita deliquerat -- *Eum ab adminiſtratione Agathenſis Eccleſiæ removere curetis* --. Sed Decretalis Concilii Lateranenſis. *Excommunicationi*, omnes indefinite, ſive Clerici ipſi ſint, ſive Laici, dum ita delinquunt, excommunicationi ſubjicit. Verba ipſa audiamus -- *Excommunicationi ſubduntur, qui Romanos, aut alios Chriſtianos pro negotiatione, vel aliis honeſtis cauſis navigio vectos aut capere, aut rebus ſuis ſpoliare præſumunt. Illi etiam, qui Chriſtianos naufragium patientes (quibus ſecundum regulam fidei auxilio eſſe tenentur) damnata cupiditate ſpoliant rebus ſuis, niſi ablata reddiderint, excommunicationi ſe noverint ſubjacere* --. Super poſtremis hiſce verbis appoſite Gloſſa -- *Et ſic qui contra hoc faciunt, ſunt ipſo jure excommunicati ...... poſt admonitionem, vel poſtquam fuerint in mora, cum poſſunt reſtituere, & non reſtituunt* --. Impræſentiarum non requiritur amplius aliqua prævia monitio, quia ultra hanc habemus excommunicationem latam in Bulla Cœnæ Domini num. 4. ita conceptam -- *Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcum-*

Digitized by Google

*cumque navibus tempeſtate, ſeu in tranſverſum (ut dici ſolet) jactatis, vel quoquo modo naufragium paſſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eiſdem ejecta in mari, vel in littore inventa cujuſcumque generis bona, tam in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quam in ceteris cujuſcumque maris regionibus, & littoribus ſurripuerint, ita ut nec ob quodcumque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi, & immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcumque prætextum excuſari poſſint* —. Nihil in hujuſmodi ſanctionibus non æquum, & non rationi quam maxime conſonum; legi ſiquidem naturali repugnat addere afflictionem afflicto: & quamdam ſapit inmanitatem, eos Chriſtianos homines, qui ſpeciali Dei auxilio vix aut ne vix quidem vitam ipſam ſervarunt, propriis ſpoliare rebus, & plerumque iis ipſis, quibus poſſent, & deberent propriam tegere nuditatem. Hæc immania, & ferina oculis vidi ipſe meis, nec parum adlaboravi, ut inhumani raptores redderent ablata. Bulla Cœnæ olim vocabatur Proceſſus Curiæ, ſeu Proceſſus annuus, qui quot annis fit in Curia Romana. Vide S. Antoninum, qui part. 3. tit. 24. cap. 7. eam ad verbum refert, ſicuti a Martino Summo Pontifice fuit promulgata.

Excipit Author, excipiunt ceteri Scriptores nunc laudati, quando qui naufragium patitur pirata ipſe eſt, vel Chriſtiani nominis hoſtis: quoniam leges Canonicæ nunc productæ expreſſim loquuntur de bonis Chriſtianorum, & ita reipſa ſancivit Fridericus ſecundus Imperator in ſua celebri Conſtitutione, quæ in ſecundo Tomo Corporis Juris civilis immediate ſequitur poſt Libros Feudorum, & quam Imperator edidit ea ipſa die, qua de manu Honorii III. Summi Pontificis recepit diadema Imperii. In hac Conſtitutione §. 9. ita legitur — *Navigia quocumque locorum pervenerint, ſi quo caſu contingenti rupta fuerint, vel aliter ad terram pervenerint; tam navigia ipſa, quam navigantium bona, illis integra reſerventur, ad quos ſpectabant antequam navigium illud periculum incurriſſet, ſublata omnium locorum penitus conſuetudine, quæ huic adverſatur ſanctioni: niſi talia ſint navigia, quæ piraticam exerceant pravitatem, aut ſint nobis, vel Chriſtiano nomini inimica. Tranſgreſſores vero hujus noſtræ Conſtitutionis bonorum ſuorum publicatione mulctentur: & ſi res exegerit, eorum audacia juxta mandatum noſtrum modis aliis compeſcatur* —. Et quod pluris facio: Leges in hac Conſtitutione promulgatæ non ſolum translatæ ſunt in Codicem, ſuiſque locis aptatæ; ſed adprobatæ fuerunt in totum ab ipſo Honorio Summo Pontifice: quum in fine ejuſdem ſcriptum ſit — *Nos vero Honorius Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, has leges a Friderico Romanorum Imperatore, filio noſtro chariſſimo, pro utilitate omnium Chriſtianorum editas laudamus, approbamus, & confirmamus tamquam in æternum valituras; & ſi quis auſu temerario, inimico humani generis ſuadente, quocumque modo has infringere tentaverit: indignationem Dei omnipotentis, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ſe noverit incurſurum* —. Conferre huc poteſt quod docet S. Thomas 1. 2. q. 100. art. 8. ad 3. ſcri-

Kk 2 bens —

bens — *Sic igitur præcepta ipſa Decalogi quantum ad rationem juſtitiæ, quam continent, immutabilia ſunt; ſed quantum ad aliquam determinationem per applicationem ad ſingulares actus, ut ſcilicet hoc vel illud ſit homicidium, furtum, vel adulterium, aut non, hoc quidem eſt mutabile: quandoque ſola auctoritate divina, in his ſcilicet, quæ a ſolo Deo ſunt inſtituta, ſicut in matrimonio, & in aliis hujuſmodi: quandoque etiam auctoritate humana ſicut in his, quæ ſunt commiſſa hominum juriſdictioni; quantum enim ad hoc homines gerunt vices Dei, non autem quantum ad omnia* —.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum accipiens aliquid, quod eſt jactatum in mari, teneatur?

Reſpondeo ſecundum legem *Falſus* §. 11. ff. *de furtis*, & diſtinguo. Aut jactans habet id, quod jactavit in mari, pro derelicto, aut non. Si ſic, quod eſt præſumendum quando jactat qualitercumque, & quomodocumque, tunc non tenetur reſtituere, ſed eſt accipientis. Si autem non jactavit pro derelicto, quod præſumitur quando puta jactat librum clauſum, & bene obturatum, & hujuſmodi, nam ex hoc patet, quod animum habet recuperandi ipſum: tunc tenetur reſtituere, aut dare pauperibus, ſi non invenit cujus ſit. Ego autem credo, quod in conſcientia etiam jactatum primo modo ſit reſtituendum illi, cujus erat, ſi ſcitur ejus Dominus: quoniam jactatum fuit, vel projectum ſolo timore naufragii, ſicuti patet cap. *Cum dilecti* Extra *de accuſationibus*. Si vero Dominus neſcitur, nec ſciri poſſunt ipſius hæredes, tunc poteſt habere locum prædicta lex *Falſus*.

(110) Revera L. *Falſus* hac utitur diſtinctione; ſic enim habet — *Si jactum ex nave factum alius tulerit, an furti teneatur? Quæſtio in eo eſt, an pro derelicto habitum ſit. Et ſi quidem derelinquentis animo jactavit (quod plerumque credendum eſt, cum ſciat periturum) qui invenit, ſuum fecit, nec furti tenetur. Si vero non hoc animo, ſed hoc, ut, ſi ſalvum fuerit, haberet, ei, qui invenit, auferendum eſt: & ſi ſcit hoc, qui invenit, & animo furandi tenet, furti tenetur. Enim vero ſi hoc animo, ut ſalvum faceret Domino, furti non tenetur: quod ſi putans ſimpliciter jactatum, furti ſimiliter non tenetur* —. Nihilotamen minus dum agitur de rebus, quæ projiciuntur occaſione, vel timore naufragii, quocumque modo jaciantur, arbitror numquam

quam poſſe haberi pro derelictis, & iccirco eſſe reſtituendas, ſi earum Dominus reperiri poſſit. Probatur hoc jure tum civili, tum canonico. Civili quidem Inſtitut. *de rerum diviſione* §. 48. — *Alia ſane cauſa eſt earum rerum, quæ in tempeſtate levandæ navis cauſa ejiciuntur: hæ enim Dominorum permanent, quia palam eſt, eas non eo animo ejici, quod quis eas habere nolit, ſed quo magis cum ipſa navi maris periculum effugiat. Qua de cauſa ſi quis eas fluctibus expulſas, vel etiam in ipſo mari nactus lucrandi animo abſtulerit, furtum committit. Nec longe videntur diſcedere ab his, quæ de rheda currente non intelligentibus Dominis cadunt* —: & L. *Interdum* §. 2. ff. *de adquirenda vel amittenda poſſeſſione* — *Idem juris eſſe exiſtimo in his rebus, quæ jactæ ſunt: quoniam non poteſt videri id pro derelicto habitum, quod ſalutis cauſa interim dimiſſum eſt* —: & L. 8. ff. *de lege Rhodia de jactu* — *Qui levandæ navis gratia res aliquas projiciunt, non hanc mentem habent, ut eas pro derelicto habeant: quippe, ſi invenerint eas, ablaturos, &, ſi ſuſpicati fuerint, in quem locum ejectæ ſunt, requiſituros: ut perinde ſint, ac ſi quis onere preſſus, in viam rem abjecerit, mox cum aliis reverſurus, ut eandem auferret* —. Canonico item, quia Julius II. Conſtitut. 20. incip. *Romanus Pontifex* improbavit tamqnam injuſtam conſuetudinem ſecus operandi — *Nos conſiderantes tam civili, quam canonica lege licere unicuique naufragium ſuum impune colligere, ac jacta in mari, alleviandi oneris cauſa, recuperare, illaque diripientes furtum committere, ac graviter delinquere: ac Chriſtianos naufragium patientes, rebus ſuis ſpoliantes diverſis pœnis puniri: & propterea conſuetudinem prædictam tamquam contra regulam fidei, qua unus alteri auxilio eſſe tenetur, merito corruptelam appellari neminique ſuffragari debere cujuſcumque temporis curſu munitam. Conſuetudinem capiendi, & retinendi bona per naufragium, vel jactum, levandæ navis cauſa, aut alia urgente neceſſitate factum, nulli in judicio, vel extra illud ſuffragari debere, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium decernimus, & declaramus* —.

Non diffiteor aliquem dari poſſe caſum, in quo aliter ſit conſtituendum. Hunc exhibet Roſella ver. *Naufragium* num. 3. & 4. ſcribens — Sed pone. In navi, quæ paſſa eſt naufragium, erant quædam res, quæ ſi aliquamdiu immerſæ ſtetiſſent, deſtructæ fuiſſent, ut Zucarum, papyrus, ſal, farina, & hujuſmodi. Ecce quidam ſuccurrit prædictis, antequam in aquam immergantur: hoc tamen poſito, quod nec Dominus ipſe per ſe, nec per alium ſalvare poterat prædictas res. Quæritur, an iſte teneatur reſtituere Domino dictas res? Dicendum, quod ſi ſine periculo vitæ ſuæ ſalvavit dictas res, quod tenetur reſtituere, ſive Dominus res prædictas eſſet rehabiturus, vel ne. Et iſto caſu intellige dict. Authent. *Navigia*, & dictum cap. *Excommunicationi*, juncta Gloſſa. Sed hoc caſu, an iſte debeat habere aliquam mercedem laboris ſui · dic quod ſic, quia etiam ipſe Dominus, ſi debuiſſet ſalvare dictas res, neceſſe habuiſſet ſatisfacere talibus perquirentibus. Et ſecundum hoc intellige dictum Rodoenſis poſitum ſupra §. præcedenti in fine.

ſine. Quid autem, ſi quis ſine periculo vitæ ſuæ non poteſt ſalvare dictas res? Reſpondeo, diſtinguendum eſt. Nam aut talis exponens ſe periculo vitæ ſuæ capit bona illa, quæ veriſimiliter Dominus per aliam viam nullo modo rehabiturus erat: tunc dico, quod talis cum bona conſcientia ſibi retinere poteſt. Exemplum pone. In dicta navi erant Zucarum &c., quæ ſi diu ſtetiſſent in aqua, cito deſtructa fuiſſent: & Dominus, antequam prædicta deſtruerentur, non habebat viam nec per ſe, nec per alium recuperandi dicta bona. Tunc iſte ſe exponens periculo vitæ, quia forte mare erat valde tempeſtuoſum, vel forte iſte natabat uſque ad profundum maris, ut multi faciunt, non tenetur ad reſtitutionem: ex quo Dominus nulla via erat recuperaturus ſua; immo ipſe Dominus rationabiliter debuiſſet velle, ut proximus potius haberet dicta bona, quam quod totaliter deſtruerentur: maxime quando iſte expoſuit ſe probabili periculo vitæ. Aut veriſimile erat, quod Dominus rehabuiſſet ſua, aut vi tempeſtatis, quæ forte jactaſſet dicta bona ad littus, aut quia repeiſſet alium, qui etiam dicto periculo ſe expoſuiſſet. Tunc dico, quod talis inventor tenetur reſtituere dicta bona, non obſtante quod expoſuerit ſe periculo vitæ. Debetur tamen ei præmium juxta laborem, & periculum, ad quod ſe expoſuit, taxandum ad arbitrium boni viri. Hæc diſtinctio videtur æqua, & conſona rationi —. Hactenus Roſella, ſeu Frater Baptiſta Troamala Ordinis Minorum Obſervantium in ſuo Libro, quem inſcripſit *Roſella*, & cui finem impoſuit anno 1483.

Naufragii tempore qui vocati a Patronis navium, vel barcharum auxilium eis ad bonorum præſervationem, vel recuperationem præſtiterint in Portubus, & ripis ditioni Papæ ſubjectis, lucrantur quartam partem bonorum præſervatorum, aut acceptorum. Paulus III. Conſtitut. 42. incip. *Accepimus*. Et inſuper conſequuntur Indulgentiam decem annorum, & totidem quadragenarum. Julius II. Conſtitut. 20. incip. *Romanus Pontifex*, & S. Pius V. Conſtit. 7. incip. *Cum nobis*. Et econtra non dantes auxilium naufragantibus in ſtatu Eccleſiæ, incurrunt crimen læſæ majeſtatis. S.Pius V. citata Conſtit. 7. incip. *Cum nobis* — Ita ad verbum Ferraris ver. *Naufragium* num. 12. & ſeq.

Deci-

DEcimus Titulus qui eſt de incendiariis, continet tres quæſtiones, ſeu tria Dubia.

Primum Dubium. Utrum incendiarius teneatur?

Reſpondeo ſecundum Petrum Caſuel tit. de incendiariis, quod ſic, & non ſolum cremata, ſed etiam quæ ſublata fuerunt occaſione incendii, ſi damnum dedit negligentia, aut dolo cap. *Si egreſſus* Extra *de injuriis & damno dato*, & ibidem cap. ultimo, & ff. *ad legem Aquiliam* L. *Qui occidit* §. *In hac*. Si vero nihil omiſit de contingentibus, non tenetur, ut dicto cap. ultimo in fine, & notat Butrius & Innocentius in laudato cap. *Si egreſſus*. Ex qua poſtmodum culpa quis teneatur, infra fuſius dicetur tit. 12. dub. 9. & 11.

(111) Incendium ex Hoſtienſi tit. de incendiariis proprie committitur in domibus, grangiis, prædiiſque urbanis, vel ſuburbanis; in ruſticis enim dicitur combuſtio. Uſus tamen invaluit, hæc duo vocabula accipere promiſcue. Incendia plerumque fiunt culpa inhabitantium, ſed quandoque etiam contingunt caſu fortuito, ut nulli imputari poſſint. Incendiarius igitur proprie *eſt qui domos alienas, arbores, vel ſegetes incendit igne appoſito ex odio*, *VEL VINDICTA* 12. *q*. 2. *cap. CUM DEVOTISSIMAM*, 23. *q*. 8. *cap. PESSIMAM*. Incendiarios exprimit, eoſque debita pœna coercet poſtremum hoc Capitulum, quod eſt Inno. II. ita conceptum — *Peſſimam ſiquidem, & depopulatricem, & horrendam incendiariorum malitiam auctoritate Dei, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli omnino deteſtamur, & interdicimus. Si quis ergo poſt hujus noſtræ prohibitionis promulgationem malo ſtudio, ſive pro odio, ſive pro vindicta ignem appoſuerit, vel apponi fecerit, aut appoſitoribus conſilium, vel auxilium ſcienter tribuerit, excommunicetur: & ſi mortuus fuerit incendiarius, Chriſtianorum careat ſepultura, nec abſolvatur, niſi prius damno, cui intulit, ſecundum facultatem ſuam reſarcito, juret ſe ulterius ignem non appoſiturum. Pœnitentia autem ei detur, ut Hieroſolymis, aut in Hiſpania in ſervitio Dei per annum integrum permaneat. Si quis autem Archiepiſcopus, vel Epiſcopus hoc relaxaverit, damnum reſtituat, & per annum integrum ab officio Epiſcopali abſtineat* —.

Caſum

Caſum quod reſpicit, is ſola productarum legum recitatione clareſcet — *Si egreſſus ignis comprehenderit acervos frugum, ſive ſtantes ſegetes in agris, reddet damnum, qui ignem ſuccenderit* —: & cap. ultimo, quod incipit *Si culpa tua* — *Sane licet, qui occaſionem damni dat, damnum videatur dediſſe; ſecus eſt tamen in illo dicendum, qui, ut non accideret, de contingentibus nil omiſit* —. Utrumque complectitur producta L. *Qui occidit* §. *In hac* — *In hac quoque actione, quæ ex hoc capitulo oritur, dolus, & culpa punitur. Ideoque ſi quis in ſtipulam ſuam, vel ſpinam, comburendæ ejus cauſa, ignem immiſerit, & ulterius evagatus & progreſſus ignis alienam ſegetem, vel vineam læſerit, requiramus, num imperitia ejus, aut negligentia id accidit. Nam, ſi die ventoſo id fecit, culpæ reus eſt: nam & qui occaſionem præſtat, damnum feciſſe videtur. In eodem crimine eſt & qui non obſervavit, ne ignis longius procederet. At ſi omnia, quæ oportuit, obſervavit, vel ſubita vis venti longius ignem produxit, caret culpa* —. Adde L. *Si quis domum* Extra *de Injuriis & damno dato* — *Si quis domum, vel aream cujuſquam incenderit voluntarie, ſublata, & incenſa omnia reſtituat, & tres annos pœniteat* —. Super verbo *Voluntarie* opportune Gloſſa — *Secus ſi contra voluntatem, dum tamen nihil de contingentibus omiſerit, Infra eod. cap. ult. In fine* —. Super verbo *Reſtituat* ita eadem Gloſſa — *In quadruplum intra annum, poſt annum in ſimplum ff. DE INCENDIO L. 1. Sed ſi negligentia in ſimplum. Sed ſi dolo fecerit, ſecundum leges concremabitur ff. eod. L. QUI ÆDES*.

Accipe legem hic poſtremo citatam — *Qui ædes, acervumque frumenti juxta domum poſitum combuſſerit, vinctus, verberatus, igni necari jubetur, ſi modo ſciens, prudenſque id commiſerit. Si vero caſu, ideſt negligentia, aut noxam ſarcire jubetur, aut ſi minus idoneus ſit, levius caſtigatur. Appellatione autem ædium omnes ſpecies ædificii continentur* —.

Secundum Dubium. Utrum rapiens res illius, qui incendium patitur, teneatur?

Reſpondeo quod ſic cap. *Si quis domum* Extra *de injuriis & damno dato*, niſi haberentur pro derelictis: puta quando ignis tantum invaluit, quod nullus ſine periculo vitæ poteſt eas ſalvare, & Dominus illas dimittit, habetque tamquam derelictas. In hoc caſu credo, quod non teneretur, qui hoc ſciens ſe exponeret vitæ periculo, & præſertim in conſcientia.

(112) Caput *Si quis domum* nunc recitatum unice loquitur de ipſo incendiario. Sed nullum dubium, quod ceteri etiam, tametſi incendiarii non fuerint, qui occaſione incendii res alienas diripiunt, tenentur ad reſtitutio-

tio-

Digitized by Google

tionem ff. *de incendio, ruina, naufragio* L. 1. — *Prætor ait: In eum, qui ex incendio, ruina, naufragio, rate, nave expugnata quid rapuiſſe, recepiſſe dolo malo, damnive quid in his rebus dediſſe dicetur: in quadruplum in anno, quo primum de ea re experiundi poteſtas fuerit: poſt annum in ſimplum judicium dabo: Item in ſervum, & in familiam judicium dabo. Hujus edicti utilitas evidens, & juſtiſſima ſeveritas eſt: ſiquidem publice intereſt, nihil rapi ex hujuſmodi caſibus* —. Super hac lege opportune Gloſſa ſub initio — *Poſtea incipit exponere verba Edicti per ordinem, & primo id, quod dixit, ex incendio; & dicitur quod ex incendio dicitur rapi, vel accipi, ſive accipiatur aliquid ex loco, in quo eſt ignis, ſive ex domo tota, ſive ex vicinis ædibus occaſione incendii ſit raptum, vel acceptum* —. Circa id, quod adjicit Author, videlicet ad reſtitutionem non teneri eum, qui rem a Domino derelictam ſalvat, & accipit non ſine gravi vitæ ſuæ periculo: generatim loquendo certum eſt res derelictas eſſe primi occupantis ff. *Pro derelicto* L. 1. — *Si res pro derelicto habita ſit, ſtatim noſtra eſſe deſinit, & occupantis ſtatim ſit: quia iiſdem modis res deſinunt eſſe noſtræ, quibus adquiruntur* —. Placet tamen id intelligere juxta mentem Roſellæ in conſimili caſu paullo antea expoſito: ſcilicet ſi Dominus nec per ſe, nec per alium poterat eas recuperare, nec erat recuperaturus: quia tunc eſſet omnino irrationabiliter invitus, ſi potius vellet eas igne conſumi, quam a proximo cum tanto ſui ipſius periculo extrahi, & ſervari.

Tertium Dubium. Utrum deſtruens domum vicini timore incendii, ne ſua comburatur, teneatur?

Reſpondeo ſecundum Petrum Caſuel tit. ubi ſupra, quod non, ſi metus erat juſtus: puta quia ignis jam pervenerat ad domum vicini, vel de hoc probabiliter erat dubitandum eo quia tempus erat ventoſum ff. *de incendio, ruina, naufragio* L. 3. §. *Quod ait Prætor*. Neque enim damnum dare videor ædibus æque perituris ff. *quod vi aut clam* L. *Si alius* §. *Eſt & alia*. Et quamvis ignis nondum pervenerit, tamen ſi juſto metu putatur perventurus, vicinus nihil poteſt petere L. *Si quis fumo* ff. *ad legem Aquiliam* §. *quod dicitur*. Si autem metus non fuit juſtus, tunc deſtruens tenetur ad damnum ſimplum ſecundum Hoſtienſem: qui etiam addit, quod, ſi a vicinitate diruta eſt domus alterius juſto metu incendii, Judex ex officio ſuo, & de ſumma æquitate debet facere, quod vicini ei ſatisfaciant, quilibet pro

ſua parte. Arguitur ff. *de lege Rhodia*, *de jactu* L. 2. ver. *æquiſſimum* ſub initio & ff. *Qui potiores in pignore*, *vel hypotheca* L. *Interdum*.

(113) Diſputatum olim fuit inter Juriſconſultos ſuper hac re; ſed prævaluit ſententia Celſi, & Ulpiani, quam hic ſequitur Author poſt Hoſtienſem, alioſque. Id omne exhibet L. 3. §. *Quod ait Prætor* ff. *de incendio*, *ruina*, *naufragio* — *Quod ait Prætor de damno dato*, *ita demum locum habet*, *ſi dolo malo damnum datum ſit*: *nam ſi dolus malus abſit*, *ceſſat Edictum*. *Quemadmodum ergo procedit*, *quod Labeo ſcribit*, *ſi defendendi mei cauſa vicini ædificium*, *orto incendio*, *diſſipaverim*: *&* *meo nomine*, *&* *familiæ judicium in me dandum*? *Cum enim defendendarum mearum ædium cauſa fecerim*, *utique dolo careo*. *Puto igitur non eſſe verum*, *quod Labeo ſcribit*. *An tamen lege Aquilia agi cum hoc poſſit*? *Et non puto agendum*: *nec enim injuria hoc fecit*, *qui ſe tueri voluit*, *cum alias non poſſet*: *& ita Celſus ſcribit* —. ( Lex Aquilia loquitur in eo caſu, in quo quis culpa ſua alicui damaum dederit, veluti equum, ſervam, vel alind animal occiderit, vel vulneraverit &c. Ita Vocabularium utriuſque Juris ver. *Lex Aquilia*). Appoſite iccirco Gloſſa ſuper ver. *Defendendarum* — *Cum ergo gratia ſuarum ædium*: *ergo gratia ſui juris conſervandi*, *&* *ideo excuſatur*, *nec eſt quod ei imputetur* -- Confirmatur L. apertiſſima *Si quis fumo* §. 1. ff. *ad legem Aquiliam* — *Quod dicitur damnum injuria datum Aquilia perſequi*, *ſic erit accipiendum*, *ut videatur damnum injuria datum*, *quod cum damno injuriam attulerit*, *niſi magna vi cogente fuerit factum*. *Ut Celſus ſcribit circa eum*, *qui incendii arcendi gratia*, *vicinas ædes intercidit*: *nam hic ſcribit ceſſare legis Aquiliæ actionem*; *juſto enim metu ductus*, *ne ad ſe ignis perveniret*, *vicinas ædes intercidit*: *&* *ſive pervenit ignis*, *ſive ante extinctus eſt*, *exiſtimat Legis Aquiliæ actionem ceſſare* —. Confirmatur item L. *Si alius* §. *Eſt & alia** ff. *Quod vi aut clam* — *Eſt & alia exceptio*, *de qua Celſus dubitat*, *an ſit objicienda*: *ut puta ſi incendii arcendi cauſa vicini ædes intercidi*, *& quod vi aut clam mecum agatur*, *aut damni injuria*. *Gallus enim dubitat*, *an excipi oporteret*, *quod incendii defendendi cauſa factum non ſit*? *Servius autem ait*, *ſi id Magiſtratus feciſſet*, *dandum eſſe*: *privato non eſſe idem concedendum*, *ſi tamen quid vi aut clam factum ſit*, *neque ignis uſque eo perveniſſet*, *ſimpli litem æſtimandam*: *ſi perveniſſet*, *abſolvi eum oportere*. *Idem ait eſſe*, *ſi damni injuria actum foret*: *quoniam nullam injuriam*, *aut damnum dare videtur*, *æque perituris ædibus* --. Nec te moveat, quod in hac lege præſtituatur, damnandum eſſe ad ſimplum, ſi ignis uſque eo non pervenerit, dum in hoc eodem caſu ad nihil teneri ſancitur in lege *Si quis fumo* proxime citata. Hanc in ſpecie contrarietatem ſolvit Gloſſa ſuper ver. *Extinctus* legis *Si quis fumo*, adnotans in una lege ſermonem eſſe de metu ju-

ſto,

Digitized by Google

ſto, non autem in alia. Metus juſtus ſit oportet, & gravis; hac enim conditione deficiente ſi quis vicini domum incenderet, teneretur certe ad reſtituendum omne damnum alteri illatum. In ſola ſuppoſitione metus juſti Author excuſat deſtruentem, de quo in caſu, veſtigia ſequens Cardinalis Hoſtienſis, qui tit. *de incendiariis* num. 6. ſcripſit -- Sed & ex hoc procedit, quod ſi defendendi mei cauſa vicini ædificium, incendio orto, diſſipaverim, non teneor ſibi. Et ideo Ulpianus reprobat Labeonem, qui ait in hoc caſu & meo nomine, & familiæ judicium dandum, ut ff. eod. L. 3. §. *Quod ait Prætor*. Vel dic Labeonis ſententiam veram, ubi juſtus non fuit metus, quia adhuc non pervenerat ignis uſque ad domum vicini, quam deſtruxit; tunc enim teneor in ſimplum actione legis Aquiliæ. Sed ſi pervenerat, vel juſte dubitabam an perveniret, quia forte tempus ventoſum erat, habet locum quod Ulpianus dixit; neque enim damnum dare videor æque perituris ædibus, ut ff. *Quod vi aut clam* L. *Si alius* §. *Eſt & alia exceptio*. Quamvis etiam non pervenerit, juſte tamen putabam ignem perventurum, adhuc ceſſat actio. Sic intelligitur ff. *ad legem Aquiliam* L. *Si quis fumo* §. *Quod dicitur* –. Hæc ille. Eadem habet Aſteſanus lib. 5. tit. 29. art. 2. *Quid ſi cauſa* &c. Quod poſt Hoſtienſem ſubjicit Author, Judicem nempe etiam in caſu juſti metus ex officio ſuo, & de ſumma æquitate curare debere, ut vicini ſatisfaciant læſo pro rata portione: id non eſt intelligendum de jure, & ex neceſſitate; ſecus Author ſibi non conſtaret, quum ſupra conſtituerit, deſtruentem ad nil teneri in caſu, & nunc doceret teneri ad ratam. In hoc ſenſu reipſa locutus eſt Hoſtienſis, ad id Judicem conſulens, non autem id eidem injungens. En ipſius verba – *Sed numquid a vicinitate debet emendari domus vicini? In præcedenti caſu de ſumma æquitate conſulo Judici, ut hoc officio ſuo fieri faciat* –. Hoc idem fuſe probat Aſteſanus loco proxime laudato – *Sed numquid*: quia ad hoc ut quis teneatur reſtituere, culpa interveniat neceſſe eſt: & deſtruens in caſu nihil de contingentibus omiſit. Si dicas, quod lex primo loco indicata tum ab Authore, tum ab Hoſtienſi, videlicet – *Æquiſſimum enim eſt, commune detrimentum fieri eorum, qui propter amiſſas res aliorum, conſecuti ſunt, ut merces ſuas ſalvas haberent* –, obligationem inducit, non purum putumque conſilium.

Reſpondeo oppido diſparem eſſe rationem. Lex memorata loquitur in caſu, in quo navis mercibus onuſta ob periculum naufragii exonerari debet, & de quo præcedenti lege jam fuerat ita ſancitum – *Lege Rhodia cavetur, ut, ſi ſalvandæ navis gratia jactus mercium factus eſt, omnium contributione ſarciatur, quod pro omnibus datum eſt* --: de quo item in eadem L. 2. §. 1. ita decernitur – *Cum in eadem nave varia mercium genera complures mercatores coegiſſent, prætereaque multi vectores ſervi, liberique in ea navigarent, tempeſtate gravi orta, neceſſario jactura facta erat. Quæſita deinde ſunt hæc: an omnes jacturam præſtare oporteat: & ſi qui tales merces im-*

 *peſuiſ-*

*poſuiſſent, quibus navis non oneraretur, veluti gemmas, margaritas? Et quæ portio præſtanda eſt? Et an etiam pro liberis capitibus dare oporteat? Et qua actione ea res expediri poſſit? Placuit, omnes, quorum interfuiſſet jacturam fieri, conferre oportere, quia id tributum obſervatæ res deberent: itaque Dominum etiam navis proportione obligatum eſſe: jacturæ ſummam pro rerum pretio diſtribui oportet: corporum liberorum æſtimationem nullam fieri poſſe: ex conducto Dominos rerum amiſſarum cum nauta, ideſt cum magiſtro, acturos* --. (Dicitur lex Rhodia: quia in Rhodo inſula ejus frequentia prius fuit propter frequentem uſum mercatorum, qui ibi fuit – Ita Gloſſa hic ſuper ver. *Lege Rhodia*.) In hoc caſu quiſque videt æquale eſſe mercium omnium periculum; non enim una merx eſt proximior periculo, quam altera. Omnes iccirco æquum jus habent, ut ſerventur; & ſi una projicitur in gratiam alterius, id fit, non quia hæc præ altera magis ſit periculo proxima, ſed unice ut hanc jaciendo altera ſervetur. Non ita eſt in caſu incendii; domus enim vicini, quæ deſtruitur, magis eſt periculo proxima tamquam vicinior igni jam in flammas ſuccreſcenti. Non habet iccirco æquum jus cum aliis remotioribus, ut ſervetur; & ſi deſtruitur, hoc fit, quia eſt periculo proximior, quamvis ex ipſius deſtructione inde eveniat, quod ſerventur ceteræ. Optimum eſt igitur, quod in caſu navis periculo naufragii laborantis, de qua lex Rhodia, omnes mercium ſervatarum Domini de jure, & ex neceſſitate teneantur compenſare pro rata eos, quorum merces in gratiam ſuarum jactæ ſunt: in caſu autem incendii Domini vicinarum domuum, quæ fuerunt ſervatæ, teneantur tantum de conſilio, & de quadam æquitate erga eum, cujus domus deſtructa eſt.

Unde-

# Undecimus Titulus qui eſt de Furtis, continet ſex quæſtiones, ſive ſex Dubia,

Primum Dubium. Utrum ille, qui in extrema neceſſitate furtum facit, teneatur?

Reſpondeo quod non, nec peccavit furando, quia in tali neceſſitate omnia ſunt communia, Inſtitut. *de rerum diviſione* §. 1. & 2., & 47. diſt. cap. *Sicut ii*. Concordat Ricardus in 3. diſt. 37. Si vero neceſſitas non erat extrema, ſed moralis, debet agere pœnitentiam, & reſtituere cum poſſit cap. *Si quis* Extra *de furtis* in Gloſſa. Concordat Petrus Caſuel eodem titulo.

(114) Furtum egregie exponitur ab Aſteſano noſtro lib. 1. tit. 33. art. 1. in hæc verba — Quantum ad primum ſciendum, quod furtum proprie ſumptum: *eſt fraudulcſa alienæ rei contrectatio invito Domino, quæ fit animo lucrandi, ſcilicet gratia rei, vel poſſeſſionis ejus, vel uſus* ff. eo tit. L. 1. Bene autem dicitur *contrectatio*, quia ſine ea non eſt proprie furtum, licet interveniat voluntas, verbum, vel ſcriptura, ut ff. eo L. 1.; unde ſi quis concupiſcat illicite rem alienam ſine contrectatione, facit contra aliud præceptum, ſcilicet *non concupiſces* &c. *Fraudulcſa* vero additur, quia ſi quis credebat rem ſuam eſſe, ac per hoc licere ſibi eam ſurripere, non committit furtum Inſtitut. *Vi bonorum raptorum* §. *quia tamen*, & §. ſeq. *Invito Domino* ideo apponitur quia ſi credit Dominum permiſſurum, & juſta cauſa ſubſit hoc credendi, non tenetur reus furti, etiamſi Dominus non erat permiſſurus. Si autem juſta cauſa non ſubſit hoc credendi, tenetur ff. eo L. *Si is qui rem*. Si vero facere credebat invito Domino, & tamen Dominus velit, furtum facit quantum ad intentionem, mortaliterque peccat; non tamen tenetur ad reſtitutionem, nec Dominus petere poteſt obſtante ſibi ejus voluntate ff. eo L. *Inter omnes* §. penult. *Rei alienæ* ideo adjungitur, quia non committitur furtum in re pleniſſime propria. Pleniſſime dixi, quia ſi alius haberet jus in illa re, ut ſocius, vel creditor, vel alius ſimilis, etiam Dominus rem illam furtive ſurripiens alicui tali, furtum faceret, & teneretur actione furti, ſed res non eſſet furtiva ff. eo L. *Si res* §. 1., & L. *Si is qui rem*, & L. *Si ſocius*. *Animo lucrandi* ponitur ibi

ibi, quia ſi quis alicujus ancillam meretricem rapuerit, vel celaverit, non lucri, ſed libidinis cauſa, non facit furtum, licet alias graviter peccet ff. eo L. *Verum*. *Gratia rei, vel poſſeſſionis ejus, vel uſus* ponuntur ibi, quia non ſolum committit furtum, qui lucrifacere vult ſic furtivæ rei dominium, ſed etiam qui rei poſſeſſionem, vel uſum diſt. 50. cap. *qui faccum*, & ff. eo L. *Qui jumenta*. Dicitur autem furtum a furno, ideſt nigro, vel obſcuro: eo quia clam, vel obſcure, & plerumque de nocte fiat ff. eo L. 1. Poteſt etiam dici a furno, in quo fur plerumque latet —. Hactenus ille.

Præmiſſa notione furti animadverto cum Card. Cajetano ſuper art. 7. q. *66.* 2. 2. D. Thomæ, quod abuſiva locutio eſt dicere: an furari liceat in extrema neceſſitate; iis enim in caſibus in quibus licite accipimus aliena, non committitur furtum, nec in ipſis ſalvatur ratio furti, ut ad rem S. Thomas ibidem in reſponſione ad ſecundum — *Dicendum, quod uti re aliena occulte accepta in caſu neceſſitatis extremæ non habet rationem furti, proprie loquendo: quia per talem neceſſitatem efficitur ſuum id, quod aliquis accipit ad ſuſtentandum propriam vitam* —.

Triplicem neceſſitatem diſtinguunt Theologi. Prima dicitur communis, qua premuntur pauperes, qui mendicato vitam tranſigunt. Secunda vocatur gravis, quæ in diſcrimen adducit proprium ſtatum, amittendi nempe propriam dignitatem, ſubeundi aliquam gravem infamiam, vel perferendi diuturnam infirmitatem, famem, carcerem, aliaſque ſimiles afflictiones, & incommoda. Tertia eſt extrema, in qua de capite, & vita agitur, ut dum quis tanta premitur inopia, ut graviſſimo laboret periculo fame pereundi, graviter ægrotandi, vel amittendi aliquod corporis membrum, aut ſenſum, quam neceſſitatem urgentem D. Thomas appellat 2. 2. q. *66.* art. 7. Ita Concina lib. *9.* in Decal. Differt. unica cap. 5. num. 1. Author hic de extrema loquitur, & de gravi, quam moralem adpellat. De prima ait, quod accipiens rem alienam in tali neceſſitate conſtitutus non tenetur ad reſtitutionem: quia tunc omnia ſunt communia, & accipit ſuum, uti Doctores communiter loquuntur cum S. Bonaventura in Opuſculo inſcripto *Speculum animæ* cap. 2. *Circa furtum* ſcribente — *quia in neceſſitate omnia ſunt communia, & tunc furtum dici non debet, quia ſuum eſt, quod in neceſſitate accipit, vel etiam pro neceſſitate alterius* —. De ſecunda ait, quod homo tali neceſſitate preſſus aliena capiens reſtituere debet, & pœnitere: quia ſcriptum eſt cap. *Si quis* Extra *de furtis* — *Si quis propter neceſſitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit, cibaria, veſtem, vel pecus, pœniteat hebdomadas tres: & ſi reddiderit, non cogatur jejunare* —. Decretalem hanc ex Pœnitentiali Theodori deſumptam loqui de gravi, non de extrema neceſſitate, teſtatur S. Thomas loco ſupra citato in reſponſione ad primum, & Gloſſa etiam ſuper eadem Decretali inquiens — *Ex eo enim, quod pœnitentia imponitur, colligitur quod modica fuerit neceſſitas; ſi enim magna fuiſſet, non imponeretur pœnitentia. Argum. contra DE CONSECRATIONE diſt. 5. cap. DISCIPULOS: quia in neceſſitate omnia ſunt*

*com-*

*communia. Arg. 42. diſt. cap. 1. & 12. q. 1. cap. 2., & 23. q. 7. cap. QUOD AUTEM* -- Addi hic debet, quod ſecus opinari eſt propoſitio ab Inno. XI. proſcripta anno 1679. in ordine 36. -- *Permiſſum eſt furari non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi* --. Hæc omnia perbelle exponit, & confirmat S. Thomas loco proxime citato in corpore, & pene iiſdem verbis Aſteſanus lib. 1. tit. 33. art. 3. Circa tertium ſcribens -- Ea, quæ ſunt juris humani, derogare non poſſunt juri naturali, vel divino. Secundum autem ordinem naturalem ex Dei providentia inſtitutum res inferiores ſunt ordinatæ ad hoc, ut ex eis ſubveniatur hominum neceſſitati. Et ideo propter rerum diviſionem, & appropriationem ex humano jure procedentem non impeditur, quin ex eis ſit hominum neceſſitati ſubveniendum; & ideo res, quas ſuperabundanter habent aliqui, debentur pauperum ſubſtentationi. Unde Ambroſius, & habetur diſt. 47. cap. *Sicut hi, qui per inſaniam -- Eſurientium panis eſt, quem detines: nudorum indumentum eſt, quod recludis: miſerorum redemptio, & abſolutio eſt pecunia, quam in terra etiam fodis* --. Sed quia multi neceſſitatem patiuntur, & non poteſt ea eadem re omnibus ſubveniri, committitur arbitrio uniuſcujuſque diſpenſatio rerum ſuarum, ut ex eis neceſſitatem patientibus ſubveniat. Si tamen adeo ſit urgens, & evidens neceſſitas, ut manifeſtum ſit inſtanti neceſſitati de rebus occurrentibus ſubveniendum eſſe: puta cum imminet periculum perſonæ, nec aliter ſubveniri poteſt: tunc licet ex rebus alienis ſive manifeſte, ſive occulte ſublatis ſuæ neceſſitati ſubvenire. Nec hoc habet proprie rationem furti, vel rapinæ: tum quia illud naturale jus, & divinum exigit, ut dictum eſt: tum quia neceſſitas omnia communia facit, Arg. diſt. 42. §. 1., & 22. q. 1. cap. *Dilectiſſimus*: tum quia Dominus rei tunc ei ſubvenire teneretur, ſi præſens eſſet diſt. 86. cap. *Paſce*. Unde talis licite potuit, & debuit credere Dominum permiſſurum, & ita non commiſit furtum. Tum quia neceſſitas legem non habet, *de conſecratione* diſt. 1. cap. *Sicut*. Si autem ſit neceſſitas, ſed non tanta, peccat, ſed peccatum neceſſitas attenuat, & in tali caſu loquitur Extra *de furtis* cap. *Si quis* -- Hactenus Aſteſanus. Immo non ſolum qui extrema neceſſitate laborat, ſed etiam alius quiſque bonis deſtitutus, poteſt ſine peccato aliena ſurripere, ut proximo extrema laboranti neceſſitate proſpiciat: ſicuti cum communi docet S. Thomas ibidem in reſp. ad tertium -- *Dicendum, quod in caſu ſimilis neceſſitatis etiam poteſt aliquis occulte rem alienam accipere, ut ſubveniat proximo ſic indigenti* --.

Sed quia etiam Dominus rei quandoque poteſt pari laborare neceſſitate; ut ſcias quid juris in hoc caſu, optima eſt, & opportuna doctrina Scoti in 4. diſt. 15. q. 2. in reſp. ad quintum argumentum ſcribentis -- Aut detineas eſt in extrema neceſſitate, & ille, cujus eſt res, non, ſed habet aliquam neceſſitatem citra extremam: & tunc dicendum, quod iſta res ſit iſtius detinentis jure poli, quo in extremæ neceſſitatis articulo ad providendum ſuſtentationi naturæ, via omnibus in extrema neceſſitate detentis eſt con-

conceſſa Extra *de verborum ſignificatione*, *Exiit qui ſeminat*, & eſt hodie in Sexto Decretalium. Si autem ambo, detinens ſcilicet, & cujus res detinetur, ſunt in extrema neceſſitate: ſi prius devenit Dominus ad illam extremam neceſſitatem, debet reddi Domino duplici jure; tum quia prius ſuum; tum quia jam ex iſta neceſſitate factum eſt ſuum. Si vero prius devenit detinens, factum eſt ſuum; & tunc Domino poſt devenienti ad iſtam neceſſitatem non debet reddi: quia ceſſavit dominium ejus in re iſta, & factum eſt alterius jure poli. Si ambo ſimul deveniant, dico quod debet reddi Domino: quia numquam cecidit a dominio. Et ſi arguas, quod magis debet quilibet ſe diligere quam proximum, & per conſequens magis vitam ſuam corporalem quam vitam proximi: & per conſequens iſtam rem ſimpliciter neceſſariam ſibi magis retinere, quam dare proximo. Reſpondeo magis debet diligere vitam ſuam ordinate, ut eſt diligibilis ad vitam æternam, & ita magis conſervationem juſtam vitæ ſuæ, quam conſervationem juſtam vitæ proximi; ſed non magis conſervationem injuſtam vitæ ſuæ, quam conſervationem juſtam vitæ proximi. Sic enim magis debet latro ſuſtinere ſuſpendium, quam occidere ſuſpendentem ut evadat. Cujus ratio eſt, quia dilectio vitæ corporalis injuſte cuſtoditæ non eſt dilectio ordinata, quia non eſt ad dilectionem animæ, nec Dei. Iſtius autem detinentis in caſu ultimo, cuſtoditio vitæ de re aliena eſt injuſta, & cum hoc eſt etiam homicida: quia injuſte occidit alium, qui ſubtrahit ſibi neceſſarium, quod ſibi debetur -- Hæc ille.

Quæritur hic primo. An qui in extrema neceſſitate aliquid furatus eſt, ea tranſacta teneatur illud reſtituere, ſi extet?

R. Dubio procul; & iccirco ſi equum abſtuliſti, ut fuga vitæ tuæ conſuleres, tranſacto periculo teneris illum reddere: quia ſolum indigebas uſu equi, non ejus proprietate. Adnotat tamen Concina loco proxime citato num. 6., quod ſi tempore neceſſitatis, nempe in evadendo periculo, equus interiiſſet, nihil reſtituere adſtringeris. Immo ſi extrema neceſſitate laborans magnam pecuniæ ſummam ſurripuiſti, ea tranſacta teneris reſtituere quod ſupereſt: quia ceſſante tali neceſſitate ceſſat jus, quod habebas ad vitæ ſuſtentationem ex re aliena.

Quæritur ſecundo. An qui in extrema neceſſitate aliquid mutuo accepit, vel emit, quod in tali neceſſitate poſitus conſumpſit, teneatur illud reddere, vel ſolvere, neceſſitate tranſacta, deveniens ſcilicet ad pinguiorem fortunam?

R. Utique, quia obligatio reſtitutionis, vel ſolutionis, quam tu contraxiſti, tempore talis neceſſitatis ſuſpenſa duntaxat fuit, non extincta: quia inſuper ad id videris te obligaſſe, dum mutuum accepiſti, vel emiſti: quia demum conſumpſiſti rem propriam, & tibi acquiſitam per contractum obligantem ad æquivalens. Tibi igitur periit, dum periit, non Domino, qui jam in te dominium omne tranſtulerat.

Quæ-

Quæritur tertio. An peregrinus extrema neceſſitate preſſus in loco ubi eſt, alibi tamen bonis abundans, teneatur reſtituere, ſi quid eo in ſtatu ſurripiat?

R. Haud dubie: quia non eſt abſolute pauper, & reipſa tunc habet unde reddat. Non peccat is eo in caſu; utitur enim jure ſuo ſurripiendo, ne fame pereat. At cum alio bonis abundet, æquitas poſtulat, ut reſtituat quod coactus alteri ſurripuit.

Quæritur quarto. An abſolute pauper, qui in extrema neceſſitate ſurripuit quantum erat ipſi neceſſarium ad vitæ conſervationem, reſtituere ſaltim teneatur, dum ad fortunam venit pinguiorem?

R. Hoc ipſum eſt Dubium principale ab Authore propoſitum, & huc uſque ſolutum. Unice addo nullius eſſe ponderis, quod in oppoſitum profert Romanus Theologus in Notis ad Bibliothecam Ferraris ſuper ver. *Neceſſitas*, videlicet quod — *tranſacta neceſſitate Dominus rationabiliter petit rem ſuam, cum homo jam reſtitutionis capax evaſerit* —; falſo enim ponit, illum pauperem eo in caſu accepiſſe alienum, quum acceperit id, quod ſuum erat jure tum naturali, tum divino, jure poli, ut ait Scotus, etſi alienum jure humano, quod naturali, & divino prævalere nequit.

Quæritur quinto. An qui aliena ſurripuit nondum factus ſupra modum pauper, eaque in extrema neceſſitate conſumpſit, tenatur illa reſtituere, meliorem fortunam adeptus?

R. Lubens do eidem Romano Theologo ibidem præferendam non eſſe ſuper hac ſententiam negantem, quam poſt nonnullos ſecutus eſt idem Ferraris ver. *Neceſſitas* num. 15. Firmiter igitur teneo, hunc, de quo in caſu, non eſſe ab onere reſtitutionis abſolutum; furtum enim verum, propriumque ſemel admiſſum non amittit naturam ſuam ob neceſſitatem ſupervenientem, ſed adhuc furtum eſt. Adhuc igitur ſubjicitur debito reſtitutionis. Egregie Scotus paullo poſt verba ſuperius recitata —. *Tenetur tamen poſt deveniens ad pinguiorem fortunam reddere æquivalens, quia obligatio ad æquivalens videtur ortum habuiſſe per comparationem ad illam occupationem primam rei alienæ, quæ fuit injuſta ante extremam neceſſitatem. Et illa obligatio per extremam neceſſitatem non eſt extincta, ſed ſopita. Sed ſi numquam ante extremam neceſſitatem occupaſſet, tunc juſte ſimpliciter occupaſſet rem ſuam, nec ad aliquam teneretur reſtitutionem* —.

Adverſus principale reſponſum, quod nempe liceat in extrema neceſſitate rem alienam accipere in ſenſu ſupra declarato, nonnulla ſibi objicit, & ſolvit Gloſſa in cap. *Si quis* Extra *de furtis*, quæ lubens prætermitterem, ſi ea non proferrent nonnulli graviſſimi Scriptores. Ea igitur accipe ab Hoſtienſi *de furtis* num. 2. — Sed quæritur, quare excuſatur quis a furto in hoc caſu, & mulier in caſu conſimili non excuſatur a fornicatione ff. *de ritu nuptiarum* L. *Palam* §. *non eſt* (*Non eſt ignoſcendum ei, quæ obtentu paupertatis turpiſſimam vitam egit*). Reſpondeo, quia tempore famis res ne-

ceſſaria ad vivendum ſit communis, ut dixi: quod in mulieribus non contingit ſecundum Goffredum. Immo ratio eſt: quia in primo caſu jus naturale ſubvenit, & excuſat ratio naturalis; in ſecundo jus divinum contradicit, & accuſat turpitudo, & horror proveniens ex peccato, ut probant jura inducta ſupra eodem verſiculo in caſu, ex dicta L. *Palam*, & in Authentica *de reſtitutionibus*, *& ea quæ parit undecimo menſe* §. *Unum ſiquidem* Collat. 4. Item in primo caſu ſalus corporalis adimeretur, niſi liceret rem alienam occupare; in ſecundo vero, ſi fornicari concederetur, corporalis vita debilitaretur, & ſpiritualis adimeretur, cum ſine mortali committi non poſſit. Ad hoc 22. q. 4. §. *Illicitum* verſ. *Ex modo jurandi tunc eſt illicitum juramentum* &c. Sed quare excuſatur quis ab homicidio propter neceſſitatem ſuæ defenſionis commiſſo, ut ſupra *de homicidio caſuali* 4., & non excuſatur mulier a fornicatione, ut ſupra notavi verſ. proximo. Reſpondeo, quia is, qui alium aggreditur animo occidendi, ſi occidatur, ipſe quodammodo ſe occidit, & alius ideo excuſatur. Arg. ff. *Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur* L. 1. §. *Cum arietes* ſecundum Goffredum. Sed & omnia jura permittunt defenſionem ff. *de juſtitia & jure* L. *Ut vim*; mulier autem improba non defendit ſe, ſed impugnat, ut patet ſupra *de eo qui cognovit conſanguineam uxoris ſuæ* cap. *Jordanæ*; ideoque mulier, cum peccet voluntarie, non excuſatur. Sed defendens ſe, cum invitus, & ad tuitionem ſui corporis committat homicidium, excuſatur. Quid ergo ſi mulier invadatur, & invita, & renitens coactione abſoluta cognoſcatur. Certe excuſatur; quin immo &, ſi virgo fuerit, corona duplicatur 27. q. 5. cap. 1. 2. 3. & ſeq. — Hactenus Hoſtienſis.

SECUNDUM DUBIUM. Utrum faciens furtum, nt faciat eleemoſynam, teneatur?

Reſpondeo, quod ſic. Concordat Alexander de Ales part. 4. q. 110. membro 2. quia non ſunt facienda mala, ut veniant bona.

(115) Eo loci inquirit Alenſis — *Præterea: licet ne committere furtum, vel rapinam, ut fiat eleemoſyna? Et videtur, quod ſic: quia licet furari in caſu, ut ſeipſum ſuſtentet. Ergo ſimiliter videtur, quod licet furari, ut proximum ſuſtentet, quem tenemur ſicut nos diligere: vel quare non?* Huic quæſito ita ipſe reſpondet — *Ad illud, quod quæritur, ſi licet alicui committere furtum, ut inde faciat eleemoſynam, dicendum quod non. Unde Auguſtinus, & habetur 14. q. 5.* — *FORTE ALIQUIS HOC SECUM COGITAT, ET DICIT: MULTI SUNT CHRISTIANI DIVITES, AVARI, CUPIDI, NON HABEBO PECCATUM, SI SUUM ILLIS ABSTULERO, ET PAUPERIBUS DEDERO. UNDE ENIM ILLI NIHIL BONI*

Digitized by Google

*NI AGVNT, MERCEDEM HABERE POTERO, SI EGO ELEEMOSYNAS DEDERO. ETIAM IN HAC RE PARCAT VNVSQVISQVE ANIMÆ SVÆ: QVIA HVIVSMODI COGITATIO EX DIABOLI CALLIDITATE SVGGERITVR. NAM ETIAMSI TOTVM TRIBVAT PAVPERIBVS, QVOD ABSTVLERIT, ADDIT POTIVS PECCATA, QVAM MINVAT* — *Hæc Auguſtinus. Nota, quod dicit, quod ſi totum tribuat, addit potius peccatum &c., unde innuitur, quod non peccat tantum auferendo, ſed etiam pauperi diſtribuendo. Quod verum eſt, quando reddit ſe impotentem ad ſolvendum, ſive ad reſtituendam rem vero Domino* —. Super hoc Canone ex Auguſtino deprompto lib. 50. Homiliarum Homilia 7. ita Gloſſa — *Non videtur tamen, quod talis furtum committat: quia furtum non fit, niſi adſit animus lucrandi, ut ff. DE FVRTIS L. 1. Sed non eſt ita: quia ſpecies furti eſt ex alieno largiri ut ff. DE FVRTIS L. SI PIGNORE §. 1* — Textus ibi eſt expreſſus, quum ſcriptum ſit — *Species enim lucri eſt, ex alieno largiri, & beneficii debitorem ſibi adquirere. Unde & is furti tenetur, qui ideo rem amovet, ut eam alii donet* —. Sed quid multa? En Canonem apertiſſimum 1. q. 1. cap. 27. — *Non eſt putanda eleemoſyna, ſi pauperibus diſpenſetur, quod ex illicitis rebus accipitur: quia qui hac intentione male accipit, ut quaſi bene diſpenſet, gravatur potius, quam juvatur* —. En alterum magis perſpicuum 32. q. 4. cap. 10. — *Sic non ſunt facienda adulteria etiam voluntate generandi regenerandos, quemadmodum nec furta facienda ſunt etiam voluntate paſcendi pauperes ſanctos: quod tamen faciendum eſt non perpetrando furta, ſed bene utendo mammona iniquitatis* —. En tertium æque perſpicuum 14. q. 5. cap. 9. — *Neque enim ſi agris inique, ac perperam invaſis, ita quiſque utatur, ut ex eorum fructibus largas eleemoſynas faciat, ideo rapinam juſtificat* —.

Tertium Dubium. Utrum ille, qui ſolum furatus eſt uſum rei, puta accepit equum mutuo, ut iret Mediolanum, & ivit Placentiam, vel uſus fuit depoſito, & hujuſmodi, teneatur reſtituere?

Reſpondeo, quod ſic, & tantum quantum æſtimandus eſt uſus ille, 14. q. 6. cap. *Si res aliena*, 50. diſt. cap. *Qui ſaccum*, & ff. *de furtis* L. *Qui jumenta*. Concordant Hoſtienſis, & Raynerius. Et ultra hoc tenetur reſtituere damna, ſi quæ paſſus eſt Dominus propter rei abſentiam 12. q. 2. cap. *Si quis de Clericis*, niſi crederet Dominum hoc ſibi permiſſurum. Notificet ergo Domino factum; & ſi hic eſt contentus, non tenetur, aliter ſic. Concordant Monaldus, & Petrus Caſuel eo titulo.



Digitized by Google

(116) Lege id firmatur aperta, tum civili, tum canonica. Civili quidem Inſtitut. *de obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur* §. 6. — *Furtum autem fit, non ſolum cum quis intercipiendi cauſa rem alienam amovet, ſed generaliter cum quis alienam rem invito Domino contrectat. Itaque ſive creditor pignore; ſive is, apud quem res depoſita eſt, ea re utatur; ſive is, qui rem utendam accepit, in alium uſum eam transferat, quam cujus gratia ei data eſt: furtum committit: veluti ſi quis argentum utendum acceperit, quaſi amicos ad cœnam invitaturus, & id peregre ſecum tulerit: aut ſi quis equum geſtandi cauſa commodatum ſibi, longius aliquo duxerit, quod veteres ſcripſerunt de eo, qui in aciem equum perduxiſſet* —: & ff. *de furtis* L. *Qui jumenta* — *Qui jumenta ſibi commodata longius duxerit, aliave re* (alii legunt aliove modo) *invito Domino uſus ſit, furtum facit* —. Canonica pariter cap. *Qui ſaceum* ab Authore laudato — *Qui ſaceum habentem pecuniam ſurripuerit, furti actione etiam ſacci nomine tenetur, quamvis non ſit ei animus ſacci ſurripiendi* —. Hujuſmodi lex primo fuit jure civili ſancita ff. *de furtis* L. 77. (Utor Corpore juris civilis Taurini impreſſo an. 1757.), & poſtmodum fuit Canone conſecrata.

Subdit Author —, *Niſi crederet Dominum hoc ſibi permiſſurum* —. Et hoc etiam in lege perſpicuum eſt Inſtitut. eod. tit. §. 7. *Placuit tamen, eos, qui rebus commodatis aliter uterentur, quam utendas acceperint, ita furtum committere, ſi ſe intelligant id invito Domino facere, eumque, ſi intellexiſſet, non permiſſurum: At ſi permiſſurum credant, extra crimen videri. Optima ſane diſtinctione, quia furtum ſine affectu furandi non committitur* —.

Quærit hic Gloſſa — Quid ſi credatis invito Domino hoc facere, ſed Dominus hoc ratum habeat, ſit ne furtum in hoc caſu? Reſpondeo, quod non. Unde ad hoc, quod commodatarius convertens rem ſibi commodatam in alium uſum, quam in eum, ad quem commodata erat, furtum faciat, duo exiguntur: videlicet quod credat ſe invito Domino hoc facere, & credat eum non permiſſurum — Ita Gloſſa. Favet lex textu aperto Inſtitut. eo tit. §. 8. — *Sed & ſi credat aliquis invito Domino ſe rem commodatam ſibi contrectare, Domino autem volente id fiat, dicitur furtum non fieri* —.

Quærit inſuper Gloſſa ibidem — Quid, ſi hoc credidit, ſcilicet Dominum permiſſurum, ſed ſtulte credebat? Reſpondeo, furti non tenetur, cum non fiat furtum abſque affectu, ut hic ſubjicit, & ſupra *de uſucapionibus* §. *Item ſi is*, & facit ff. *de furtis* L. *Inter omnes* §. *Recte*; ſed actione ex eo contractu, ut commodati, vel ſimili, bene tenetur, ut ff. eodem L. *Qui re ſibi commodata* — Ita eadem Gloſſa.

Ait etiam Author, quod is, de quo in caſu, tenetur ad damna, ſi quæ paſſus eſt Dominus propter rei abſentiam. Et hoc quoque manifeſtum eſt Canone ab eodem laudato — *Si quis de Clericis documenta, quibus Eccleſiæ poſſeſſio firmatur, aut ſupprimere, aut negare, aut adverſariis fortaſſe tradere, damnabili, & punienda obſtinatione præſumpſerit, quicquid per*

*abſtu-*

*abſentiam documentorum damni Eccleſiæ illatum eſt , de propriis facultatibus reddat , & communione privetur — .*

Quartum Dubium . Utrum qui ſua non potuit habere , & furtive ſibi ſatisfacit , teneatur ?

Reſpondeo , quod non L. *Si non ſortem* ff. *de condictione indebiti* . Arguitur cap. *Cum dilectus* Extra *de ordine cognitionum* §. 1. Immo dolus cum dolo compenſari debet L. *Si duo* ff. *de dolo malo* : quod verum credo ſecundum Petrum Caſuel tit. *Reſtitutio* , ſi non immineat aliquod iſtorum trium. Primo ſcandalum ſui, aut proximi innocentis . Secundo periculum mortis corporis , aut alterius læſionis . Tertio periculum mortalis peccati , vel perjurii , & hujuſmodi : quia tunc tenetur reſtituere . Arguitur cap. *Cum ex injuncto* Extra *de novi operis nunciatione* . Peccat tamen ſemper accipiendo . Arguitur cap. *Illud Dominus* Extra *de Clerico excommunicato* . Et maxime , & præſertim quando mediante Judice poteſt habere ſuum . Valde etiam periculoſum eſt : cum nemo ſibi jus debeat dicere , & ſæpe dare debeat qui credit ſibi deberi . Excipitur , niſi aliqua via licita poſſit ſibi ſatisfacere : puta quia eſt diſpenſator domus illius , aut alio modo licito res ejuſdem ad manus ejus pervenerit ; tunc enim poteſt ſibi ſatisfacere ſine peccato , ſi vere debet habere , & non dubie . Concordat Petrus ubi ſupra .

(117) *Compenſatio eſt debiti , & crediti inter ſe contributio* ff. *de compenſationibus* L. 1. Caſus . Debebas mihi decem , ego tibi alia decem . Si petas a me , objiciam tibi compenſationem , quæ neceſſaria eſt : quia magis intereſt non ſolvere ; quam repetere ſolutum . Ita Gloſſa ſuper ead. lege . De hac compenſatione non loquitur Author in præſenti , ſed unice de illa, quæ recuperatio potius debiti , quam propria compenſatio vocari poſſet . Exemplum . Debeo tibi centum , & nolo ea tibi ſolvere . Tu occulte accipis mihi ea centum , & de meo recuperas , quæ tibi debentur . Haud dubie regulariter loquendo nemini licet furtim accipere rem ſuam apud alium detentam , ſed ad Judicem debet recurrere , ut eam recuperet ; ſancitum enim

enim eſt C. *Ne quis in ſua cauſa* L. unica – *Generali lege decernimus neminem ſibi eſſe judicem, vel jus ſibi dicere debere: in re enim propria iniquum admodum eſt, alicui licentiam tribuere ſententiæ* –. Et iccirco jure optimo S. Thomas 2. 2. q. 66. art. 5. ad 3. – *Qui vero furtim accipit rem ſuam apud alium injuſte detentam, peccat quidem, non quia gravet eum qui detinet, non enim tenetur ad reſtituendum aliquid, vel ad recompenſandum, ſed peccat contra communem juſtitiam, dum ipſe ſibi uſurpat ſuæ rei judicium, juris ordine prætermiſſo. Et ideo tenetur Deo ſatisfacere, & dare operam, ut ſcandalum proximorum, ſi inde exortum fuerit, ſedetur* –. Unice igitur a Theologis inquiritur: utrum aliqui dari poſſint caſus, in quibus occulta compenſatio liceat: & utrum ſecuta compenſatione propter defectum conditionum a Theologis in caſu non permiſſo, teneatur quis reſtituere ſuum, quod furtim accepit. Circa hoc poſtremum pene nulla controverſia eſt; fatentur enim omnes cum S. Thoma nunc recitato, communiter non teneri ad reſtitutionem: quia injuſtum detentorem non gravavit, neque ullum ei damnum intulit, accipiendo quod ſuum erat, vel aliud æquivalens: tametſi peccet propter injuriam & juri, & detentori illatam; teneri tamen quandoque ad avertendum ſcandalum, vel periculum, ſicuti egregie S. Antoninus loco infra citando – *Peccat ergo in his caſibus ſibi ſatisfaciens. Satisfacere autem, ſeu reſtituere non tenetur, niſi plus debito accepiſſet, vel niſi ei non ſatisfaciendo, ſeu reſtituendo, unum de quinque ultimis periculis evenire poſſet, cui tamen obviaretur reſtituendo* –: & S. Bernardinus in fine Articuli, de quo infra – *De tali peccato pœnitentiam facere debet; ſatisfacere autem non tenetur, niſi ſibi plus debito exolviſſet, vel niſi in ſatisfaciendo unum, vel plura de quatuor prædictis periculis imminerent. Arg. ad hæc Extra DE NOVI OPERIS NUNCIATIONE cap. CUM EX INJUNCTO §. SUPER EO. Ratio prædictorum eſt: quia qui ſic retineret, vel contra proximum, vel contra ſeipſum, perverteret juſtitiam naturalem, cum propter rem temporalem poſtponeret rem majorem, ſcilicet famam, vitam, & animam ſuam* –. Diſputatio ergo præcipua reducitur ad primum, de quo Cajetanus Comment. ſuper loco S. Thomæ ſupra producto, S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 15. §. 3., Alenſis part. 4. q. 86. membr. 3. art. 1., S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 33. art. 1. cap. 2., Joannes Pontas ver. *Compenſatio* caſu 3., Aſteſanus lib. 1. tit. 33. art. 3. *Numquid peccat*, Cuniliati de ſeptimo Decal. præcepto cap. 5. §. 2., Colletus Inſtitut. *de juſtitia* cap. 4. art. 4. ſect. 3. quæres 3., Ferraris ver. *Compenſatio*, Gennettus de ſept. Decal. præcepto cap. 3. q. 5. & 6., Antoine de juſtitia & jure part. 3. cap. 5. q. 9., Concina lib. 8. in Decalogum Diſſert. unica cap. 6. per totum, aliique complures tum veteres, tum Recentiores. Sermo interim non eſt de ſervis, ancillis, & opificibus, qui ſub obtentu, quod ſtipendium, de quo cum Dominis convenerunt, non reſpondet ipſorum labori, & obſequiis, occulta utuntur compenſatione. Hi profecto nedum peccant, ſed reſtituere tenentur, eiſdemque

que reſponderi poteſt, quod cuidam ſervo dixit Paterſamilias Matth. 20. v. 13. 14 — *Amice non facio tibi injuriam: nonne ex denario conveniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade* —. Immo doctrina ſecus conſtituens, propoſitio eſt merito proſcripta primum ab Academiis Lovanienſi, & Pariſienſi, & poſtmodum ab Inno. XI. an. 1679. in ordine 37. — *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt*: ſuper qua propoſitione jure optimo Clerus Gallicanus an. 1700. — *Hæc propoſitio falſa eſt, furtis viam aperit, & famulorum fidem labefactat* —. De eadem Pariſienſis Academia dixerat an. 1641. — *Hæc doctrina falſa eſt, & periculoſa, etiam additis reſtrictionibus, & domeſticis furtis viam aperit* —: & Academia Lovanienſis an. 1657. — *Hæc aſſertio falſa eſt, naturam hominis de ſe pronam ad malum præcipitans in furta, ac domeſticam pacem perturbans; eo vel potiſſimum, quod iſta compenſatio ipſorummet famulorum, & famularum judicio relinquitur* —. Et quia nonnulli tuebantur, eandem conſentaneam eſſe Sanctis Ambroſio, & Auguſtino; iccirco, ut adnotat Gennettus laudatus, anno 1659. ab Apoſtolica Sede rejecta fuit hiſce verbis — *Hæc doctrina quibuslibet additis reſtrictionibus pernicioſa eſt: pacem familiarum, famulorum fidem labefactat: Sanctis Patribus Ambroſio, & Auguſtino falſo imperite, & injurioſe affingitur* —.

Sermo igitur unice eſt de illis caſibus, in quibus debitum eſt certum, & nulla alia ſuppetit via ad ipſum recuperandum. Author hic ſequitur S. Bernardinum, & cum eodem conſtituit, unice id fieri poſſe licite in duobus caſibus; in aliis autem peccare eum, qui occulta utitur compenſatione. Audiamus quæſo S. Bernardinum loco proxime citato ſcribentem — *Sed quid de eo, qui non poteſt rehabere rem ſuam, & debitum ſuum: vel quia impotens eſt contendere cum majore; vel quia non poteſt ſua jura probare: aut quia in judicio ei juſtitia minime miniſtratur: ſeu quacumque alia cauſa non poſſit homo rehabere ſua: numquid poterit ſibi ipſi ſolvere per occultum furtum? Ad hoc reſpondet Henricus de Gandavo in Quolibeto ſuo dicens, quod talis non peccat nec in modo recuperandi, nec in retinendo rem ſibi recuperatam: quia licet ita regulariter propulſare injurias, & compellere ad reſtitutionem, non debeat fieri per perſonam ſingularem, ſed per publicum Judicem, quando bono modo poteſt per eum fieri: in caſu tamen, quod hoc minime fieri poſſet per Judicem tali modo, ſingulari perſonæ intelligitur eſſe conceſſum tamquam miniſtro legis, & Judici regulari. Et ſic in tali caſu licet ſingulari perſonæ, injuriam propulſare, & per ſe ipſum rem ſuam recuperare. Et quia ſic eſt in propoſito: quia ponitur iſte propter potentiam detinentis per miniſterium alicujus Judicis non poſſe recuperare rem ſuam; ideo nec in recuperando nec in retinendo peccare videtur. Et hujus ſententiæ eſt Auguſtinus ...... Licet enim prædicta poſſint aliquo modo ſalvari, poſſunt tamen circa hoc plura pericula imminere. Propterea diſcretius, & cautius, & ſecurius ſecundum alios dicendum eſt, quod is, cui debetur, in duobus caſibus de rebus debitorum ſibi ipſi re-*

*ſi reſtituere poteſt. Primo, quando rerum ipſius debitoris efficitur diſpenſator: Secundo, quando res aliqua debitoris, vel ſua ad ipſum per aliam viam licite venit: ut puta cum fur deponit rem furtivam apud eum, a quo illam abſtulit, vel quia caſu aliquam rem illius invenit. Aliter autem minime ſibi ipſi ſatisfacere poteſt .....* Alenſis in corpore Articuli diſtinguit quidem unam compenſationem ab altera ſcribens — *Si vero rem ſuam recuperat furto, vel rapina rei æquipollentis, furti reus eſt: quia hæc res numquam fuit ſua, ſed per judicium rem ſuam debet recuperare. Si vero rem ſuam recuperat furto, vel violentia, non tenetur ad reſtitutionem* —. Sed in fine ejuſdem videtur ſtatuere, diſtinctionem hanc locum duntaxat habere in jure civili, non in divino, ita concludens — *Sic ſecundum modum prius tactum dicendum eſt ad prædicta juxta ſcientiam Juriſperitorum. Sed ſecundum diffinitionem illorum, qui periti ſunt in jure divino, poteſt dici, quod qui ſine ſcandalo rem ſuam latenter, vel per violentiam acceperit, vel rem æquivalentem rei ſuæ, non tenetur reſtitutioni, quia ſimpliciter non tenetur. Et ſi objiciatur, ut tactum eſt, quod contractet rem alienam, dicendum quod non ut alienam; unde talis non eſt judicandus fur* —. Cæteri autem Scriptores ſupra producti, unum ſi demas Concinam, de quo mox, nulla facta caſum reſtrictione, nulla item poſita diſtinctione inter rem propriam, & æquivalentem, abſolute conſtituunt compenſationem, de qua ſermo, eſſe licitam: dummodo habeantur conditiones infra aperiendæ. Horum judicium tanti fecit Daniel Concina, ut loco ſupra laudato num. 12. ſcripſerit — *Quid itaque ex iis, quæ hactenus diſputata ſunt, colligimus? Hæc ſcilicet quæ ſubjicio. Primum. Improbare abſolute non audeo, ob Theologorum auctoritatem, ſententiam, quæ compenſationem occultam licitam defendit, ſi præſcriptæ conditiones revera ſerventur. Rationum tamen momenta, quæ expoſui, tantum mihi faceſſunt negotium, ut numquam ego compenſationem ſuaderem tamquam licitam. Quid ergo? Anceps ſum, & perplexus. Rationes probabilius evincunt mihi illicitam compenſationem. Auctorita Theologorum oppoſitum decernit. In dubio ego tutiorem partem eligerem. Qui ſapientiores ſunt, quod veriſimilius illis apparet amplectantur* —.

Conditiones ad juſtam compenſationem alii plures, alii pauciores adſignant. Ego illas exſcribo, quas ibibi exhibet S. Antoninus, exponens quibus in caſibus non poteſt fieri licite — *Primo, quando juridice, vel aliter poteſt ſuum rehabere, ideſt petendo ab eo, qui eſt ſibi debitor, vel ipſum in judicio conveniendo per probationes ſufficientes, quas habet, & ſibi fieri ſperat juſtitiam; facit enim tunc contra jus expreſſum. Arguitur diſt. 9. cap. IMPERATORES §. QVICVMQVE ERGO LEGIBVS. Secundo in judicio ordinario, & communi; Nemo enim poteſt eſſe judex in propria cauſa, ut habetur C. NE QVIS IN PROPRIA CAVSA: quod inſtitutum eſt juſte, tum ne fur, vel raptor deprehenſus ſe excuſare poſſet dicens, ſe debere habere ab alio, cui furatus eſt; tum quia inde orirentur ſcandala, & diſcor-*

*diſcordiæ, ſi extra ordinarium judicium quilibet ſibi ſatisfaceret; tum quia plus poſſet accipere, quam quod debet habere, dicendo rem ſuam majoris pretii, quam ſit, & eam, quam abſtulit minoris quam ſit. Tertio in dubio; tunc enim eſt ſuperioris ſententia requirenda; alias accipiendo; cum ſe exponat periculo furti, ex quo dubitat, peccaret graviter. Arguitur 11. q. 3. cap. GRAVE– GRAVE SATIS EST, ET INDECENS, VT IN RE DVBIA CERTA DETVR SENTENTIA–. Quarto, cum veriſimile eſt inde ſcandalum proximorum generari, & gravamen: puta quia vel capietur, vel credetur, quod qui innocens eſt, illud furtum feciſſet; nemo enim cum alterius jactura debet locupletari, DE REGVLIS IVRIS lib. 6. Quinto, quando ex hoc immineret periculum propriæ famæ: puta quia veriſimiliter æſtimari poteſt, quod ſcietur, & ut fur divulgabitur, cum non poſſit probare illum ſibi eſſe debitorem, cui abſtulit. Arguitur 11. q. 2. cap. NOLO ibi – QVI FIDENS CONSCIENTIÆ SVÆ NEGLIGIT FAMAM SVAM, NIMIS CRVDELIS EST–. Sexto, ſi imminet ei periculum propriæ perſonæ, vel vitæ: puta quia poſſet accuſari ut fur, quia hoc eſſet tentare Deum. Arguitur 22. q. 2. cap. QVÆRITVR. Septimo, ſi imminet periculum conſcientiæ: puta quia non credit ſibi licere, ſed furtum reputat: vel quia ſe exponit periculo perjurii, paratus perjurare, cum peteretur, potius quam dicere veritatem. Arguitur 28. q. 1. §. EX HIS OMNIBVS, & 22. q. 5. cap. QVI PERIVRARE. Peccat ergo in his caſibus ſibi ſatisfaciens–.*

Demptis hiſce caſibus, nempe quando debitum eſt certum; quando alia via recuperari nequit; quando nullum imminet periculum neque ſpirituale, neque temporale; quando non fit cum injuria tertii; quando demum res debitoris apud ſe depoſita non eſt, nec ſibi commodata; arbitror cum eodem Sancto ibidem compenſationem non eſſe illicitam – *Niſi ille* (ait S. Antoninus), *a quo abſtulit, tantundem habuiſſet de ſuo, & nolebat reddere: quia in tali caſu non tenetur ad reſtitutionem ſecundum Hoſtienſem, niſi per hoc fieret alteri gravamen, peccavit tamen talis graviter ſic auferendo, ſi poterat in judicio rem ſuam recuperare, quia non debebat ſibi facere juſtitiam, ſed judex. Si autem in judicio non poterat rehabere ſuum, vel propter defectum probationis, vel propter tyrannidem, vel potentiam ipſius, tunc etiam nec accipiendo peccavit, niſi inde aliis ſcandalum pararetur –.* Ratio, ut puto, invicta ea eſt, quam profert Antoine loco ſupra laudato – Quia jure naturali cuique licet indemnem ſe ſervare citra alterius injuriam. In occulta autem compenſatione licita nemini fit injuria: nam occulta compenſatio neque eſt contra juſtitiam commutativam, cum nulla injuria inferatur debitori nolenti ſolvere; ipſe enim ex juſtitia tenetur tantundem dare, & creditor accipit id, quod ex juſtitia ſuum eſſe debet; eſtque juſta defenſio ab injuria, qua creditorem continuo vexat debitor, injuſte retinendo id, quod ei ex juſtitia debet. Ergo debitor non poteſt eſſe rationabiliter invitus quoad ſubſtantiam. Sed nec quoad modum: quia cre-

ditorem excuſat neceſſitas, & impotentia aliter accipiendi ſolutionem. Neque eſt contra juſtitiam legalem, & publicam poteſtatem, nam ſupponitur Judex vel nolle, vel non poſſe rem debitam creditori adjudicare —. Hæc ille.

Quoniam vero memoratæ conditiones perraro inſimul reperiuntur; idcirco Theologi omnes cum Authore concludunt rem eſſe periculis undique refertam, non conſulendam, non ſuadendam; a qua immo fideles dehortari debeat modis omnibus — Quod ſi pœnitens (iterum Concina ibibi num. 13.) ea proprio marte uſus fuerit ſi contritus ſit, eum abſolve a culpa (intellige ſi quæ ibi eſt). Prius tamen ſevere perpende, ſi conditiones juſtitiæ ſervatæ ſint: nempe quod debitum fuerit certum certitudine evidenti, non probabili: quod fuerit evidenter liquidum, & actu debitum: quod in compenſatione ſervata fuerit æqualitas: & quod res accepta ſit Domini, & non aliis anterioribus creditoribus debita, nec ab aliquo tertio loco depoſiti conſignata. Si omnes hæ conditiones ad juſtitiam attinentes ſervatæ fuerint, nulla eſt reſtituendi obligatio: quamvis poſſit illicita eſſe compenſatio ob ordinis violationem. Et ab hac culpa poteris eum abſolvere —. Hactenus Concina. Facta poſtmodum compenſatione, cauto modo, ſi fieri moraliter poteſt, moneatur debitor, quod nihil amplius ipſe debet, tum ne relinquatur ipſi conſcientia gravis obligationis adhuc ſolvendæ, tum ne bis idem debitum ſolvat. Quod ſi fieri hoc non poſſit ſine periculo gravis diſcordiæ, vel alterius damni, & lapſu temporis offerat ſolutionem, non poteſt, nec debet accipi, quia eſſet iterata ſolutio; & ſi ſine infamia recuſari nequeat, occulte ſtatim debet reſtitui.

QUINTUM DUBIUM. Utrum fur, vel raptor teneatur non ſolum rem, ſed etiam fructus reſtituere?

Reſpondeo, quod quilibet malæ fidei poſſeſſor, quia ſemper eſt in mora, tenetur Primo ſecundum Raymundum reſtituere rem, ſi extat: vel ſi periit, aut eſt deteriorata, eam reſtituere ſecundum æſtimationem illam, in qua erat, quando eam accepit, niſi obtuliſset eam Domino, & hic noluiſset eandem recipere, antequam facta eſset deterior L. *In re furtiva* ff. *de condictione furtiva*. Secundo tenetur, ſicut dictum eſt de uſurario tit. *de uſuris* Dubio 31., ad fructus perceptos, & percipiendos, ſi res erat de ſe fructuoſa cap. *Gravis* Extra *de reſtitutione ſpoliatorum*, & dicta L. *In re furtiva*, & aliis, quæ in eodem Dubio 31. producuntur.

tur. Addo tamen, quod poſseſsor malæ fidei non tenetur de fructibus percipiendis, niſi quando habet rem ſine aliquo titulo L. *Generaliter* ff. *de regulis juris*. Quando enim habuit rem aliquo titulo, puta donatione, venditione, & hujuſmodi, tunc tenetur ſolum de fructibus perceptis L. *Si fundum* C. *de rei vindicatione*: niſi talis titulus habitus ſit per metum, quia tunc tenetur etiam de percipiendis: videlicet primo, quando titulus eſt habitus contra interdicta legum L. *Quemadmodum* C. *de agricolis, & cenſitis, & colonis*. Secundo, quando titulus habetur in fraudem creditorum L. 1. ff. *Quæ in fraudem creditorum*. Tertio, quando titulus habetur ex exemptione rei fiſcalis ſine ſolemnitate. In aliis dic ſicuti dictum eſt in memorato Dubio.

(118) Fructus a Theologis dividi ſolent in naturales, induſtriales, mixtos, & civiles. Naturales ii cenſentur, qui natura ipſa ſponte producuntur, nulla, aut pene nulla hominis induſtria cooperante, quemadmodum ſunt fœtus animalium, fructus arborum, herbæ pratorum, ſylvæ ceduæ &c., de quibus L. *Fructus percipiendo* ff. *de uſuris*. Induſtriales ii dicuntur, quos producit ſola hominis induſtria ex re ſuapte natura ſterili, puta ex negotiatione pecuniæ, ex uſu artificioſo alicujus inſtrumenti, ex venditione rerum &c., de quibus L. *Bonæ fidei ff. de adquirendo rerum dominio*. Mixti ii ſunt, ad quos producendos concurrunt tum natura, tum induſtria puta vinum, oleum, ſegetes, omneſque fructus ſerendo, & colendo producti, qui quidem natura fiunt, ſed inſimul hominis induſtria notabiliter concurrente, de quibus eadem L. *Fructus percipendo*. Civiles demum ii habentur, qui ex certo jure alicui conceſſo ſecundum leges percipiuntur, puta penſiones domorum, vecturæ navium, mercedes, ſalaria &c., quæ in foro civili conſiderantur tamquam fructus, quia ad ſimilitudinem fructuum per leges conſtituta ſunt, de quibus expreſſe L. *Prædiorum* ff. *de uſuris — Prædiorum urbanorum penſiones pro fructibus accipiuntur —*. Fructus item alii dicuntur percepti, alii percipiendi, alii extantes, alii conſumpti. Percepti non ſolum ſunt ii, qui jam collecti ſunt, & in horreum conjecti, ſed etiam qui hominis induſtria a ſolo ſunt ſeparati, tametſi nondum in horreis, aut cellariis reconditi, de quibus L. *Si fructuarius* ff. *quibus modis uſufructus — Si fructuarius meſſem fecit, & deceſſit, ſtipulam, quæ in meſſe jacet, hæredis ejus eſſe Labeo ait: ſpicam, quæ terra teneatur, Domini fundi eſſe: fructumque percipi, ſpica aut fœno caeſo, aut uva adempta, aut excuſſa olea, quamvis nondum tritum frumentum, aut oleum factum, vel vindemia coacta ſit —*.

*ſit* —. Percipiendi cenſentur illi, qui adhuc pendentes ſunt, nondum collecti, ſed in rebus, e quibus naſcuntur, adhuc exiſtunt. Tales fundo cedunt, ipſumque ſequuntur, ut L. 44. ff. *de rei vindicatione* — *Fructus pendentes pars fundi videntur* —. Extantes illi habentur, qui in rerum natura adhuc ſunt: & conſumpti dicuntur, qui amplius non exiſtunt, & quos poſſeſſor jam in ſuos uſus convertit. Author impræſentiarum nomine fructuum percipiendorum eos non intelligit modo declaratos, ſcilicet adhuc pendentes, ſed illos, quos etſi poſſeſſor non perceperit, Dominus tamen honeſte percipere potuiſſet. Ita ipſemet loquitur Dubio 31., quod hic appellat. Ita ſe explicat Nicolaus de Auximo in Supplemento ver. *Reſtitutio primo* hoc idem Dubium expendens — *Si talis poſſeſſor non habuit titulum, clarum eſt, quod tenetur omnes reſtituere non ſolum perceptos, ſed etiam qui percipi potuerunt per Dominum rei, ſi rem habuiſſet*. Ita demum Cœleſtinus III. cap. *Gravis*, de quo paullo infra.

Juvat hic animadvertere, ſermonem non eſſe de fructibus mere induſtrialibus, quos non percepiſſet Dominus rei, & eos percepit poſſeſſor; Doctores enim uno ore conſtituunt, quod poſſeſſor tum bonæ, tum malæ fidei hos non tenetur reſtituere: quia non ſunt fructus malæ fidei, nec rei alienæ, ſed duntaxat propriæ induſtriæ. Et iccirco qui pecunia furtiva negotiatus eſt, non tenetur reſtituere lucrum, quod percepit, ſed unice pecuniam ablatam, itemque omne lucrum ceſſans, & damnum emergens, ſi quod fuit. Sermo igitur duntaxat eſt de ceteris fructibus ſupra declaratis, ad quos omnes reſtituendos teneri furem, & raptorem, nemo eſt qui ire poſſit inficias L. *Certum eſt* C. *de rei vindicatione* — *Certum eſt malæ fidei poſſeſſores omnes fructus ſolere cum ipſa re præſtare: bonæ fidei vero extantes; poſt autem litis conteſtationem, univerſos* —: & Inſtitut. *de rerum diviſione* §. *Si quis a non Domino* — *Ei vero, qui alienum fundum ſciens poſſederit, non idem conceſſum eſt: itaque cum fundo etiam fructus, licet conſumti ſint, cogitur reſtituere* —: & L. *In re furtiva* ff. *de condictione furtiva* — *Noviſſime dicendum eſt, etiam fructus in hac actione venire* —. Immo & eos, quos Dominus rei honeſte potuiſſet percipere L. 33. ff. *de rei vindicatione* — *Fructus non modo percepti, ſed & qui percipi honeſte potuerunt, æſtimandi ſunt; & ideo ſi dolo, aut culpa poſſeſſoris res petita perierit, veriorem putat Pomponius Trebatii opinionem, putantis eouſque fructuum rationem habendam, quoiuſque haberetur, ſi non periiſſet* —: & L. 4. C. *Unde vi* — *Reum cauſam omnem præſtare oportet: in qua fructus etiam, quos vetus poſſeſſor percipere potuit, non tantum quos prædo percepit venire non ambigitur* —: & Cœleſtinus III. cap. *Gravis* Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* — *Mandamus, quatenus ſi vobis conſtiterit de præmiſſis, prædictum Archidiaconum ablata prænominati Monaſterii fratribus cum integritate reſtituere, damna plenarie reſarcire, & de illatis injuriis competenter ſatisfacere compellatis: proviſuri, ut non tantum fructus a novo, & violento poſſeſſore perceptos, ſed quos, ſi eis poſſidere fuiſſet licitum, poſſeſſores veteres percepiſſent, reddi faciatis eiſdem* —: & ali-

& alibi pluries in jure tum civili, tum canonico. Ratio invicta eſt: quia Dominus reddi debet indemnis. Non redderetur autem, ſi ipſi non reſtituerentur fructus, quos honeſte potuiſſet percipere, & percepiſſet.

Enodandum ſupereſt, an probari debeat Authoris diſtinctio inter poſſeſſorem malæ fidei, cum titulo, & poſſeſſorem ſine titulo, ut primus teneatur ſolum de perceptis, ſecundus autem, quem etiam Doctores vocant violentum, & de perceptis, & de percipiendis, ſcilicet de iis quoque, quos Dominus honeſte percepiſſet. Diſtinctionem hanc repetit, & confirmat Author in Angelica *Reſtitutio primo* ver. *Poſſeſſor malæ fidei*, cui concinunt Nicolaus de Auximo in Supplemento loco ſupra laudato, Roſella ver. *Reſtitutio ſeptimo* num. 19. verſus finem, aliique. Et quod pluris facio, eamdem probat, & confirmat utraque Gloſſa, civilis ſcilicet, & canonica. Civilis quidem, tum in L. *Si fundum* C. *de rei vindicatione*, tum in §. *Si quis non a Domino*, & ſignanter ſuper ver. *Cogitur reſtituere* Inſtitut. *de rerum diviſione*. Eandem hic audiamus ſcribentem — Diſtingue tamen: quia ſi habet titulum malæ fidei poſſeſſor, de conſumptis condictione ſine cauſa, de extantibus rei vendicatione tenetur, de percipiendis propter titulum excuſatur, ut C. *de rei vindicatione* L. *Si fundum*, niſi in quatuor caſibus. Primo, quando emit ab eo. quem ſcit vendere in fraudem creditorum, ut ff. *quæ in fraudem creditorum* L. *Ait Prætor* §. *per hanc*. Secundo, quando emit ab eo, qui metu compulſus eſt, ut ff. *quod metus cauſa* L. *Sed & partus*. Tertio, quando emit contra interdicta legum ſciens, ut C. *de agricolis, & cenſitis* L. *Quemadmodum*. Idem in quarto, ſcilicet quando emit a Fiſco non ſolemniter vendente, ut C. *de fide inſtrumentorum*. Iſti quatuor caſus etiam notantur ff. *Quod metus cauſa* L. *Sed & partus*, & L. *Si fundum* C. *de rei vindicatione*. Si non habet titulum, de conſumptis condictione ſine cauſa, de extantibus rei vindicatione, ut C. *de condictione ex lege* L. penultima, C. *de rei vindicatione* L. *Si fundum*, de percipiendis officio Judicis ff. *de rei vindicatione* L. *Si navis* §. finali — Hæc ipſa. Canonica pariter, tum in cap. *Gravis* Extra *de reſtitutione ſpoliatorum*, tum in cap. *Non liceat* 12. q. 2., & ſignate ſuper ver. *Et cum fructibus*. Verba Gloſſæ poſtremo loco citatæ ſunt hujuſmodi — Aut poſſeſſor fuit bonæ fidei, aut malæ. Si bonæ, reſtituet omnes fructus perceptos a tempore litis conteſtatæ, vel qui culpa ſua non ſunt percepti. Sed ante litem conteſtatam perceptos non tenetur reſtituere, ſed tantum extantes, ut C. *de rei vindicatione* L. *Certum eſt*, & Inſtitut. *de officio Judicis* §. *Poſt inchoatam*. Si fuerit poſſeſſor malæ fidei, tam perceptos, quam quos percipere potuit, tenetur reſtituere, ut Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* cap. *Gravis* & ff. *de rei vindicatione* L. *Si navis* §. *Generaliter*, & C. *de rei vindicatione* L. *Certum eſt*. Si vero malæ fidei poſſeſſor titulum habuit, tunc excuſatur a percipiendis propter titulum, ut C. *de rei vindicatione* L. *Si fundum*: niſi ita ſit, quod ille titulus habeatur pro non titulo, ut cum

quis

quis emit contra interdicta legis, ut C. *de agricolis & cenſitis* L. *Quemadmodum*, & alios caſus habes notatos ff. *quod metus cauſa* L. *Sed & partus* —. Hactenus Gloſſa. Diſtinctio tamen hæc non placet Anacleto Reiffenſtuel, qui iccirco lib. 2. Decretalium tit. 13. §. 5. num. 125. ita ſcripſit — Quin immo poſſeſſor quilibet malæ fidei non ſolum tenetur præſtare fructus perceptos, ſed etiam, qui a Domino honeſte percipi potuiſſent L. *Fructus non modo* ff. *de rei vindicatione* juncta Gloſſa ibi in caſu, textum illum intelligente de quolibet malæ fidei poſſeſſore, non diſtinguendo, an ſit violentus, nec ne. Menochius *de recuperanda poſſeſſione* Remed. 15. num. 606. — Sed ſe fefellit Anacletus: quoniam ſi Gloſſa ibi in caſu non diſtinxit poſſeſſorem cum titulo a poſſeſſore ſine titulo, ſeu violento, id nihilominus egit ibidem ſuper ver. *Potuerunt* adnotans — *Nam in malæ fidei, & ſine titulo loquitur lex iſta* —. Quid igitur tenendum? Si ad mentem legum, & Gloſſarum definienda res eſt, diſtinctio, de qua ſermo, adeo eſt perſpicua & firmata, nihil ut magis. Si autem prout ſuadet ipſa rei natura, videtur ſecus eſſe conſtituendum: quia ſive poſſeſſor ſit cum titulo, ſive ſine titulo, injuſtus detentor is eſt, qui hac de cauſa tenetur Dominum reddere omnino indemnem. Omnino indemnis vero non redderetur, ſi ipſi non reſtituerentur fructus omnes, quos ex re ſua honeſte percipere potuiſſet, & percepiſſet. Cum hoc tamen neceſſario diſcrimine, quod poſſeſſor malæ fidei ſine titulo ipſe ſolus tenetur ad hoc: quia de ipſo ſolo verificatur, quod ſit injuſtus detentor rei alienæ; poſſeſſor autem malæ fidei cum titulo tenetur una ſimul cum fure, & minus principaliter, immo, fure omne damnum reſarciente, remanet ipſe ab hoc onere liber. Hæc tamen dicta ſint ſalvo meliori judicio.

SEXTUM DUBIUM. Utrum fur, vel raptor poſſit petere expenſas factas in re furtiva, vel rapta?

Reſpondet Monaldus titulo *Uſura quarto*, quod ſic in foro conſcientiæ, non tamen omnes, ſed eas ſolum, quas fecit ad conſervationem rei, ut paſcendo equum, & hujuſmodi: vel ad opportunam meliorationem, ut curando animal morboſum nutriendo porcum, & hujuſmodi. In forma autem judicii non poteſt petere, niſi eas præciſe, de quibus in Regula poſita in Dubio 31. quarti tituli, ſcilicet *de uſuris*, L. *Ex argento* ff. *de condictione furtiva*, & Inſtitut. *de rerum diviſione* §. *Ex diverſo*. Concordant Doctores.

(119) Expenſæ aliæ ſunt neceſſariæ, aliæ utiles, aliæ voluptuoſæ, ſeu voluptuariæ. Neceſſariæ illæ cenſentur, quæ fiunt ad conſervationem rei alie-

alienæ, ut ſine ipſis vel omnino periret, vel deterior fieret, vel nullos, aut pene nullos ederet fructus. Utiles dicuntur, quæ fiunt ad rem meliorem reddendam, ut pretioſior fiat inſimul & utilior, fructus producens plures ſolito. Uoluptuariæ demum illæ ſunt, quæ unice fiunt ad ornatum, & ad delicias, reddentes quidem rem pretioſiorem, non tamen plures fructus afferentem. Si domum reficis ruinæ proximam, expenſa eſt neceſſaria. Si in ea cubicula augeri cures, expenſa erit utilis. Si tandem eam marmoribus, & picturis exornes, expenſa dicetur voluptuaria. Hujus triplicis generis expenſarum ſpecimen exhibetur ff. *de impenſis in res dotales — Impenſarum quædam ſunt neceſſariæ, quædam utiles, quædam vero voluptuariæ. Neceſſariæ hæ dicuntur, quæ habent in ſe neceſſitatem inpendendi* — Ita L. 1. ſub initio — *Utiles autem impenſæ ſunt, quas maritus utiliter fecit, remque meliorem uxoris fecerit, hoc eſt dotem* — Ita L. 5. in fine — *Voluptuariæ autem impenſæ ſunt, quas maritus ad voluptatem fecit, & quæ ſpecies exornant* —. Ita L. 7.

Dicit Author, Dominum non teneri ad omnes expenſas: quia certe non tenetur ad mere voluptuarias, de quibus dicam mox. Firmum interim habeas, quod fructus non computantur, niſi deductis expenſis — *Fructus eos eſſe conſtat, qui deducta impenſa ſupererunt* L. 7. ff. *ſoluto matrimonio*; & hoc non ſolum in bonæ fidei, ſed etiam in poſſeſſore malæ fidei, ut ff. *de hæreditatis petitione* L. *Si a Domino* §. ultimo — *Fructus intelliguntur deductis impenſis, quæ quærendorum, cogendorum, conſervandorumque eorum gratia fiunt. Quod non ſolum in bonæ fidei poſſeſſoribus naturalis ratio expoſtulat, verum etiam in prædonibus, ſicut Sabino quoque placuit* —: quoniam ut appoſite L. *Fundus* ſub initio ff. *Familiæ erciſcundæ* — *Nullus caſus intervenire poteſt, qui hoc genus deductionis impediat* —.

Author diſtinguit forum fori a foro poli, fortaſſis quia L. *Si a Domino* nunc producta loquitur de impenſis factis circa fructus quærendos, cogendos, & conſervandos, non autem circa rem ipſam. Quidquid ſit de hoc, certum eſt etiam expenſas tum neceſſarias, tum utiles, & quidem indefinite, reſtituendas eſſe attento quoque jure civili, ut L. *Plane* ff. *de hæreditatis petitione*, quamvis agatur de poſſeſſore malæ fidei — *Plane in cæteris neceſſariis, & utilibus impenſis poſſe ſeparari, ut bonæ fidei quidem poſſeſſores has quoque imputent; prædo autem de ſe queri debeat, qui ſciens in rem alienam impendit. Sed benignius eſt in hujus quoque perſona haberi rationem impenſarum; non enim debet petitor ex aliena jactura lucrum facere, & idipſum officio Judicis continebitur: nam nec exceptio doli mali deſideratur. Plane poteſt in eo differentia eſſe, ut bonæ fidei quidem poſſeſſor omnimodo impenſas deducat, licet ea res non extet, in quam fecit, ſicut tutor, vel curator conſequuntur: prædo autem non aliter, quam ſi res melior ſit* —. Ratio invicta eſt, quia poſſeſſor etiam malæ fidei utiliter geſſit negotium Domini, & nemo cum alterius jactura locupletari debet. A fortiori id eſt con-

conſtituendum in foro poli, ſcilicet conſcientiæ, quæ nihil aliud poſtulat, niſi quod Dominus rei ſervetur indemnis, non autem quod lucrum reportet, ſicuti reportaret ſi expenſas, de quibus ſermo, reſtituere non teneretur. Expenſæ igitur tum neceſſariæ, tum utiles, quas fecit poſſeſſor malæ fidei in re aliena, ipſi ſunt a Domino rei reſtituendæ tum in foro fori, tum in foro poli.

Nota tamen, quod poſſeſsor bonæ fidei poteſt tollere omnes expenſas, quas fecit in re aliena durante bona fide ſi ſine læſione rei id poteſt fieri ff. *de rei vindicatione* L. *Julianus lib.* 8. *Digeſtorum ſcribit* : aut Dominus eas ſolvet, ſi tolli ipſæ non poſsunt, ibi L. *In fundo*. Et hoc pro Regula notandum eſt.

(120) Author hic ab expenſis neceſſariis, & utilibus, gradum facit ad voluptuarias. Nec interim credas privilegium eſſe poſſeſſoris bonæ fidei, quod poſſit is tollere omnes expenſas voluptuarias factas in re aliena, ſi fieri hoc queat abſque læſione rei : quoniam hoc idem conceſſum lego poſſeſſori malæ fidei L. *Utiles autem* ff. *de hæreditatis poſſeſſione* §. 1. — *Videamus tamen, ne ad picturarum quoque, & marmorum, & cæterarum voluptuariarium rerum impenſas æque proficiat nobis doli exceptio* : ( *Utique* ) *ſi modo bonæ fidei poſſeſſores ſimus : nam prædoni probe dicetur, non debuiſſe in alienam rem ſupervacuas impenſas facere : ut tamen poteſtas ei fieret* ( legunt alii : *ei fiat* ) *tollendorum eorum, quæ ſine detrimento ipſius rei tolli poſſunt* —. Super ver. *Ei fiat*, opportune adnotat Gloſſa — *Niſi Dominus eſſet paratus tantum dare, quantum his abraſis, & corraſis haberi poteſt* —. Privilegium poſſeſſoris bonæ fidei hoc potius eſt, quod ſi expenſæ factæ ab ipſo ſint circa res, quæ tolli nequeant ſine rerum ipſarum detrimento, eas ſolvere debeat Dominus; non autem ſi factæ ſint a poſſeſſore malæ fidei, textu aperto Inſtitut. *de rerum diviſione* §. *Ex diverſo* —. *Ex diverſo, ſi quis in alieno ſolo ex ſua materia domum ædificaverit, illius ſit domus, cujus & ſolum eſt. Sed hoc caſu materiæ Dominus proprietatem ejus amittit : quia voluntate ejus intelligitur eſſe alienata; utique ſi non ignorabat ſe in alieno ſolo ædificare; & ideo licet diruta ſit domus, materiam tamen vindicare non poteſt. Certe illud conſtat, ſi in poſſeſſione conſtituto ædificatore, ſoli Dominus petat domum ſuam eſſe, nec ſolvat pretium materiæ, & mercedes fabrorum, poſſe eum per exceptionem doli mali repelli; utique ſi bonæ fidei poſſeſſor fuerit, qui ædificavit. Nam ſcienti alienum ſolum eſſe, poteſt objici culpa, quod ædificaverit temere in eo ſolo, quod intelligebat alienum eſſe* —.

Non deſunt opinantes, quod Dominus in foro conſcientiæ tenetur ſolvere

vere expenſas voluptuarias factas etiam a poſſeſſore malæ fidei in ornatu, vel re inſeparabili, quos videre potes apud Ferraris ver. *Poſſeſſor bonæ & malæ fidei* num. 24. Eorum ratio præcipua hæc eſt: quia per eas pretioſior facta res eſt, & poteſt pluris vendi. Sed quoniam in hoc innocens Dominus gravaretur, coactus emere ornatus, quibus non egebat, nec eget, & quos ipſe numquam feciſſet; arbitror iccirco oppoſitam ſententiam, quæ legi conformis eſt, etiam in foro conſcientiæ eſſe præferendam: ne ex propria iniquitate reus aliquod reportet commodum, & innocens ex iniquitate alterius reportet incommodum. Quapropter feneſtræ, ſtatuæ, horologia, & hujus generis alia a poſſeſſore malæ fidei alienis ædibus unice affixa, tolli poſſunt ab eodem, vel debent a Domino compenſari. Picturæ vero, fornices, cubicula adjecta, & ſimilia, quæ non poſſunt tolli ſine læſione, & notabili deſtructione rei, auferri nequeunt a poſſeſſore malæ fidei; ſed omnia fiunt Domini, quin ea compenſare teneatur.

DUodecimus Titulus qui eſt de Cohortatoribus ad damnum, de quibus ſunt verſus

Juſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus.
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

continet triginta duo quæſtiones, ſeu Dubia.

Primum Dubium. Utrum illi, qui vadunt cum raptoribus, furibus, & hujuſmodi, ut hos defendant ab illis, quos indebite damnificare volunt, ſi contra eoſdem inſurgerent teneantur?

Reſpondent Innocentius, & Hoſtienſis in cap. *Sicut dignum* in principio *de homicidio*, quod ſic: ſive eos aſſociaverint, ut eoſdem retraherent a rapina, ſive non, dummodo raptores non iviſſent, ſi eos non aſſociaſſent. Quapropter ſecundum prædictos in foro conſcientiæ tenentur reſtituere omnem rapinam, quam fecerunt raptores, cum eorum auxilio facta ſit: quia illi, quibus talia rapta ſunt, ſe defendiſſent, ſi ipſi non fuiſſent in comitatu raptorum: aut quia raptores non iviſſent, ſi eos non aſſociaſſent, vel non tantum rapuiſſent.

Similiter tenentur, qui cum eis vadunt animo pacificandi, neceſſitate id poſtulante, ſi tamen hoc non ſignificant Dominis rerum, & ipſis incutiunt timorem, quo res ſuas non audeant defendere: quia ita aſsociando dant cauſam efficacem rapinæ. Concordat Petrus Caſuel tit. *Reſtitutio*.

(121) Antiquiſſimi ſunt hi duo verſus ab Authore recitati; eos enim reperio nedum apud Aſteſanum lib. 1. tit. 33. art. 5., apud Scotum in 4. diſt. 15. q. 2.

15. q. 2. ubi *de quarto*, apud D. Thomam 2. 2. q. 62. art. 7., ſed etiam apud ipſum Alexandrum de Ales iiſdem vetuſtiorem part. 4., Summæ Theologiæ q. 86. membro 3. art. 4., qui tertium adjecit ita conceptum — Currere cum fure faciunt, furtique reatum —. Regula interim generalis eſt hac ſuper re, quam tradit S. Antoninus part. 1. tit. 14. §. 11. ſcribens — Secundo fit contra iſtud præceptum per pravam cooperationem ad talia acquiſita illicita, etiamſi nihil ipſe inde percipiat, ut conſulendo, perſuadendo, imperando, & hujuſmodi, ad Rom. 1. v. 32. — *Digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus*: & non ſolum peccant mortaliter, ſed etiam tenentur ad reſtitutionem damnorum, & ablatorum, quando talis cooperatio fuit, quod ſine ea non fuiſſet facta rapina, vel furtum, uſura, vel damnum 2. q. 1. cap. *Notum* in fine — *Facientem, & conſentientem par pœna conſtringit* —: quod intelligitur de conſenſu cooperationis, ſine qua non fieret malum, in Gloſſa. Et ad hoc facit quod dicitur Extra *de injuriis & damno dato* cap. ultimo — *Qui occaſionem damni dat, damnum quoque dediſſe videtur* —. Et in proverbio vulgari dicitur — *Tanto fa qui tiene el ſacho, quanto qui inbola* —. Si autem non ita cooperati ſunt, quin etiam ſine eis fieret damnum: peccant quidem graviter, ſed non tenentur ad reſtitutionem, niſi quantum perveniſſet ad eos de furto, vel rapina, & hujuſmodi, vel in quantum ex ſuo conſilio, vel alia cooperatione plus damni fuiſſet factum ſecundum Thomam in 4., & Albertum, Unde Eſaiæ 1. v. 23. — *Principes tui infideles, ſocii furum: omnes diligunt munera, ſequuntur retributiones* —; & per hujuſmodi cooperantur rapinis aliorum — Hactenus ipſe. Mirandum iccirco eſt, quod nonnulli conquiſita quadam diſtintiuncula inconcuſſam hujuſmodi Regulam labefactare contenderint. Hos indicat, & modeſte improbat Aſteſanus noſter loco proxime laudato inquiens — Diſtinguitur autem communiter de quolibet prædictorum hoc modo, ſcilicet quod aut ſine ipſo damnatum ſecutum fuiſſet, aut non. Si ſic, non tenetur in ſolidum, ſed ſolum in tantum, quantum habuit inde. Si non, tenetur ad totalem reſtitutionem damni dati: quia qui dat occaſionem damni, damnum dediſſe videtur ff. *ad legem Aquiliam* L. *Qui occidit* §. *in hac quoque actione*, & Extra *de injuriis & damno dato* cap. *Si culpa*. Quidam tamen hoc concedunt tantum de eo, qui dat occaſionem damni, & habet dominium, vel auctoritatem ſuper eum, qui injuſte intulit damnum, cum alias ille non intuliſſet. Unde dicunt, quod ſi non habeat dominium, vel auctoritatem ſuper eum, cui præcepit, vel dedit conſilium, vel auxilium, non tenetur in ſolidum, licet alias non feciſſet. Arg. 23. q. 4. cap. *Forte*, & cap. *Duo iſta nomina*. Primum tamen dictum tutius videtur ſecundum Ricardum in 4. diſt. 15. q. 5. art. 4., & Scotum in 4. diſt. 15. q. 2. art. 4. — Hæc Aſteſanus. Impræſentiarum iſtorum opinio propugnari amplius non poteſt ob damnationem hujus propoſitionis factam ab Inno. XI. an. 1679. — *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non te-*

 *netur*

Digitized by Google

*netur ad reſtitutionem iſtius damni illati* —; propoſitio ſiquidem, nulla facta diſtinctione inter Dominum, & non Dominum, indiſtincte fuit proſcripta, omneſque caſus comprehendit, in quibus quis alterum movet, aut inducit ad damnum proximo inferendum. Animadvertendum tamen hic eſt cum Card. Cajetano Comment. ſuper art. 7. q. 66. 2. 2. D. Thomæ ſatis non eſſe, ut quis a reſtitutione ſit liber, quod ſine ipſo damnum adhuc fuiſſet datum, quia nempe fur ex ſe jam ad id paratus erat & promptus; ſed inſuper requiritur, quod nullum habuerit influxum ad furtum, miniſter non fuerit, nec concauſa injuſtæ acceptionis — *Ad adfirmativam oportet ergo reſpicere* (ait Card. præfatus), *an ſcilicet iſte efficiat injuſtam acceptionem, & non ad negativam, an ſcilicet non fuiſſet facta ſine ipſo. Tenetur enim quilibet ratione ſuæ operationis, nec excuſatur, quia omnino hoc alius feciſſet. Cum ergo vinculum reſtitutionis ſequatur operationem agentis, quando ex injuſta acceptione conſurgit, ſine omni dubio conſtat, quod extra obligatos ad reſtitutionem non ſunt, qui licet nihil habuerint, & alii omnino hoc idem feciſſent, miniſtri fuerunt iniquæ acceptionis* —. Quis enim dicat (ad rem Cuniliati de ſeptimo Decalogi præcepto cap. 5. §. 12. num. 3.) quod ſi ad trahendum furto magnum lapidem decem requirantur, nemo illorum ſingulatim ſit dicendus fur, quia niſi adjutus ab aliis novem furtum ſequi non poterat? Quia tamen ſinguli influxerunt, omnes ſunt fures. Ita quis excuſabit conſiliantem ab influxu, quia niſi aliud etiam extaſſet motivum occultum in animo furis, conſilium ſufficienter illum non induxiſſet, cum tamen verum ſit etiam conſilium habuiſſe influxum, quamvis non totalem, tamen partialem —. Regula igitur cum S. Antonino ſupra expoſita, quod nempe cooperans non teneatur ad reſtitutionem, quando ſine ipſo damnum adhuc eſſet ſecutum, intelligenda eſt, quando cooperans nullum inſuper habuit influxum in damnum alterius, ut ipſius cooperatio nullo modo fuerit cauſa damni inde ſecuti, quia fur ex ſe ipſo jam erat ita deſtinatus ad malum, nihil ut magis; immo malum jam operabatur ex ſe ſe.

Regula item generalis eſt, quod in dubio, an alter ex tuo conſilio &c. efficaciter motus fuerit ad damnum inferendum, nec ne, teneris reſtituere: quia in dubio nemo præſumitur malum ſua ſponte facturus, & quia poſſeſſio ſtat pro obligatione reſtitutionis, quum certum ſit poſitam fuiſſe cauſam de ſe damni illativam. Diſceptatur unice, an cooperans in caſu teneatur in ſolidum, vel duntaxat pro rata dubii. Et quamvis non deſint contendentes hunc cooperantem teneri ad integram reſtitutionem damni; probabilius tamen eſt oppoſitum, teneri nempe ſolum pro rata dubii, ut fatetur ipſemet Concina lib. 2. de juſtitia & jure Diſſert. 2. cap. 9. §. 1. num. 15., & Colletus pariter Inſtitut. Theolog. de juſtitia & jure cap. 3. art. 3. ſect. 4. Ratio eſt: quia, ut ait ibidem Concina, non videtur eodem onere & pœna mulctandum eſſe eum, de quo ſolum dubitatur, & ex dubio probabiliter tantum præſumitur cauſam fuiſſe damni ſecuti, ac alterum, quem cer-

to

to conſtat reipſa cauſam fuiſſe damni. Omnia enim tribunalia mitius puniunt reum criminis tantum præſumpti, quam reum criminis certo probati.

Regula demum generalis eſt id, quod adnotat Scotus loco ſupra laudato in hæc verba — *Iſtorum omnium quilibet tenetur ad reſtitutionem in ſolidum; ſed uno reſtituente omnes alii liberantur a debito in comparatione ad illum damnificatum. Tamen alii tenentur pro rata portionis, quæ eos contingit, illi, qui pro omnibus ſatisfecit* —. Qui damnum paſſus eſt ſervari debet indemnis. Indemnis redditur per integram reſtitutionem ab uno factam. Hac ergo ſecuta nihil amplius ab aliis concauſis ipſi eſt reſtituendum.

Novem cooperandi modos in recitatis verſibus contentos perbelle exponit Alenſis loco proxime memorato inquiens — Primo autem modo curritur cum fure, cum aliquis præcipit alicui malefacere, ſicut occidere, vel furari; & ſic ille occidit, vel furatur, & ſimiliter in aliis malis actionibus. Unde dicitur Matthæi 2. v. 16. — *Mittens Herodes occidit omnes pueros, qui erant in Bethleem* &c., & occidiſſe dicitur, quia præcepit occidere. Secundo inquinatur quis mala actione alterius, quando conſulit ei male agere. Unde Job. 12. v. 17. — *Adducit conſiliarios in ſtultum finem*. Tertio per conſenſum, ad Rom. 1. v. 32. — *Qui talia agunt digni ſunt morte, non ſolum qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus* —. Quarto modo per adulationem, quando aliquis laudat malefactorem de malefacto ſuo, Eſaiæ 9. v. 16. — *Et erunt, qui beatificant populum iſtum, ſeducentes: & qui beatificantur, præcipitati* —. Quinto, quando quis recipit raptorem, vel furem in domo ſua cum rapina, Eſaiæ 3. v. 14. — *Rapina pauperis in domo veſtra* —. Sexto, cum habet aliquis partem rapinæ, vel furti ſcienter, ſicut illi, qui ſcienter recipiunt pecunias ab uſurariis, quas ſciunt eſſe de uſura, Eſaiæ 1. v. 23. — *Principes infideles, ſocii furum* —. Septimo, quando aliquis videt aliquem furari, vel rapere, & tacet, cum per clamorem poſſet exterreri malefactor, & ſic dimittere malum opus. Unde Deuter. 22. v. 23. — *Si puellam virginem deſponſaverit vir, & invenerit eam aliquis in Civitate, & concubuerit cum illa: duces utrumque ad portam Civitatis illius, & lapidibus obruentur: puella quia non clamavit, cum eſſet in Civitate* —. Octavo, quando quis non reſiſtit furi, vel malefactori, cum poſſet reſiſtere. Unde Prover. 24. v. 11. — *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare non ceſſes* —; unde non caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare. Nono, per celationem, videlicet cum quæritur res furtiva, ubi ſit, & ille qui ſcit, ubi ſit, non manifeſtat. Unde Prover. 29. v. 24. — *Qui cum fure participat odit animam ſuam: adjurantem audit, & non indicat* —. Hactenus ille. Ne interim credas, hos omnes novem modos ejuſdem eſſe indolis, & naturæ; nonnulli enim ex ipſis reperiuntur, quibus ſemper eſt obligatio reſtitutionis

nis adnexa; reperiuntur alii, qui nullam quandoque ſecum ferunt reſtitutionis obligationem, ſicuti peroptime S. Thomas loco proxime citato ſcribens — *Sciendum tamen, quod quinque præmiſſorum ſemper obligant ad reſtitutionem. Primo Juſſio: quia ille, qui jubet, eſt principaliter movens; unde ipſe principaliter tenetur ad reſtituendum. Secundo conſenſus in eo, ſine quo rapina fieri non poteſt. Tertio recurſus, quia ſcilicet aliquis eſt receptator latronum, & eis patrocinium præſtat. Quarto participatio, quando ſcilicet aliquis participat in crimine latrocinii, & in præda. Quinto tenetur ille, qui non obſtat, cum obſtare teneatur. Sicut Principes, qui tenentur cuſtodire juſtitiam in terra, ſi per eorum defectum latrones increſcunt, ad reſtitutionem tenentur: quia redditus, quos habent, ſunt quaſi ſtipendia ad hoc inſtituta, ut juſtitiam conſervent in terra. In aliis autem caſibus enumeratis non ſemper obligatur aliquis ad reſtituendum. Non enim ſemper conſilium, vel adulatio, vel aliquid hujuſmodi eſt efficax cauſa rapinæ. Unde tunc ſolum tenetur conſiliator, aut palpo, ideſt adulator, ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt, quod ex hujuſmodi cauſis fuerit injuſta acceptio ſubſecuta* —. Primi ſex modi in verſibus contenti, juſſio nempe, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus, participans, dicuntur cauſæ cooperantes directæ, & poſitivæ; tres vero poſtremi; nempe mutus, non obſtans, non manifeſtans, vocantur, & ſunt cauſæ cooperantes negativæ. Inter has cauſas hoc eſt diſcriminis, quod non ſolum ad reſtitutionem prius tenentur poſitivæ, & poſtmodum negativæ; ſed inſuper, quod ſi plures cauſæ poſitivæ concurrant, & una reſtituat ex integro, altera non liberatur, ſed primæ reſtituere debent ad ratam; ſi autem concurrant duæ cauſæ, una poſitiva, & altera negativa, & cauſa poſitiva reſtituat, negativa remanet ab omni reſtitutione libera: quia ſolum tenetur in defectum cauſæ poſitivæ.

Præhabitis hiſce notitiis ſummopere neceſſariis in re, de qua agitur, quiſque videt reſponſum Authoris ſuper præſenti caſu æquitati eſſe quammaxime conſentaneum; hi enim comitantes, quocumque animo id faciant, ſtatim atque eorum animus damnum patientibus non innoteſcit, ſi quandoque bonus eſt, dant cauſam efficacem rapinæ, & rapina in hoc caſu dicitur eorum conſenſu, & auxilio patrata. *Facientem, & conſentientem par pœna conſtringit* — 2. q. 1. cap. *Notum* — *Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata, ſeu aliis irrogantibus opem forte tuliſti ..... jure ſuper his ſatisfacere te oportet* — Extra *de injuriis & damno dato* cap. ultimo. Non defuere ſecus opinantes, quos brevibus refellit Aſteſanus lib. 1. tit. 32. art. 7. in fine ſcribens — Volunt etiam ibidem, quod cum aliqui vadunt cum raptoribus, vel furibus, & non cooperantur eis ad aliquod damnum faciendum, non videntur in aliquo teneri, ſi nihil receperint de rebus ablatis. Caveant tamen conſcientiæ, quia ſi parati erant eos contra ſpoliandos defendere, & propter ſuam præſentiam, & ſociorum ſuorum non audebant damnificantibus eos reſiſtere, non poſſunt eſſe liberi a reſtitutione. Si etiam

ali-

aliqui vadunt cum eis, non animo obeſſendi, ſed defendendi, non excuſantur, niſi hoc notificent adverſariis, qui alias forte res ſuas defendere non audent. Idem enim eſt, ac ſi juvarent —. Hæc ille. Huc confert quod ſancivit Alex. III. Extra *de homicidio* cap. *Sicut dignum* §. 2. — *Illi etiam, qui non ut ferirent, ſed ut percuſſoribus opem ferrent, ſi forte per aliorum violentiam impedirentur, paullo minori debent pœna mulctari: quia cum ſcriptum ſit — QVI POTVIT HOMINEM LIBERARE A MORTE, ET NON LIBERAVIT, EVM OCCIDIT —: conſtat ab homicidii reatu immunes non eſſe, qui occiſoribus opem contra alios præſtare venerunt: nec caret ſcrupulo ſocietatis occultæ, qui manifeſto facinori deſinit obviare —.*

Secundum Dubium. Utrum, cum multi concurrunt ad rapiendum, nec habent aliquem Capitaneum, ſeu Dominum, nec unus magis incitavit alium, quam alius ipſum, ſed omnes ſimul convenerunt ad talem rapinam faciendam, teneantur quilibet in ſolidum?

Reſpondet Innocentius in dicto cap. *Sicut dignum*, quem ſequitur Panormitanus ibidem, quod quando plures dant aliquod damnum, diſtinguendum tunc eſt. Aut unus fuit in culpa in ſubtractione facta per alium, aut non. Si ſic, iterum diſtingue. Aut dedit conſilium, & tunc in conſcientia tenetur in ſolidum, ſive reperiatur principalis, ſive non, ſive damnum paſsus ex juſta, vel injuſta cauſa velit agere contra principalem, ſive non. Et hoc verum eſt, niſi principalis fuerit abſolutus a damnum paſso: quia tunc etiam liberatur qui dedit conſilium, niſi ad eum aliquid perveniſset, quod in eo caſu teneretur reſtituere. Si tamen abſolvatur conſilium præſtans, non liberatur principalis per Regulam — *Acceſſorium ſequi convenit naturam ſui principalis*, non econtra Lib. 6. *de regulis juris*, quod pro Regula notandum eſt. Aut non dedit conſilium, ſed duntaxat auxilium, puta aſsociando, & hujuſmodi & tunc tenetur ſolum in quantum damnum eſt plus datum ex auxilio ſuo. Quod ſi totum damnum eſt datum, puta quia raptum erat ponderoſum, & unus ſine alio ipſum portare non poterat, tunc tenetur

netur in ſolidum L. *Vulgaris* §. *Si duo* ff. *de furtis*. Et ratio diverſitatis inter dantes conſilium, & auxilium eſt: quia conſilium vagatur ſuper omnem rapinam; auxilium vero reſtringitur ad id, ſuper quo fuit, quod nota. Aut non fuit in culpa in ſubtractione facta ab alio, & tunc non tenetur niſi in quantum ipſe aſportavit. Hoſtienſis tamen indiſtincte docet, quod omnes tenentur in ſolidum, etiam quamvis unus per ſe potuiſset,.& allegat L. *Ita vulneratus* §. finali ff. *ad legem Aquiliam*, & ff. *arborum furtim cæſarum* L. *Si plures*, & ff. *Si is, qui teſtamento liber eſſe juſſus erit* L. 1., & dicta L. *Vulgaris*. Sed hoc verum duntaxat credo in caſu, in quo unus ſine alio non feciſset. Concordant Monaldus tit. *Reſtitutio ſexto*, & Directorium tit. *Reſtitutio*.

(122) Laudo diſtinctionem Authoris conſilium inter, & auxilium: quia reipſa generatim loquendo conſilium de ſe totam reſpicit actionem, & per conſequens totum furtum; auxilium vero de ſe reſtringitur ad id, in quo unus alium adjuvat. Verum tamen eſt, quod ſi auxilium feratur in re veluti individua, tunc præſtans auxilium cenſetur influere in totum damnum, & hac de cauſa tenetur ad integram reſtitutionem, textu aperto non ſolum L. *Vulgaris* ab Authore laudata, quæ eſt hujuſmodi — *Si duo, pluresve unum tignum furati ſunt, quod ſinguli tollere non potuerint: dicendum eſt omnes eos furti in ſolidum teneri: quamvis id contrectare, nec tollere ſolus poſſet, & ita utimur: neque enim poteſt dicere, pro parte furtum feciſſe ſingulos, ſed totius rei univerſos: ſic fiet ſingulos furti teneri* —; ſed etiam L. *Ita vulneratus* in fine ff. *ad legem Aquiliam* — *Cum plures trabem alienam furandi cauſa ſuſtulerint, quam ſinguli ferre non poſſent, furti actione omnes teneri exiſtimantur: quamvis ſubtili ratione dici poſſit neminem eorum teneri, quia neminem verum ſit eam ſuſtuliſſe* —.

Interpretamentum, quo Author ſententiam Hoſtienſis emollire conatur, videlicet doctrinam Hoſtienſis reſtringendam eſſe ad caſum, in quo unus ſine altero damnum non feciſſet: affine eſt doctrinæ, quam tradit S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 12. — *Item quando plures vadunt inſimul, ita quod unus non iret ſine alio ad faciendum aliquod furtum, vel damnum, vel bellum injuſtum, ubi inferunt damnum: cum ſit ibi conſenſus cooperationis, quilibet eorum tenetur in ſolidum de damno dato. Sed ſi quis tale ſequeretur, ita quod ſine eo etiam fuiſſet factum damnum: tenetur ſolum de*

*eo*,

*eo, quod pervenit ad eum, & de eo, in quo damnificavit* —: quamque repetis ibid. tit. 2. cap. 2. §. 4. — *Quando plures concurrunt ad furtum, vel damnum faciendum, ita quod unus non faceret ſine altero: quilibet tenetur in ſolidum, ideſt ad totum damnum reſtituendum, & reſtaurandum quouſque illi ſit ſatisfactum integraliter. Illo autem reſtaurato ad plenum per unum illorum, tenetur poſtea quilibet aliorum pro parte ſua ſatisfacere ei, qui totum reſtituit ſecundum Thomam, Raymundum, Innocentium, Hoſtienſem, & alios Extra DE HOMICIDIO cap. SICUT DIGNUM: puta cum duo, vel plures vadunt ad furandum aliquid, ita quod unus non iret, vel faceret ſine altero* —. Placet nihilominus cum S. Bernardino To. 1. ſerm. 33. art. 2. cap. 1. doctrinam Hoſtienſis ſine ulla reſtrictione probare, ſtatim atque communi veluti conſpiratione, & conſilio convenerunt de præda facienda — *Quid ſi multi ad rapiendum concurrant* (ita S. Bernardinus), *nec aliquem habent ducem ſupra ſe: neque unus alium animavit magis, quam alius eum, ſed ſimul conveniunt ad rapinam? Ad hoc dicunt quidam, quod quilibet ſolum pro parte ſua ſatisfacere obligatur: ita tamen quod eorum exiſtimatio habeatur, ut qui magis ſtrenuus fuit ad malum, & majorem adverſariis incuſſit timorem, intelligatur amplius obligatus. Secundum autem Hoſtienſem tutius, atque verius eſt, quod quilibet in ſolidum obligatus intelligatur, quia ad rapinam concordes fuerunt* —. Nam ſinguli (ait Antoine de juſtitia & jure part. 2. cap. 4. q. 3.) in totum damnum influxerunt communi conſpiratione, opera vel auxilio. Et reipſa actio damnoſa eſt communis omnibus; ideoque ſinguli ſunt cauſa totius damni, & quidem totalis totalitate effectus, cum totum damnum oriatur a ſingulis, licet ſint partialis cauſa partialitate cauſæ. Ad obligationem autem in ſolidum ſatis eſt, quod quilibet eorum ſit cauſa, ex qua damnum illatum eſt, ſive unus ſeorſim ad illud ſufficeret, ſive non. Nam licet poſſet unus per ſeipſum ſeorſim damnum inferre; at reipſa hic & nunc ſine hoc tamquam ſocio alius damnum non infert, & ſic uterque eſt cauſa damni in totum. Ita Covaruvias, Cajetanus, Sotus, Molina, Leſſius, Tannerus &c. Nec obſtat, quod concurrant ad totum damnum ſolum partialitate cauſalitatis, ideoque ſolum partialiter damnum a ſingulis proveniat. Nam hoc probat ſingulos teneri tantum abſolute ad partem damni, hypothetice vero ad totum, ſeu ex hypotheſi quod alii non reſtituant, qui tamen ſuam partem tenentur reſtituere alteri pro ſe reſtituenti, cum actio damnoſa vere a ſingulis manet — Hæc ille.

Si quæ diſtinctio ad hoc Dubium enodandum aptiſſima eſt, eam eſſe arbitror, quam tradit S. Raymundus de Pennafort in ſumma tit. de Raptoribus §. 21., videlicet quod aut omnes inſimul vadunt ad prædam ex condicto, & tunc omnes tenentur in ſolidum: aut vadunt ſeparatim, ſine communi conſilio, unus nempe poſt alium, tametſi caſu inſimul reperiantur in vinea, pomario, vel horreo, & tunc quilibet tenetur pro ſua parte, quia unuſquiſque ſolum eſt cauſa illius damni, quod per ſe infert. Accipe ver-

ba S. Doctoris – *Item quid ſi plures fuerunt raptores quaſi pares, quia nullus induxit alium ad eundum, nec erat aliquis Dominus alterius, ſed quilibet per ſe ivit? Ad hoc credo dicendum, quod ſi vadant inſimul quaſi unus exercitus, quilibet teneatur in ſolidum: & eſt ratio, quia in tali caſu quilibet juvat alios, & facit eos fortiores. Iſti enim poſſunt dici ſquamæ ſe ſe prementes, de quibus Job.* 41. *v.* 6. – *CORPUS ILLIUS QUASI SCUTA FUSILIA, COMPACTUM SQUAMIS SE PREMENTIBUS. Facit ad hoc Extra DE HOMICIDIO cap. SICUT DIGNUM. Et omnes ſunt cooperatores. Quare quilibet tenetur in ſolidum, ut dictum eſt ſupra de aliis. Alias ſi non iverunt ſimul, ſed quilibet per ſe privatim faciebat damnum, quilibet tenetur pro eo, quod fecit* –. Diſtinctionem hanc adamavit Aſteſanus lib. 1. tit. 32. art. 7. *Quid ſi plures*. Et reipſa quod reſpicit primam diſtinctionis partem ſancitum videtur ab Alex. III. cap. *Sicut dignum* nunc citato §. 1. – Illi *autem, qui animo occidendi, feriendi, aut capiendi illum ſanctum, & reverendum virum quondam Cantuarienſem Archiepiſcopum citra manuum injectionem ſe fatentur veniſſe, ſi de illa captione mors ejus ſecuta fuiſſet, pari pœnitentia, vel fere pari exiſterent puniendi* –. Ad ſecundam partem diſtinctionis quod attinet, ipſa per ſe patet, quia ponitur unum alterum non incitaſſe, nec adjuvaſſe. Si cui tamen placeret hic adhibere diſtinctionem ab Authore uſurpatam, videlicet quod *aut unus fuit in culpa in ſubtractione facta per alium, aut non* –. Per me id fiat: peroptima enim eſt ad melius exponendam ſecundam partem diſtinctionis a S. Raymundo traditam.

Dices. Quamvis in ſecunda parte diſtinctionis a S. Raymundo tradita unus alium non incitarit ad pergendum ad prædam; dum tamen inſimul reperiuntur, & rapiunt, unus alterum incitat ad rapinam, non verbo quidem, ſed facto, & pravo exemplo. Ergo adhuc tenetur in ſolidum.

R. An purum putumque malum exemplum ad reſtitutionem obliget, ut propter ipſum quis peccare dicatur non ſolum contra caritatem, ſed etiam contra juſtitiam: jam expendi ſub initio hujus Tractationis Annotatione 6., quam potes conſulere. In præſenti quum ponatur, quod quilibet ex ſe, alio non conſulto, illuc perrexerit ad prædam: quod quilibet ex ſe animo paratus ſit ad furandum, & furetur: quod in actu furandi unus aliis conſilium non præſtet, nec auxilium: purum putumque mutuum pravum exemplum cauſa furti non eſt, nec influit in furtum, quod jam fit. Arbitror igitur, quod ex eo non inferatur obligatio reſtituendi in ſolidum rapinam ab aliis factam, ſed unice peccatum gravius contra caritatem ob circumſtantiam notabiliter aggravantem, quæ in Confeſſione aperienda eſt. Aliquid negotii faceſſeret, ſi quis pravo ſuo exemplo in cauſa eſſet, cur cæteri alias animo non parati moverentur & ipſi ad furandum. Sed de hoc in præſenti ſermo non eſt.

TER-

Tertium Dubium. Utrum facientes foramina, vel commodantes ſcalas pro furtis faciendis, aut duces ſe præbentes ad eundem finem, & hujuſmodi, teneantur?

Reſpondeo. Qui præſtat opem, vel auxilium furto, tenetur furti Inſtitut. *de obligationibus quæ ex delicto* §. *Interdum*, & ff. *de furtis* L. *Is qui opem*, & ff. *ad legem Corneliam de Siccariis* L. *Nihil intereſt*. Et ideo hi omnes, ſive habuerint aliquid de furto, ſive non, tenentur in ſolidum reſtituere, ſcilicet quidquid raptum eſt, dummodo tamen non fuiſſet raptum ſine ipſorum cooperatione.

(123) Perſpicuæ ſunt leges ab Authore productæ. Eas igitur accipe — *At ubi ope Mævii Titius furtum fecerit: ambo furti tenentur. Ope, & conſilio ejus quoque furtum admitti videtur, qui ſcalas forte feneſtris ſupponit, aut ipſas feneſtras vel oſtium effringit, ut alius furtum faceret; quive ferramenta ad effringendum, aut ſcalas, ut feneſtris ſupponerentur, commodaverit, ſciens cujus rei gratia commodaverit* — Inſtitut. loco citato. — *Is, qui opem furti faciendi fert, nunquam manifeſtus eſt. Itaque accidit, ut is quidem, qui opem tulit, furti nec manifeſti; is autem, qui deprehenſus eſt, ob eandem rem manifeſti teneatur* — ff. *de furtis* lege indicata. Ut id melius intelligas, profero caſum a Gloſſa ibidem exhibitum, ex quo deprehendes, quod ille, de quo lex, tenetur certe furti, ſed furti non manifeſti — *Caſus. Præbui opem, & auxilium tibi facienti furtum: tandem tu fuiſti deprehenſus cum re furtiva. Dicitur, quod ego teneor furti non manifeſti, & tu furti manifeſti* —. Addo L. *In furti actione* §. 2. ff. eod. tit. — *Opem fert, qui miniſterium, atque adjutorium ad ſubripiendas res præbet* —. Addo L. *Si pignore* §. 4. ff. eod. tit. — *Qui ferramenta ſciens commodaverit ad effringendum oſtium, vel armarium, vel ſcalam ſciens commodaverit ad aſcendendum: licet nullum ejus conſilium principaliter ad furtum faciendum intervenerit, tamen furti actione tenetur* —.

Concludit Author — *dummodo tamen non fuiſſet raptum ſine ipſorum cooperatione* —. Addas hic volo conditionem alteram, videlicet dummodo pariter nullum habuerint influxum in rapinam, vel furtum, quia vel neſciebant, quod ſcala inſervire deberet furto, vel omnino inviti, immo coacti, & per vim, atque violentiam id egerunt. Nam ſi ſcientes & volentes opem dederunt, & auxilium, quamvis ſine ipſis ſecutum fuiſſet furtum, eo quia fures jam erant animo parati, & alios auxiliatores, duces alios reperiſſent: adhuc tenentur in ſolidum, quia adhuc efficacem cauſam dedere furto, & furtum ſecutum eſt eorum ope & auxilio;

xilio : quemadmodum monui cum Cajetano , & Cuniliati Annotatione 121. proxime præterita. Ab hac doctrina, quæ maximi intereſt in hac materia, alienus non eſt Author noſter, ut patet in Dubio proxime ſequenti, in quo palam docet, quod quando damnum adhuc illatum fuiſſet ſine cauſis cooperantibus, illæ nihilominus tenentur pro rata influxus & efficaciæ in damnum proximi.

QUARTUM DUBIUM. Utrum dantes ſignum , ut fieri ſolet in prædationibus, puta fumi, & hujuſmodi, quo viſo, vel audito parati ad prædam currant ad prædandum teneantur?

Reſpondent Innocentius, & Hoſtienſis, quod ſic. Similiter, illi, qui verbis animativis animant alios ad prædam, aut inſtrumentis bellicis, ut ſunt tibicines Capitaneorum. Item illi, qui ponunt ignem in una domo, ut dum homines ad illam currunt, alii ex condicto alias domos deprædentur: & conſimiles, qui omnes, ſi tale damnum ſine eorum cooperatione datum non fuiſſet, tenentur in ſolidum. Quod ſi datum fuiſset ſine ipſis, tenentur magis aut minus ſecundum quod magis aut minus fuerunt efficaces in hoc.

(124) Manifeſta res eſt, quod hi omnes cauſam debere rapinæ. Nihil igitur adjiciam, niſi proferendo S. Bernardinum eoſdem caſus exponentem To. 1. Serm. 34. cap. 6. in hæc verba — *Sextum quaternarium cum prædictis addamus, de his quoque, qui dant cauſam efficacem damnis alienis. Primo, ſigno indicativo: ſecundo, modo inductivo: tertio, dicto incitativo: quarto, facto animativo. Primo quidem ſigno indicativo, ſicuti ſæpe contingere ſolet in proditionibus, & in bellis injuſtis, quando aliquis ſtatuitur in certo loco, ut dato fumi, vel tubæ, aut alterius rei ſigno, gentes paratæ ad prædam currant, ingrediantur, & prædentur Civitates, vel caſtra. Secundo, modo inductivo, ſcilicet cum aliquis aliquid operatur, ut proditio, vel aliquod malum perpetretur in Civitate: ut puta cum ignem in aliqua domo accendit, ut cum gentes ad ignem extinguendum currunt, proditio conſequatur effectum: aut cum unus in capta Civitate vel terra ad deprædationem incipit ponere unam domum, vel eam incendit; unde idem operari, ideſt accendere, alii inducuntur, & ſic de ſimilibus. Tertio, dicto incitativo, ſicuti ſæpe contingere ſolet, quando gentes deficiunt animo, non audent quædam impia perpetrare, & aliqua*

*damna*

*damna dare, niſi ab aliquo verbis incitativis inducantur. In talibus autem, ſecundum Hoſtienſem, & Innocentium, incitationis efficacia conſideranda eſt. Nam quanto in aliquo fuerit efficacior inductio ad malum, tanto amplius ſatisfacere obligatur. Quarto, facto animativo, ſicut evenit his, qui in bellis injuſtis inſtrumentis bellicis ſolent uti. Nam ſi tubæ, & alia inſtrumenta in talibus nil valerent, ad quid portarentur ad illa? Et quia plurimum valent ad animandum, & ad dirigendum equos, & gentes; propterea non immerito utens in injuſto bello talibus inſtrumentis tantum reſtituere obligatur, quantum ad malum efficacem dedit occaſionem*—.

QUINTUM DUBIUM. Utrum Notarii, vel quicumque alii, qui deſtruunt Teſtamenta, aut Libros mercatorum, & hujuſmodi; ex qua deſtructione ſequitur, quod alteri non ſolvantur debita, teneantur?

Reſpondeo, quod ſic, & in ſolidum, ſi ita deſtruxerunt, quod amplius reperiri non poſſint, & ſi creditores propter talem deſtructionem non habuerunt quod ipſis debebatur. Si autem non deſtruxerunt, ſed duntaxat occultaverunt: tunc non tenentur ad reſtitutionem ſecundum S. Bernardinum in Tractatu Reſtitutionum. Quod intelligo verum in illis, qui ſolum occultant pandere non requiſiti; ſecus enim in illis, qui requiſiti, an talia habeant inſtrumenta, nolunt ea pandere, ſed mentiuntur, & dicunt ſe ea non habere: quia tales tenentur in ſolidum, ſi ex tali occultatione ſequatur, quod creditores non poſsint habere ſuum; damni enim dant cauſam efficacem.

(125) S. Bernardinus reipſa docuit quod hic indicat Author; ſcripſit enim loco proxime citato cap. 7. — *Sed quid de Notariis, qui pretio, ſive prece teſtamenta deſtruunt, ſive occultant; unde non ſolvuntur legata ad pias cauſas, nec alia debita, neque fiunt reſtitutiones de male ablatis certis, ſive incertis? Dicendum quod quando a Notariis, ſeu a quibuſcumque aliis teſtamenta taliter deſtruuntur, quod numquam reperiri poſſunt: tenentur ad reſtitutionem omnium prædictorum. Si autem ſolum occultant illa, ſeu occulte conſervant, graviſſime peccant, neque abſolvi poſſunt, niſi ea publice, vel private revelent. Tamen non credo, eos ad reſtitutionem teneri, cum hæredes creditoribus, & legatariis ſemper remaneant obligati. Quod autem dixi de tali-*

*talibus teſtamentis, idem quoque intelligendum eſt de quibuſcumque aliis ſcripturis ſive mercatorum, ſive uſurariorum libris, & conſimilibus* —. Author arbitratur, quod ſi Notarii requiſiti ea non pandunt, & non exhibent, tenentur ad reſtitutionem etiam ſimpliciter occultando. Et quidem jure: quoniam tunc non ſolum præbent cauſam efficacem damno proximi, ſed damnum ipſum intendunt, & volunt expreſſe, ſcientes quod propter talem occultationem Dominus numquam recipiet ſuum, & in hunc finem Inſtrumenta conſulto occultantes. Putat nihilominus Author, quod ſi non fuerint requiſiti, non teneantur propter ſolam occultationem. Verum enim vero quum etiam in hoc caſu Dominus probare nequeat creditum ſuum propter defectum Inſtrumenti occultati, quod ſupponitur unicum; placet idcirco adſerere cum S. Antonino part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 12., doloſe occultantes, de quibus ſermo, in omni caſu teneri ad reſtitutionem. Accipe verba Sancti Archiepiſcopi — *Notarii etiam, vel aliæ perſonæ, quæ deſtruunt teſtamenta, vel alia Inſtrumenta continentia legata facta locis piis, vel quibuſcumque perſonis, vel debita alia, quæ alii neſciunt, ſeu probare non poſſunt; unde ſequitur damnum, quod talia non ſolvantur: tenentur in ſolidum læſis, quia præſtant cauſam efficacem. Qui vero occultant ea doloſe, peccant mortaliter, nec debent abſolvi, niſi manifeſtent ea, cum oportet. Et licet aliqui dicant eos non teneri ad reſtitutionem, quia hæredes remanent obligati legatariis, vel aliis creditoribus: non videtur hoc verum, cum præſtent cauſam efficacem damni ſicut & primi, dum occulte ea tenent. Et permaxime cum hæredes vel debitores hoc neſciunt, quia tunc non obligantur ſatisfacere. Sed etiamſi ſciant, & ſatisfacere neſciant, ſeu nolint: quia legatarii hoc probare non poſſunt. Nec valet ratio eorum, ſicut patet in ſimili: nam cum plures obligantur in ſolidum, obligatio unius magis principalis non tollit obligationem minus principalis, ſicut obligatio pupilli ad reſtituendam uſuram, quam fecit tutor pro eo, non deobligat tutorem, ſi pupillus non reddit* —.

Si de legatis piis ſermo ſit, in hac Diœceſi Taurinenſi, in qua ſcribo, caſus eſt reſervatus hiſce verbis — *Notarii hujuſmodi legata poſt tres menſes a notitia obitus defuncti non manifeſtantes* —. Immo ſola ipſa Notariorum negligentia in nonnullis Diœceſibus reſervata eſt, ut in Aſtenſi per hæc verba — *Negligentia Notariorum in notificandis legatis piis ultra ſex menſes iis, quibus debent* —. Adverſus eos, qui Inſtrumenta ſupprimunt, vel negant, merito Concilium Agathenſe 12. q. 2. cap. *Si quis* — *Si quis de Clericis documenta, quibus Eccleſiæ poſſeſſio firmatur, aut ſupprimere, aut negare, aut adverſariis fortaſſe tradere, damnabili, & punienda obſtinatione præſumpſerit, quicquid per abſentiam documentorum damni Eccleſiæ illatum eſt, de propriis facultatibus reddat, & communione privetur* —, & Alex. III. Extra *de teſtibus cogendis* cap. *Pervenit* — *Nos igitur attendentes, quod nemo debet adverſario inſtrumenta, quorum appellatione teſtes continentur, ſubtrahere, & quod tam ille, qui ſurripit Inſtrumenta, quam qui adverſario parem advocationis*

*copiam*

*copiam ſubtrahit, iniquam oſtendit a ſe litem foveri, & experiri debet in ſe Judicis auctoritatem eluſam* —.

Sextum Dubium. Utrum injuſte detinens ruſticum, ne operas ſuas exequatur, vel impediens piſcatores, aut aucupes a captione piſcium, vel avium, teneatur?

Reſpondeo, quod ſic, & in ſolidum: quia quando res naturaliter eſt ad aliquid deſtinata, qui eam injuſte impedit, tenetur: quod pro Regula notari poteſt, ut ff. *de in litem jurando* L. 1., & ff. *de juriſdictione* L. *Si idem*. Quapropter cum venatori & ruſtico auferatur ſuus proprius uſus, qui erat ſui proprii juris, & auferatur etiam fructus in tali uſu cauſaliter, & quaſi ſeminaliter contentus; iccirco tenetur ad damnum lucri ceſſantis, quod veriſimiliter dedit.

(126) Idem docuit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 33. art. 2. cap. 2. inquiens — *Ruſticum detinens violenter, ne ſuas operas exequatur, tenetur ad mercedem, quam amittit: & ſimiliter impediens piſcatorem, aut aucupem a captione piſcium, & avium, quæ ſunt communis juris: niſi ratione ripæ, vel terræ, quæ ſunt ſpecialium Dominorum, ſeu Communitatum: tenetur eis ad damnum datum .... quia hoc caſu aufertur ruſtico, & aucupi ſuus proprius uſus, qui erat utique ſui juris. Aufertur etiam fructus in eorum uſu cauſaliter, & quaſi ſeminaliter contentus. Impediuntur etiam ab his, quæ eis competunt de communi jure* —. Si ruſticus impeditus fuit ab opera ſua, quam locaverat pro tanto, ea præciſa merces, quam amiſit, reſtituenda ipſi eſt. Si autem impeditus fuit ab operis ſuis conſuetis, & ſic in cauſa fuit, cur terra vel nullum, vel conſuetum non dederit fructum: recte docet Author reſtituendum eſſe lucrum ceſſans, quod veriſimiliter perdidit. In his enim, aliiſve ſimilibus, puta in piſcatione, venatione &c., quæ adhuc pendent a fortuito rerum eventu, lex non determinat tantum & non minus, ſed id relinquit arbitrio boni viri, qui attentis cujuſcumque caſus circumſtantiis judicare debet juxta id, quod ut in pluribus evenire ſolet. *Si jactum retis emero, & jactare retem piſcator noluit, incertum ejus rei æſtimandum eſt* — L. *Si jactum* ff. *de actionibus empti & venditi*, ſuper qua optime Gloſſa — *Æſtimatur quantum eſt veriſimile, quod eſſet captum, quod inſpicitur ſecundum quod conſuetum eſt* —.

Septi-

SEPTIMUM DUBIUM. Utrum effodiens ſemina agri teneatur ad omne illud, quod poterat inde venire?

Reſpondeo ſecundum Doctores, quod non; ſed unice ad tantum quantum fructus agri in dubio illo potuiſſent vendi.

(127) Rem hanc egregie exponit S. Bernardinus To.1. Serm. 34. cap.7. ſcribens – *Tertio, obviando, ſcilicet ne homo acquirere poſſit quod acquirere expectabat, & erat in via habendi. Talis autem ad reſtitutionem tenetur, non tamen ex æquo: quia minus eſt habere in potentia, & eſſe in via ad habendum, quam habere in actu. Unde damnificans hominem de ſeminato agro, puta ſemina fodiendo, non tenetur reſtituere totum valorem futuræ meſſis: quia numquam niſi in potentia fuit habita. Et dubium erat, qualiter fructificaſſet ager. Tenetur igitur tantum reſtituere quantum fructus agri in illo dubio potuiſſent vendi* –. Eundem caſum ſibi proponit S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 4. ſub initio, atque ut eidem reſpondeat præmittit illam auream doctrinam, quæ præ oculis ſemper habenda eſt tamquam Regula conſtans, & nulli dubitationi obnoxia, videlicet – *Aliquis damnificatur dupliciter. Uno modo, quia aufertur ei quod actu habebat, & tale damnum eſt ſemper reſtituendum ſecundum recompenſationem æqualis. Puta ſi aliquis damnificet aliquem diruens domum ejus, tenetur ad tantum quantum valet domus. Alio modo ſi damnificet aliquem impediendo, ne adipiſcatur quod erat in via habendi. Et tale damnum non oportet recompenſare ex æquo: quia minus eſt habere aliquid virtute, quam habere actu. Qui autem eſt in via adipiſcendi aliquid, habet illud ſolum ſecundum virtutem vel potentiam; & ideo ſi redderetur ei, ut haberet hoc in actu, reſtitueretur ei quod eſt ablatum non ſimplum, ſed multiplicatum, quod non eſt de neceſſitate reſtitutionis, ut dictum eſt. Tenetur tamen aliquam recompenſationem facere ſecundum conditionem perſonarum, & negotiorum* –.

OCTAVUM DUBIUM. Utrum impediens aliquem a conſecutione alicujus beneficii: puta volebam emere caſtrum, & tu me impediviſti: volebat quis mihi aliquid legare, & tu obviaſti: & hujuſmodi, teneatur?

Reſpondeo ſecundum Ricardum in 4. diſt. 15., quod aut talis impedivit animo damnificandi proximum, & ſic tenetur reſtituere. Non tamen tantum quantum erat beneficium quod alter nondum habuerat, & præſertim quando ali-

aliter poterat impediri, ne illud haberet; ſed tenetur damnificato arbitrio boni viri. Aut fecit animo conſulendi propriæ utilitati, & ſic non tenetur ſi hoc procuravit per viam licitam, & modo licito. Eſt argumentum ad hoc in L.2. ff. *de operis novi nunciatione*, & ff. *de regulis juris*, ubi dicitur -- *Nemo damnum facit, niſi qui id fecit, quod facere jus non habet* --. Et cum hoc concordat Scotus. Thomas autem tenet, quod, ſi jam erat determinatum, tenetur ad æquivalens. Sed hoc non videtur per jura adducta, ſi fecit animo conſulendi ſibi, & per viam licitam. Gerardus Obdonenſis docet, quod nullo modo tenetur quis ſatisfacere, quamvis eum impediat, ne acquirat, quando nondum erat ſuum, nec ſui juris. Secus ſi jam fuiſset ſuum, & ſui juris. Et pro hac opinione videtur Inſtitut. *de rerum diviſione* §. *Illud quæſitum eſt*, ubi dicitur, quod quamvis quis beſtiam aliquam vulneraverit, tamen, ſi fugiens alius eam acceperit, fit accipientis. Ratio ibi, quia multa accidere potuiſſent, ne vulnerans eam accepiſset. Sed in conſcientia a ſententia Ricardi & Scoti non eſt recedendum: quoniam melior, & ſecurior eſt.

(128) S.Thomas 2. 2. q. 62. art. 2. Caſum hunc ſibi proponit in hæc verba -- *Ille, qui impedit aliquem ab aliquo bono conſequendo, videtur illud ei auferre: quia quod modicum deeſt quaſi nihil deeſſe videtur, ut Philoſophus dicit in 2. Phyſic. Sed cum aliquis impedit aliquem, ut non conſequatur Præbendam, vel aliquid hujuſmodi, non videtur, quod teneatur ei ad reſtitutionem Præbendæ: quia quandoque non poſſet* --. Caſui huic ita reſpondet Angelicus Doctor -- *Ad quartum dicendum, quod aliquis poteſt impedire aliquem, ne habeat Præbendam multipliciter. Uno modo juſte, puta ſi intendens honorem Dei, vel utilitatem Eccleſiæ, procuret quod detur alicui perſonæ digniori; & tunc nullo modo tenetur ad reſtitutionem, vel ad aliquam recompenſationem faciendam. Alio modo injuſte; puta ſi intendat ejus nocumentum, quem impedit propter odium, vel vindictam, aut aliquid hujuſmodi; & tunc ſi impedit, ne Præbenda detur digno, conſulens quod non detur antequam ſit firmatum, quod ei detur, tenetur quidem ad aliquam recompenſationem penſatis conditionibus perſonarum, & negotii ſecundum arbitrium ſapientis; non tamen tenetur ad æquale, quia illam nondum fuerat adeptus, & poterat multipli-*

*ſipliciter impediri . Si vero jam firmatum ſit , quod alicui detur Præbenda ; & aliquis propter indebitam cauſam procuret , quod revocetur , idem eſt ac ſi jam habitam auferret ; & ideo tenetur ad reſtitutionem æqualis , tamen ſecundum ſuam facultatem —* . Eundem caſum nobis exhibet Scotus in 4. diſt. 15. q. 2. En objectum — *Item aliquis poteſt beneficium Eccleſiaſticum ſibi procurare auferendo per procurationem ſuam alteri . Sed non tenetur alteri illud reſtituere . Ergo &c.* En reſponſum — *Ad ultimum dico ſimiliter , quod iſte tenetur reſtituere beneficium , non totum , quia multum intereſt inter habere , & prope eſſe , ſed aliquam portionem correſpondentem alicui parti valoris beneficii . Et hoc , ſi directe abſtulit ſibi beneficium intentione damnificandi eum . Si autem indirecte , ſcilicet procurando ſibi ipſi , & cum hoc etiam damnificare alium intendebat , tenetur , ut dixi . Sed ſi tantummodo propriæ utilitati intendebat providere , & ſic procurat ſibi , & ex conſequenti allus præter intentionem illius damnificatur : iſte ad nihil tenetur illi , quia licet unicuique ſibi ipſi providere , alio neglecto . Confirmatur hoc per illud ff. DE NOVI OPERIS NUNCIATIONE L. 2. , ſi præſcindo venas in fundo meo , per quas derivabatur aqua ad puteum alterius , intentione nocendi ſibi , teneor ad reſtitutionem damni . Sed ſi hoc facio ſine fraude , intendens conſulere utilitati propriæ , ut quia mihi eſt utile facere murum , qui non poteſt convenienter fundari ſine præciſione illarum venarum , non damnifico alium , quia jus habeo faciendi utilitatem meam in fundo meo . Et ff. DE REGULIS JURIS — NEMO DAMNUM FACIT , NISI QUI ILLUD FACIT , QUOD FACERE JUS NON HABET — . Iſte autem habet jus procurandi ſibi beneficium ſervatis circumſtantiis juſtis , & honeſtis —* . Hanc Scoti doctrinam tanti fecit S. Antoninus , ut non ſolum eam adamaverit part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 20. de hoc eodem caſu loquens , ſed ea inſuper uſus ſit tit. 2. ejuſd. partis cap. 2. §. 6. in conſimili caſu exponens doctrinam S. Thomæ 2. 2. q. 62. art. 4. , quam ipſe protuli Annotatione proxime præcedenti . *Sed ſi impedit* ( ſcribit S. Antoninus ) *a beneficio conſequendo , non tenetur ad tantum , quantum eſt beneficium , ſed ad arbitrium boni viri ſecundum Thomam , & Ricardum . Quod intelligendum videtur , quando hoc facit ex odio , & malitia . Nam ſi faceret , ut ſibi , vel amico ſuo magis provideretur , quam illi : puta teſtator aliquis vult legare Titio centum , & ego rogo , quod potius leges mihi , vel cuidam perſonæ mihi magis dilectæ , & ille facit ſic : talis ſecundum Petrum de Palude in 4. nulli tenetur , quia nulli aufert jus ſuum . Nam illi nullum jus erat acquiſitum , & nemini facit injuriam qui utitur jure ſuo : cuilibet enim licet ſe recommendare alteri , ut ſibi donet , vel leget , præcipue cum indiget —* .

Ex huc uſque recitatis vides , mirifice inter ſe ſe convenire S. Thomam , Scotum , & S. Antoninum , quod ad aliquam reſtitutionem teneatur ille , qui alium a conſecutione beneficii impedit ex odio , mediis alioqui non injuſtis . Non deſunt tamen ſecus opinantes ; immo major juniorum pars hunc



Digitized by Google

ab onere reſtitutionis liberat, ut obſervat Concina lib. 2. de juſtitia & jure Diſſert. 2. cap. 8. q. 3. Eorum ratio præcipua ea eſt, quam adfert Antoine de juſtitia & jure part. 2. cap. 3. q. 15. reſp. 4. -- *Odium autem, ſeu animus nocendi per medium non injuſtum, & in iis, in quibus poteſt quis alioquin nocere abſque injuſtitia, non eſt peccatum contra juſtitiam, ſed ſolum contra charitatem* --: Verum enim vero etſi ſolus animus pravus internus non inferat debitum reſtitutionis: etſi medium ſupponatur ſuapte natura non injuſtum, ſicuti ſunt preces, ſuaſiones, & conſilia: nihilotamen minus quia hoc medium, ſeu opus externum conjungitur cum animo pravo, & ſtatim inficitur, & fit vitioſum, animuſque pravus in cauſa eſt, cur proximo damnum inferatur; arbitror icciro a ſententia Scoti, S. Thomæ, & S. Antonini non eſſe recedendum.

Aliquid diſcriminis reperitur inter S. Thomam, & Scotum, dum beneficium jam eſt firmatum in gratiam alicujus, etſi nondum ab eo ſit conſecutum. S. Thomas, uti patet, contendit impedientem teneri ad æquale; Scotus vero ad aliquam duntaxat compenſationem arbitrio boni viri. Certe Angelicus Doctor loquitur de firmitate adhuc impedibili, ita ut beneficium adhuc non ſit proprium illius, pro quo firmatum jam eſt, ſicuti oſtendit Cajetanus Comment. in hunc locum S. Thomæ, & evidenter conſtat ex caſu ipſo a S. Thoma expoſito, quod nempe jam firmatus a beneficii conſecutione fuerit impeditus. An porro in hoc caſu vim adhuc habeat ſuam nec ne ratio a Scoto adducta -- *quia multum intereſt inter habere, & prope eſſe* --, judicent æqui rerum æſtimatores. Cajetanus ibidem ſcribit -- *Quia ergo paria ſunt proprium, & quaſi proprium, ideo Author dixit, quod tenetur ad reſtitutionem æqualis* --. Reſpondere tamen quis poſſet, quod proprium, & quaſi proprium non ſunt omnino paria, ſed duntaxat quaſi paria; & icciro eam reſtitutionem æqualis, ad quam tenetur auferens proprium, non eſſe extendendam ad illum, qui duntaxat impedivit, & abſtulit quaſi proprium.

Nonnulli contendunt, idem non eſſe conſtituendum, dum ſermo fit de Præbendis, ſeu beneficiis Eccleſiaſticis, ſicuti conſtituitur, dum agitur de donis gratuitis, legatis, aliiſve ſimilibus. Profecto S. Thomas, & Scotus præſertim loquuntur de beneficiis Eccleſiaſticis. Profecto largitor in utroque caſu æqua libertate non gaudet; in conferendis enim beneficiis Eccleſiaſticis ſervare debet juſtitiam diſtributivam, non autem in collatione cæterorum, quæ largiri poteſt huic, vel alteri, nullo habito reſpectu ad merita recipientium. Sed quum in præſentia ſermo inſtituatur de recipiente, non autem de largitore, quem præſertim afficit juſtitia diſtributiva in beneficiorum collatione ſervanda: ſi ſemel ponas, quod quis impediat puta Antonium dignum a conſecutione alicujus beneficii, ut detur Franciſco æque digno; pari paſſu tunc poſſumus incedere, ſive loquamur de beneficiis Eccleſiaſticis, ſive ſermo fiat de cæteris donis ex juſtitia non debitis, & omni-

omnino gratuitis: quia tum in illis, tum in iſtis impeditus nullum habet jus neque in re, neque ad rem, quo ipſi potius quam alteri conferri debeat. Lege Antoine loco ſupra citato. Lege Joannem Pontaſium ver. *Reſtitutio* Caſu 125. 126., & invenies, quod promiſcue loquuntur de omnibus, vel ſaltem eodem prorſus modo, præſentem caſum quod reſpicit. Dixi, *ſi ſemel ponas* &c.: quoniam ſi quis, tametſi non ex odio, non fraude, non vi, non alia injuſta via, ſed duntaxat propriæ conſulens utilitati, impediret dignum a conſecutione beneficii Eccleſiaſtici, ut daretur indigno: dubio procul ad reſtitutionem teneretur is & Eccleſiæ & Reipublicæ, quia damnum injuſte paterentur, & jus habent, quod beneficia ſolis dignis immo dignioribus conferantur. Item ſi quis ex odio, immo per vim, & fraudem impediret aliquem indignum a beneficii conſecutione: peccaret quidem is propter animum pravum, mediumque iniquum, ſed nullum ipſi incumberet onus reſtitutionis, quum illicitum ſit, & vetitum indignis beneficia conferre. Singularia hæc ſunt; & propria in materia beneficiorum; nam in cæteris donis gratuitis tota ratio conferendi eſt voluntas conferentis, qui cum Evangelico Patrefamilias Matth 20. v. 15. jure poteſt dicere — *Aut non licet mihi, quod volo facere*? Et præſertim ſi agatur de donis teſtamento relictis, tametſi jam ſemel iterumque firmatis: quia ut ait Joannes Cabaſſutius Jur. Canon. Theor. & prax. lib. 6. cap. 15. num. 6. & 10. — *neque hæredes, neque legatarii jus ullum habent ad ſucceſſionem, quamdiu teſtator eſt in vivis: quum ſit libera teſtatori teſtamenti ſui revocatio, habeatque ut jura loquuntur, deambulatoriam voluntatem uſque ad mortem* — L. *Quod ſi* ff. *de adimendis, vel traſferendis legatis* — *Ambulatoria enim eſt voluntas defuncti uſque ad vitæ ſupremum exitum* —. In his igitur, ad præſens quod attinet, animus impedientis unice debet expendi, non meritum recipientis. Non placet icciro quod ſcribit Cajetanus loco proxime laudato *ad Sextum* — *Conſequens eſt, quod nullius jus violat, qui legatum, teſtamentum aut aliquid hujuſmodi impedit, procurando revocari non ſolum ut ſibi, aut alteri benefaciat; ſed etiam ſi animo damnificandi eos, quibus erant danda hujuſmodi beneficia, revocationem eorum procuret ab eo, qui donabat. Et ratio eſt, quia reſtitutio eſt actus juſtitiæ, & quando ex damno illato conſurgit, præſupponit violationem juſti, ſeu juris, ad quod reparandum reſtitutio ordinatur. In propoſito autem nullius jus violatur: quia nihil erat alicujus, voluntate adhuc exiſtente ambulatoria* —. Secus, ut audiſti; ſecus docuerunt Scotus, S. Thomas, & Concina, quibus adhærent Cabaſſutius, Covarruvias, Navarrus, Graſſius, aliique, inter quos Pontaſius, qui Caſum 126. jam laudatum de hiſce bonis agentem ita abſolvit — Quamobrem hic dicendi finem jam facimus, atque hoc advertemus tantummodo, laudatum Graſſium addere, ſi quis alium ex odio, meditatoque ei nocendi animo impediret, ne bonum illud obtineret, quod jam jam conſecuturus erat, quodque, ut omnino conjicere eſt, niſi ille obſtitiſſet, fuiſſet adeptus: tunc

in

In eo caſu alicui reſtitutioni ſubjacendum illum eſſe ex judicio viri alicujus prudentis. In tali caſu tenetur reſtituere damnum, inquit Author (intellige Cabaſſutium), quem jam citavimus, non ex æquo, ſed judicio boni viri: quia minus eſt habere rem virtute, quam actu, & poterat animus teſtatoris mutari. Quod probat auctoritate S. Thomæ, qui eandem doctrinam tenet, & una quadam lege Digeſti, quam ad marginem indicamus—. Doctrina S. Thomæ, quam hic adpellat, eſt illa ipſa, quam protuli annotatione proxime præcedenti.

Opinio Gerardi Obdonenſis, de qua Author, præferenda non eſt doctrinæ S. Thomæ, & Scoti. Utique beneficium, de de quo in caſu, abſolute nondum erat illius, qui impeditur. Utique hic nullum ad ipſum habebat jus neque in re, neque ad rem. Quis tamen inficiari poteſt, quod eſſet illius hypothetice, quum ipſum reipſa fuiſſet conſecutus, ſi alter non obſtitiſſet? Erat illius in virtute, & in potentia, ſicuti loquitur S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 4. & quidem proxima, quia largitor jam erat animo paratus ad ipſum eidem conferendum. Beneficium certe nondum habebat ſed prope erat ad ipſum habendum, inquit Scotus, propter eandem rationem. Addo quod, tametſi impeditus nullum jus ſtrictum haberet ad tale bonum, jus tamen habebat plenum, quod ab ipſius conſecutione nemo eum impediret per vim, per fraudem, ex odio, ex vindicta, animo nocendi, aliave via prorſus illicita. Injuria igitur ipſi facta eſt, quæ reſarciri debet. Damnum igitur ipſi fuit illatum, quod debet compenſari— *Si culpa tua datum eſt damnum .... jure ſuper his ſatisfacere te oportet*— Extra *de injuriis & damno dato* cap. ultimo— *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*— Regula 48. de Regulis juris in Sexto.

Nonum Dubium. Utrum illi, qui cum ſint ignorantes, ponunt ſe ad faciendum aliquod, in quo proximi propter eorum ignorantiam damnificantur: puta Notarii, qui neſciunt Inſtrumenta conficere, Advocati ignorantes, Judices, Medici, Barbitonſores, Architecti, Nautæ, & hujuſmodi, teneantur?

Reſpondeo. Notandum eſt pro regula, quod quicumcumque profitetur publice aliquam artem, & ſe oſtendit in ea peritum, quando peritus non eſt, tenetur non ſolum de culpa lata, & dolo, ſed etiam de culpa levi, & leviſſima, ut patet L. *Illicitas* §. *Sicuti* ff. *de officio Præſidis*, & Inſtitut. *de lege Aquilia* §. *Præterea*, cum cæteris notatis

tatis in ſecundo Articulo hujus Conſiderationis Dubio quarto. Notandum etiam eſt, quod eo ipſo, quo tales ſe locant pro Judice, Advocato, Notario, & hujuſmodi, videntur ſe aſſerere peritos in arte, quam exercent, ut L. *Si Judex* ff. *de extraordinariis cognitionibus*, & notat Gloſſa in L.2.ff.*quod quiſque juris*, niſi aliud ipſi exprimant, & fateantur, ſicuti dixi in memorato Dubio quarto. Immo ratione aſſertæ peritiæ culpa lata æquiparatur dolo; & ideo tales non tantum tenentur de damno, quod inferunt ex ignorantia proximo, ſed etiam de eo, quod procedit ex ipſorum negligentia. Petrus Caſuel tit. *Reſtitutio* vult, quod Judex, qui per imprudentiam male judicavit, teneatur ex maleficio arbitrio Judicis: item Aſſeſſor &c.; ſi autem propter incuriam, quia noluit libros evolvere, & hujuſmodi, tunc teneatur in totum L. finali ff. *de extraordinariis cognitionibus*, & Inſtitut. *de obligationibus, quæ quaſi ex delicto naſcuntur* §. 1. Idem dicendum eſt de Medico Extra *de ætate, & qualitate & ordine* cap. *Ad aures*. Ex hoc patet, quod ille, qui eſt peritus, non tenetur niſi de culpa levi, non autem de leviſsima, niſi exerceret officium duntaxat gratia ſui, quia tunc teneretur etiam de leviſsima ut Gloſſa in L. *In re mandata* C. *Mandati*, ſicuti, ſi ipſum exerceret duntaxat gratia alterius, teneretur tantum de culpa lata, & dolo. Innocentius in cap. *Sicut dignum* in §. *Eos* Extra *de homicidio* in fine magnæ Gloſſæ vult, quod in foro conſcientiæ non teneatur quis ad reſtitutionem damni niſi ex culpa lata, vel dolo: teneatur tamen ad pœnitentiam. Id arguit ex cap. *Inebriaverunt Loth* 15. q. 1., & cum eo concordat Antonius de Butrio. Excipe, niſi fuerit per ſententiam condemnatus. Et pro ipſo facit Gloſſa 12. q. 2. cap. *Fraternitas tua*, quæ tenet, quod pœna non ſit ſolvenda in conſcientia de neceſſitate ante condemnationem: quia æſtimatio levis, & leviſsimæ culpæ, quæ

venit

venit in actione Aquilia L. *In lege* ff. *ad legem Aquiliam* in Gloſſa, licet ſit intereſſe reſpectu damni paſsi, reſpectu tamen damni inferentis eſt pœna; & ideo non debet habere locum in conſcientia. Salvo tamen meliori judicio, hoc dictum Innocentii verum duntaxat credo quando eſt mere pœna, ut in cap, *Inebriaverunt Loth*, in quo ſe fundat. Nam ubi non eſt mere pœna, ſed eſt etiam intereſſe ſaltem reſpectu damni paſſi, puto illud dictum non habere locum, ſed damnificantem etiam in foro animæ teneri actione Aquilia & de culpa levi, & de leviſsima. Et pro hoc facit cap. *Si culpa tua* Extra *de injuriis*; ibi enim indefinite dicitur -- *Si culpa tua*, & indefinita æquipollet univerſali, niſi definiatur in lege, vel in canone, ut notat Gloſſa in cap. *Quoniam* Extra *de conjugio leproſorum*. Sententiam hanc credo magis tutam in conſcientia. De hoc vide Panormitanum fuſius agentem in cap. *Si egreſſus* Extra *de injuriis*. Ex huc uſque dictis nota pro Regula, quod quilibet tenetur reſtituere proximo damnum, quod dedit ex culpa ſua etiam leviſsima, niſi in caſibus, in quibus a jure excuſatur, ut non teneatur vel de leviſsima, vel de levi, vel de lata; tunc enim tenetur ſolum de ea culpa, de qua per legem, & non aliter, ut infra patebit tit. 14. 15. 16., & tit. 20. Dubio 8.

(129) Duplex eſt culpa, theologica una, juridica altera. Theologica idem eſt ac peccatum contra legem, & mores, quodlibet nempe peccatum imputabile, ſive mortale ſit, ſive veniale. Juridica vero eſt omiſſio alicujus diligentiæ debitæ, ex qua ſequitur damnum proximo, ſive voluntaria ipſa ſit, ſive involuntaria. Dividi hæc ſolet in latam, levem, & leviſſimam. Lata eſt omiſſio illius diligentiæ, quam communiter adhibere ſolent homines prudentes, & diligentes ejuſdem profeſſionis, & ſtatus: vel quam communiter viri prudentes, & diligentes adhibent in rebus propriis. Levis omiſſio eſt illius vigilantiæ, & diligentiæ, quam homines prudentiores, & diligentiores ejuſdem conditionis adhibere conſueſcunt. Leviſſima tandem eſt omiſſio diligentiæ, quam adhibent ſolertiſſimi, & prudentiſſimi in rebus ejuſdem naturæ. Si librum tibi commodatum relinquas ante oſtium domus,

domus, & is amittatur, amitti dicitur per culpam latam. Si ipſum relinquas in cubiculo tuo, ſed oſtium non claudas, amiſſio libri, ſi contingat, dicetur per culpam levem. Si tandem oſtium quidem cubiculi claudas, ſed manu non pulſes, ut experiaris an ſit bene clauſum nec ne, amiſſio, ſeu jactura libri dicetur per culpam leviſſimam. Culpa lata æquiparatur dolo, textu aperto L. 1. ff. *ſi menſor falſum modum dixerit — Lata culpa plane dolo comparabitur* — : qui dolus a Labeone L. 1. §. *Dolum* ff. *de dolo malo* recte definitur — *eſſe omnem calliditatem, fallaciam, machinationem ad circumveniendum, fallendum, decipiendum alterum adhibitam* —. Quibuſdam placet adjicere culpam latiorem, & latiſſimam. Latior nihil aliud eſt niſi dolus præſumtus: puta ſi ſciens, & volens impedire, non impedias tamen, quominus fur rem auferat apud te depoſitam. Latiſſima vero eſt verus, propriuſque dolus, & manifeſtus: puta ſi ex officio rem alienam cuſtodiens dormias, vel dormire fingas, ut faciliorem latronibus acceſſum præbeas. Culpa juridica potiſſimum locum habet in contractibus, & infert debitum reſtitutionis. Si contractus cedat in utilitatem ſolius accipientis, ut in commodato, tenetur quis de culpa nedum lata, & levi, ſed etiam de leviſſima, textu expreſſo in Jure ſive civili, ſive canonico — *In rebus commodatis talis diligentia præſtanda eſt, qualem quiſque diligentiſſimus paterfamilias ſuis rebus adhibet, itaut tantum eos caſus non præſtet, quibus reſiſti non poſſit* — L. 18. ff. *Commodati vel contra* —. *Cum gratia ſui tantum quis commodatum accepit, de leviſſima etiam culpa tenetur* — Extra *De commodato* cap. unico. Ratio eſt: quia, ſicuti appoſite ſcribit Gabriel Antoine de juſtitia & jure part. 2. cap. 3. q. 5., æquitas naturalis poſtulat, ut is, qui gratis utitur re alterius in ſuam tantum utilitatem, maximam diligentiam adhibeat, ne pereat, vel deterior fiat. Si cedat contractus in utilitatem utriuſque, ut in locato, conducto &c., tenetur quis de culpa lata & levi, non autem de leviſſima L. *Si ut certo* §. 2. ff. *Commodati* — *Sed ubi utriuſque utilitas vertitur, ut in empto, ut in locato, ut in dote, ut in pignore, ut in ſocietate, & dolus, & culpa præſtatur* —. Ratio eſt, ut ſubdit Antoine proxime citatus, quia cum res aliena alicui conceditur in ejus utilitatem, æquitas poſtulat, ut eam valde diligenter cuſtodiat, non tamen ad tantam diligentiam teneatur, ad quantam ſi in ſui tantum utilitatem accepiſſet. Quare ad nihil tenetur, ſi fecerit quod diligentiores faciunt in ſimili re propria conſervanda. Hinc artifices, qui laborant in re aliena ob ſtipendium, & domeſtici, quibus incumbit ex officio cura cuſtodiendæ rei domeſticæ, tenentur reſarcire damnum ex culpa etiam levi ſecutum. Si demum contractus cedat in utilitatem ſolius tradendis, ut in depoſito, tenetur quis duntaxat de dolo, & culpa lata, non autem de levi, nec multo minus de leviſſima ff. *Commodati* L. & §. modo citatis — *Et quidem in contractibus interdum dolum ſolum, interdum & culpam præſtamus. Dolum in depoſito, nam, quia nulla utilitas ejus verſatur, apud quem deponitur, merito dolus*

præ-

*præſtatur ſolut*—. Ratio eſt, quia æquitas poſtulat, ut qui habet rem alienam in commodum ſolius Domini, non teneatur ad majorem diligentiam, & cuſtodiam, quam paſſim adhibere ſolent in rebus ſuis homines, quum nullum commodum inde percipiat. Nota hic quod in jure præſertim civili culpa lata plerumque vocatur dolus, levis dicitur culpa, & leviſſima appellatur diligentia, ſeu omiſſio diligentiæ.

Hiſce expoſitis tamquam neceſſariis ad percipiendum Authoris reſponſum, nihil deberem ipſe adjicere, præſertim quum ſuper quarto Dubio ſecundi Articuli hujus Conſiderationis jam multa dixerim, quæ potes recolere. Adjiciam nihilominus quod de Advocato ignaro ſcripſit Sanctus Raymundus apud Gennettum de ſeptimo Decal. præcepto cap. 5. q. 49. — In ſecundo caſu, ſcilicet cum per imprudentiam, tenetur ſecundum leges læſo in quantum bonum & æquum videbitur religioni judicantis L. ult. ff. *de variis & extraordinariis cognitionibus*. In judicio tamen animæ credo idem, quod in primo caſu, ſcilicet quod teneatur ad reſtitutionem; in culpa enim fuit cum ſcivit, vel ſcire debuit ſe inſufficientem, & tamen judicare talem cauſam præſumpſit. Et idem ſi erat ſufficiens quoad ſcientiam, ſi voluiſſet libros revolvere, & ſtudere; ſed quia fuit negligens, & noluit ſtudere, quem debuit condemnare, abſolvit, & e converſo—. Ratio eſt (ſubdit Gennettus ibidem, loquens de Advocatis, Procuratoribus, Notariis, Medicis, aliiſve artem aliquam publice profitentibus) quia ut plurimum eorum opera quis non uteretur, ſi non exiſtimaret eos munere ſuo recte defuncturos: cum præſertim ex ipſo officio quodammodo teneantur eſſe ſolertes, diligentes, & capaces in exercenda arte, quam publice profitentur. Addi poteſt, quod dum illis offertur, & ab illis acceptatur aliquod opus faciendum, fit aliqua cum eis tacita conventio, quæ mutuam contrahentium utilitatem reſpicit. Et ſupra dictum fuit, quod in hujuſmodi conventionibus tenetur quis reſtituere ob culpam etiam levem.

Hic caſus expreſſim continetur in cap. ult. Extra *de injuriis & damno dato* alias jam recitato, & numquam ſatis in medium producto — *Si culpa tua datum eſt damnum, vel irrogata injuria, ſeu aliis irrogantibus opem forte tuliſti, aut hæc imperitia tua, ſive negligentia evenerunt: jure ſuper his ſatisfacere te oportet; nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere, vel jacturam* —. *Imperitia culpæ adnumeratur* — L. 132. ff. *de diverſis regulis juris antiqui*, & Inſtitut. *de lege Aquilia* §. 7. — *Si magiſter navis ſine gubernatore in flumen navem immiſerit, & tempeſtate orta temperare non potuerit, & navem perdiderit: vectores habebunt adverſus eum ex locato actionem* — L. *Item* §. 2. ff. *Locati conducti* — *Culpa non intelligitur, ſi navem petitam tempore navigationis trans mare miſit, licet ea perierit, niſi ſi minus idoneis hominibus eam commiſit* — L. *Utique* §. 1. ff. *de rei vindicatione*. *Si Judex litem ſuam fecerit, non proprie ex maleficio obligatus videtur, ſed quia neque ex maleficio, neque ex* con-

*contractu obligatus eſt, & utique peccaſſe aliquid intelligitur, licet per imprudentiam: ideo videtur quaſi ex maleficio teneri, & in quantum de ea re aequum religioni judicantis videbitur, pœnam ſuſtinebit* — Inſtitut. *de obligationibus, quæ quaſi ex delicto naſcuntur*, ſub initio. Idem legitur ſervato ipſo litterarum cortice ff. *de extraordinariis cognitionibus* L. ult. Quid ſit litem facere ſuam exponit Gloſſa inquiens — *Litem ſuam, ideſt controverſiam, vel litigium, ut in id teneatur ipſe, in quo læſit aliquem: & hoc quando per ignorantiam, vel imperitiam, ut ibi ſequitur. Nam ſi dolo, tunc non habet locum hic titulus, ſed ex maleficio tenetur* —. Prætereo alias leges benemultas, quæ in Jure paſſim reperiuntur hac ſuper re.

DECIMUM DUBIUM. Utrum artifices, qui faciunt, & vendunt ea, quibus uti quis poteſt ad damnum proximi, teneantur?

Reſpondeo. Quædam ſunt res, quibus uti quis poteſt & bene & male, puta gladii, lanceæ, veſtimenta, & hujuſmodi: & talia artifices licite facere poſſunt, & vendere. Arguitur 23. q. 5. cap. *De occidendis*: etiamſi illi, quibus talia venduntur, uterentur eis in malum: dummodo vendentes non credant, nec habeant probabile motivum credendi, quod ementes velint eis uti in malum. Quoniam ſi hoc crederent, peccarent tunc mortaliter, ſcienter vendendo, vel qualitercumque dando talibus: & omnia mala, quæ ſequerentur, eis imputarentur. Arguitur 2. q. 1. cap. *Notum*, & 11. q. 3. cap. *Præcipue*, & 15. q. 6. cap. 1. in fine. Quædam autem aliæ ſunt, quæ ad malum inducunt, ad perniciem corporum, vel animarum, ut venena quædam mortifera, vanitates ad luxuriam provocantes, & hujuſmodi: & talia facere, vendere, vel quomodolibet alienare peccatum mortale eſt; immo vendens de omni damno inde ſecuto tenetur iis, quibus damnum fuit illatum. Arguitur dicto cap. *Præcipue*, & cap. final. Extra *de injuriis & damno dato*.

Et pro hoc facit L. *Quod ſæpe* §. *Veneni mali* ff. *de contrahenda emptione*, quæ vult, quod rei, quæ nullo modo adjectione alterius poteſt eſſe utilis, vel bona uſui humano, nec emptio, nec mandatum, nec ſocietas valere

poteſt.

poteſt. Facit etiam L. unica C. *de famoſis libellis*, quæ dicit, quod, ſi quis invenerit libellum famoſum, debet eum deſtruere; aliter tenetur. Arguitur 1. q. 1. in multis capitulis: & his concordant Hoſtienſis, Innocentius in cap. 1. *Ne Clerici, vel Monachi*, & Petrus Caſuel tit. *Reſtitutio*, qui cum Hoſtienſi addit picturam virorum, & mulierum, niſi hoc fieret unice propter conſervandum amorem matrimonii, & hujuſmodi. Simile etiam judicium ferendum eſt de illis, quibus homines communiter utuntur in malum, licet aliqui bene iis uti poſsint: quia jura non conſiderant quæ raro duntaxat eveniunt L. *Nam ad ea* ff. *de legibus*. Quantum autem in hiſce caſibus reſtituere quis debeat, & quando, relinquendum eſt arbitrio Confeſſarii, qui bene attendet, quantum fuerit efficax ad damnum, vel non.

(130) Ante omnia duas leges audiamus hic ab Authore indicatas – *Veneni mali quidam putat non contrahi emptionem: quia nec ſocietas, aut mandatum flagitioſæ rei ullas vires habet; quæ ſententia poteſt vera videri de his, quæ nullo modo, adjectione alterius materiæ, uſu nobis eſſe poſſunt. De his vero, quæ mixta aliis materiis adeo nocendi naturam deponunt, ut ex his antidoti, & alia quædam ſalubria medicamenta conficiantur, aliud dici poteſt* – L. *Quod ſæpe* §. 2. ff. *de contrahenda emptione* –. *Si quis famoſum libellum ſive domi, ſive in publico, vel quocumque loco ignarus repererit, aut corrumpat priuſquam alter inveniat, aut nulli confiteatur inventum. Si vero non ſtatim eaſdem chartulas vel corruperit, vel igni conſumpſerit, ſed vim earum manifeſtaverit: ſciat ſe quaſi auctorem hujuſmodi delicti capitali ſententiæ ſubjugandum* – C. *de famoſis libellis* L. unica.

Legibus auditis placeat audire S. Antoninum, & S. Bernardinum egregios Theologiæ Moralis Magiſtros – De facientibus, vel vendentibus gladios, lanceas, baliſtas, venena, & hujuſmodi, quibus homines vel læduntur, vel moriuntur: utrum ſit licitum eorum opus, & lucrum. Nota ſecundum Raymundum diſtinctionem. Primo quoad intentionem eorum, ſecundo quoad ipſa opera. Quantum ad primum ſciendum eſt, quod ſi tales hæc faciant, vel vendant propter hoc, ut homines talibus abutantur: vel ſi ſcienter vendant, & donent talibus quos ſciunt, vel credunt abuſuros, mortaliter peccant, & graviſſime, & omnia peccata, quæ occaſione illarum rerum ab aliis perpetrantur, ſibi imputantur, & rei ſunt apud Deum omnium animarum, quæ propter hoc pereunt, 11. q. 3. cap. *Præcipue*, 22. q. 2. cap.

*Si tu abſtines*. Item cum ſint cooperatores omnium ſcelerum inde commiſſorum, ideo debent pro omnibus pœnam ſuſtinere, 2. q. 1. cap. *Notum* in fine. Si autem dicant ſe habuiſſe bonam intentionem, quia ſcilicet credebant alium emere talia propter aliquem licitum uſum: vel habens animum indifferentem nihil ſuper hoc cogitabat: vel ignorabat quod eſſet illicitum talia facere, vel vendere: tunc ſubdiſtinguendum eſt. Quia aut illæ res ſunt, quæ ad humanum uſum poſſunt eſſe utiles, ut arma in bello juſto, cultellus ad incidendum panem. Quædam etiam venena apponuntur a Medicis in quibuſdam medicinis, vel etiam in coloribus aptandis, & hujuſmodi. Aut ad nullum uſum utiles ſunt niſi ad peccandum, ſicuti quædam venena mortifera ad nullum uſum bonum utilia. Et in primo caſu non dico ipſum peccare, dummodo non habeat intentionem corruptam, ut dictum eſt, niſi forte ex qualitate perſonæ, vel temporis cognoſceret, vel probabiliter ſibi dictaret conſcientia, quod ille non quærit illam rem, niſi ad malum perpetrandum; tunc enim non debet ſibi vendere contra talem conſcientiam 23. q. 5. cap. *de occidendis*, & 5. q. 5. cap. *Non omnis*. In ſecundo autem caſu peccat faciendo, vel tenendo, vendendo, vel alias alienando res tales 21. q. 1. cap. 1., *de conſecratione* diſt. 5. cap. *Fucare*. Arg. de libello famoſo, quem non debet quis oſtendere, ſed deſtruere; alias peccaret graviter 5. q. 1. per totam, & eſt optima lex ad hoc ff. *de contrahenda emptione* L. *Quod ſæpe*, ubi ponitur talis regula, quod flagitioſæ rei, quæ nullo modo per additionem alterius rei poteſt eſſe utilis uſui humano, nec emptio, nec mandatum, nec ſocietas valere poteſt. Et omnia mala, quæ inde ſequuntur, poſſunt iſti imputari. Concordant in prædictis Thomas, Hoſtienſis, & Innocentius —. Ita S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 23. §. 11. Fuſius S. Bernardinus T. 1. ſerm. 36. art. 1. cap. 2. in hæc verba — Quærunt Doctores, quid de his, qui faciunt, vel vendunt venenum, aut toxicum, arcus, ſagittas, gladios, lanceas, & ſimilia ad homines occidendos? Vel faciunt Decios, vel tabularia ad ludendum ad fortuitos ludos, vel faciunt capillaturas pro capitibus mulierum, vel fucamenta ad ornandum, ſeu liniendum vultum earum, vel aurifigia, vittas, ſeu faſciolas, armillas, & coronas floridas ad laſciviam provocandam, picturas vanas, atque laſcivas in cameris, & lecticis, & quibuſcumque aliis locis, & cuncta conſimilia, quæ nihil valent ad utilitatem humanam, ſed tantum ad interitum animarum? Videtur enim, quod nullus labor, nec aliquod officium debeat approbari, niſi valeat ad commodum humanæ vitæ, cum Gen. 3. dicat Dominus — *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo* —, quaſi dicere velit, non labores, nec deſudes, niſi in opere illo, quod valeat ad faciendum panem tuum, hoc eſt ad ſuſtentationem vitæ tuæ. Ad quod dicendum, quod in triplici genere debent diſtingui artes, & manuales operationes. Primo ſunt quædam neceſſariæ, ſecundo quædam indifferentes, tertio quædam pernicioſæ. Primo enim ſunt quædam artes neceſſariæ ad humanum

Digitized by Google

manum uſum, licet homines illis abuti poſſint, & ſæpius abutantur, ſicuti ſunt agriculturæ, lanificia, ars Architectorum, ſutorum, textorum, & conſimilium. Secundo ſunt quædam artes, quæ multum ſunt indifferentes, quia his utplurimum abutuntur quidam, & quidam uti poſſunt eiſdem bene, ſicuti ſunt gladii, lanceæ, tormenta bellica, ſagittæ, quibus homines utuntur ad bellum juſtum, atque injuſtum. Similiter etiam quædam venena, quibus homines ad ſanitatem corporis uti poſſunt, inſuper etiam ad hominis necem. Item fieri poſſunt aurifigia, & vittæ, & conſimilia ad mundi vanitates, & Eccleſiaſtica ornamenta. Similiter tabernæ, & hoſpitia ad perniciem & neceſſitatem, & ſic de aliis. In omnibus ſupradictis in primo, & ſecundo caſu, & conſimilibus eis, ad intentionem facientis, & vendentis recurrendum eſt. Et in hujuſmodi diſtinguendum eſt, quia quandoque homo non peccat, quandoque peccare poteſt, quandoque autem peccat. Primo enim ſi homo credat hoc alicui neceſſarium fore, vel utile, vel animum habuit indifferentem, ſeu de hoc nihil cogitabat, quia rationem cogitandi non habebat, non peccat, etiamſi illo talis abutatur 23. q. 5. cap. *De occidendis*, ubi Auguſtinus ait — *Abſit, ut ea, quæ propter bonum, ac licitum facimus, aut habemus, ſi quid per hæc præter noſtram voluntatem cuiquam mali acciderit, nobis imputetur. Alioquin nec ferramenta domeſtica, & agreſtia ſunt habenda, ne quis eis vel ſe, vel alterum interimat: nec arbor, aut reſtis, ne quis ſe inde ſuſpendat* —. Secundo autem modo peccare poſſet, ſi ei conſcientia dictaret, quod ille hoc ad abuſum acquireret, vel hoc dictare deberet ratione requirentis perſonæ. Ad hoc 5. q. 5. cap. *Non omnis* Auguſtinus ait — *Vtilius eſurienti panis tollitur, ſi de cibo ſecurus juſtitiam negligebat, quam eſurienti panis frangitur, ut injuſtitiæ ſeductus acquieſcat* —. Tertio vero manifeſte mortaliter homo peccat, ſi hoc ſcienter facit, vel vendit, vel quomodocumque aliter alienat, ut alius abutatur, & omnia mala, quæ inde ſequuntur, imputantur ei 2. q. 1. cap. *Notum*, 11. q. 3. cap. *Præcipue*, 15. q. 6. cap. 1. ad finem, ubi ſcriptum eſt — *Nec tantum attendenda ſunt quæ fiunt, quantum quo animo fiant. Amplius autem reſpicit Deus ad cogitationes, & ſpontaneas voluntates, quam ad actus, qui per ſimplicitatem, aut per neceſſitatem fiunt* —. Tertio autem ſunt quædam artes pernicioſæ, quæ ad nullum uſum humanum utiles ſunt, niſi ad perniciem corporum, & animarum, ſicut ſunt quædam venena mortifera, & ad nullum uſum humanum utilia. Facturæ etiam ſuperfluæ, & ſumptuoſæ cortinarum, & linteaminum, & camiſiarum, quæ in decuplo plus valent, quam tota camiſia. Decii, tabularia, tabulæ, carticellæ inanes, galeæ, ſeu mitræ pro capitibus mulierum, fucamenta earum, Coronæ floridæ, & laſcivæ picturæ ad vanitatem, ſeu luxuriam concitantes, & conſimilia: tunc mortaliſſime peccant talia exercentes, faciendo, tenendo, vendendo, donando, vel quomodocumque alienando, & omnia peccata, & mala, quæ perpetrantur illarum rerum occaſione, eis imputantur,

& om-

Digitized by Google

& omnium animarum pereuntium occaſione rei ſunt apud Deum. Extra *de injuriis & damno dato* cap. finali. Ad hoc etiam facit optime lex diſtinguens inter venenum bonum & malum, dicens quod flagitioſæ rei, quæ nullo modo per adjectionem alterius rei, ſive materiæ poteſt eſſe utilis uſui humano, nec emptio, nec mandatum, nec ſocietas valere poteſt ff. *de contrahenda emptione* L. *Quod ſæpe*. His condordant Raymundus, Innocentius, & Hoſtienſis Extra *Ne Clerici vel Monachi* cap. 1. Immo ſi quando, licet raro, contingat, quod aliquas prædictarum aliquis ad licitum uſum inducere poſſit, tamen ſecundum Chryſ., ut refert Thomas 2. 2. q. 142. art. 2. in fine, tales non ſunt tolerandæ. Unde ſi operibus alicujus artis ut pluries aliqui male uterentur, quamvis de ſe non ſint illicitæ, ſunt tamen per officium Principis extirpandæ a Civitate ſecundum documenta Platonis. Non eſt autem neceſſe extirpare a Civitate ea, quæ venialia ſunt, ſed quæ ſunt in animarum, & populi detrimentum, ſicut diverſi fortuiti, & perniciosi ludi, ſuperfluæ vanitates, curioſæ inventiones, & ſimilia. Nec ſupradicti per ignorantiam excuſantur, ex quo ſciunt, quod communiter pro majori parte homines talibus abutuntur. Propterea quilibet obligatur ſcire de arte, cum qua victum lucratur, utrum ſit licita, vel econverſo. In hoc quoque debet multum vigilare Confeſſor, cum pœnitens venit ad eum, ſi in tali exercitio, vel officio, ſive arte ſit, in qua poſſit ſalvare animam ſuam. Aliter ex ignorantia, vel negligentia non excuſatur ipſe Confeſſor, ſi pœnitentem per abſolutionem reddit ſecurum, cum exerceat artem, cum qua anima ſua periclitatur, Extra *de injuriis & damno dato* cap. *Si culpa*. Unde ambobus accidit quod Dominus Matthæi 15. ait — *Cæcus ſi cæco ducatum præſtet, ambo in foveam cadunt* —. Hactenus S. Bernardinus. Pene ſimilia leguntur apud Aſteſanum lib. 3. tit. 8. art. 11. verſus finem.

Undecimum Dubium. Utrum, cum animal alicujus damnum dat in plantis alterius, in pratis, & hujuſmodi, Dominus animalis teneatur?

Reſpondeo ſecundum Doctores in cap. final. *de injuriis & damno dato* triplex eſt actio. Una, quæ dicitur legis Aquiliæ: & hac actione directa tenetur quicumque liber homo damnum dederit ſua culpa; indirecta autem, vel utili tenetur, quando ſuum animal, vel ſuus ſervus damnum dedit culpa ſua, aut negligentia: puta ſi equus te inſtigante recalcitravit, vel eum in ſegetem miſiſti: vel erat animal ferum, ut ſunt lupi, leones, canes mordaces, equi indo-

indomiti, & hujuſmodi, quæ communiter tentant nocere, & tu ipſum tenebas in publico ligatum quidem, non tamen taliter; quod nocere non poſſet; vel ipſum tenebas in domo, & aliquis illuc a te miſſus læſus fuit. Qualitercumque igitur quis fuerit in culpa, propter quam datum eſt damnum, tenetur. In foro contentioſo multum intereſt inter habere actionem directam, & habere actionem utilem, vel indirectam: quia actio directa ſolum datur, quando verba legis directa ſunt ad eum, cui lex voluit actionem dari, ſive detur ex lege, ſive naſcatur ex contractu vel quaſi, ſive ex delicto vel quaſi. Actio autem utilis, vel indirecta tunc datur, quando deficiunt verba expreſſa legis, ſed tamen voluntas, vel ſententia, licet tacita, exigit actionem dari. Verbi gratia: ſi quadrupes pauperiem fecerit, agere poteris actione directa per legem *Si quadrupes &c.*, ſi vero pauperiem fecerit biges, ages actione utili, vel indirecta. Ratio eſt: quia non verba, ſed mens legis attenditur, ut ff. *Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur* L. prima, & ultima. In conſcientia tamen nihil hoc intereſt, & præſertim quoad caſum præſentem, ut patet ex cap. final. *de injuriis & damno dato*. Et ideo qualitercumque datum ſit damnum ex culpa ſua, ſive a libero homine, ſive a ſervo, ſive ab animali, tenetur. Et quia tenetur actione Aquilia, iccirco tenetur ad totum damnum, ſi hoc poteſt compenſari, nec liberatur dando animal damnum paſſo, niſi tantum valeat, quantum eſt damnum datum. Secunda dicitur actio de pauperie: & hac actione quis tenetur, quando ſine ſua culpa animal ſuum præter conſuetudinem damnum dedit alicui. Puta bos non cornupetit, nec equus recalcitrat ſecundum conſuetudinem ſuam; & tamen præter conſuetudinem calcitravit, & percuſſit. Si Dominus in hoc caſu non fuit in culpa, ut ſupponitur, dando animal liberatur, nec tenetur ad amplius, etiamſi damnum datum excedat valorem animalis.

Quod

Digitized by Google

Quod ſi nolit dare animal, tenetur tunc ad ſatisfactionem damni, ut in dicto cap. finali. Tertia dicitur actio noxalis: & hac actione tenetur quis, quando ſervus ipſius damnum dedit alicui ſine culpa ſua. Tenetur etiam hic actione de pauperie, ut dictum eſt. De his vide Gloſſam, & Doctores in dicto cap. final., & in L. 1. ff. *Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur*, & Inſtitut. eod. titulo, ſcilicet *Si quadrupes pauperiem* &c.

(131) Materiam hanc inter alios dilucidant Joannes Pontaſius ver. *Reſtitutio* Caſu 170. 171. 172. 173. 174., & Gennettus de ſept. Decal. præcepto cap. 5. q. 34. 35. 36., & in omnibus cum Authore conveniunt, tametſi rem ipſam fuſiori calamo exponant. Ne pigeat audire Gennettum, qui doctrinam ſuam legibus communivit, & legentes inſtruxit, quid juris, ſi leges, & quid ſi conſcientiam ſpectemus.

Quæſtio 34. Nonne Dominus animalis, quod damnum attulit proximo abſque ulla Domini culpa, tenetur ad reſarciendum tale damnum?

R. Dicitur quidem in Decretali *Si culpa* (*de injuriis & damno dato* cap. ult.) *Si animalia tua nocuiſſe proponas, nihilominus ad ſatisfactionem teneris, niſi, ea dando paſſis damnum, velis liberare teipſum* — Ex quo ſequitur, tale damnum debere reſarciri a Domino animalis, etiamſi Dominus non ſit in culpa. Verum quæritur, utrum dictus Dominus teneatur ſponte, & ex ſe ipſo hoc damnum compenſare, aut poſſit expectare ſententiam Judicis? Et videtur, quod ſi abſque Domini culpa damnum accidit, lex naturalis illum non obligat ad reſtituendum; ac proinde cum ſolum obligetur ex legibus humanis tum civilibus, tum canonicis, expectare poteſt tuta conſcientia, ut petatur hujuſmodi damni compenſatio; præfatæ enim leges ideo ſtabilitæ fuiſſe videntur, quia ſemper præſumitur, quod aliqua Domini intervenerit culpa, vel negligentia, & ut hujuſmodi appoſita pœna cautiores Domini fiant in cuſtodia ſuorum animalium, ne proximo noceant.

Quæſtio 35. Quando damnum illatum ab animali potuit, & debuit impediri a Domino, tenetur ne tale damnum reſarcire?

R. Si damnum accidit ex culpa, vel negligentia Domini, in hoc utique caſu tenetur etiam de jure naturali reſarcire omne tale damnum juxta verba Exodi (21. v. 36.) inſerta in Canone (Extra *de injuriis & damno dato* cap. *Si bos*) *Si bos alienus cornupeta fuerit ab heri, & nudius tertius, & non cuſtodivit eum Dominus ſuus, reddet bovem pro bove, & cadaver integrum accipiet* —. Qui ſcilicet ſibi imputare debet damnum culpa ſua illatum.

Id confirmatur ex alio Juris Canonici loco (cap. ult. eod. tit.), in quo

ſic

ſic habetur — *Si animalia tua nocuiſſe proponas, nihilominus ad ſatisfactionem teneris, niſi, ea dando paſſis damnum, velis liberare teipſum. Quod tamen ad liberationem non proficit, ſi fera animalia, vel quæ conſueverunt nocere, fuiſſent, & quam debueras non curaſti diligentiam adhibere* —. Et hæc reſtitutio damni facienda eſt ſponte, non expectata proximi querela, nec Judicis ſententia.

Certum etiam eſt, quod Dominus animalis, quod nocuit, tenetur de jure naturali reſtituere omnem æſtimationem commodi, aut lucri, quod ex damno illato percepit, licet abſque ejus culpa contigerit, *nam*, ut habetur in lege (ff. *de conditione indebiti* L.14.) *hoc natura æquum eſt, neminem cum alterius detrimento fieri locupletiorem* —, & de Jure Canonico (Regula 48. *de regulis juris* in Sexto) *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura*. Unde ſi animal fœnum, aut aliud ad proximum pertinens comederit, Dominus animalis, qui ſic liberatus fuit ab expenſis faciendis pro dicti animalis ſuſtentatione, tenetur, quamvis id acciderit ſine ulla ſua culpa, reſtituere juſtam æſtimationem talis commodi ex damno ſibi provenientis. Sed ſi Dominus nullam admiſit culpam, & nullum commodum percepit, non videtur teneri ad reſarciendum damnum a ſuo animali illatum, aut illud damnum paſſo tradere, niſi ſecuta Judicis ſententia, juxta dicta ſuperius.

Quæſtio 36. Dum ſervus intulit damnum proximo, tenetur ne Dominus tale damnum reſarcire?

R. Quoad veros ſervos, qui vix inter Chriſtianos reperiuntur, ſervanda eſt diſpoſitio Juſtiniani Imperatoris (Inſtitut. *de noxalibus actionibus* ſub initio) his verbis expreſſa — *Ex maleficiis ſervorum, veluti ſi furtum fecerint, aut bona rapuerint, aut injuriam commiſerint, noxales actiones proditæ ſunt, quibus Domino damnato permittitur, aut litis æſtimationem ſufferre, aut ipſum hominem noxæ dedere* —, ideſt ſervum tradere, & donare damnum paſſo. Sed quæritur quid de famulis, & famulabus? Utrum Dominus damna ab eis illata reſarcire teneatur? Primo certum eſt, damnum, quod inferre poſſunt famuli extra domum heri, & dum rebus ad illius famulatum ſpectantibus non ſunt occupati, non poſſe Domino imputari, ſi non ſit in culpa. Tunc enim juxta diſpoſitionem Canonicam pœna culpæ authorem tenet. Quod etiam ſtatuitur in jure Civili toto titulo C. *Ne filius pro patre, vel pater pro filio emancipato, vel liberatus pro patrono, vel ſervus pro Domino conveniatur*. Attamen ſi famulus effuderit, aut projecerit aliquid per Domini feneſtras, & ſic alicui noceat: tunc juxta legem civilem Dominus tenetur tale damnum reſarcire; in lege enim ſic habetur (ff. *de his qui effuderint*, L.1. ſub initio) *Unde ſi in eum locum, quo vulgo iter fiet, vel in quo conſiſtetur, dejectum, vel effuſum quid erit: quantum ex ea re damnum datum, factumque erit, in eum, qui habitaverit, in duplum judicium dabo* —, ideſt Dominus illius domus ſolvet damnum in duplum. Verum quidem eſt,

hanc legem eſſe pœnalem, & reſpicere tantum forum externum; & ita ſi herus nullam admiſit culpam, non tenetur in foro conſcientiæ hanc ſubire pœnam, immo nec damnum reſarcire ante ſententiam Judicis, ut diximus ſupra.

Hic autem notandum eſt, damnum hoc ſupradicto modo datum debere reſarciri a Domino domus, ideſt ab illo, qui eſt caput familiæ, quæ in tali domo habitat, ſive domus revera ad eum pertineat, ſive eam locaverit, aut in ea quoquo modo maneat; dicitur enim in lege (eo tit L. 1. §. 4.) *Hæc in factum actio in eum datur, qui inhabitat, cum quid dejiceretur, vel effunderetur, non in Dominum ædium; culpa enim penes eum eſt* —. Et in alia lege (eod. tit. L. 1. §. 9. & ſeq.) ſic expreſſe ſtatutum eſt — *Habitare autem dicimus vel in ſuo, vel in conducto, vel gratuito. Hoſpes plane non tenebitur, quia non ibi habitat, ſed tantiſper hoſpitatur; ſed is tenetur, qui hoſpitium dederit. Multum autem intereſt inter habitatorem, & hoſpitem, quantum intereſt inter domicilium habentem, & peregrinantem. Si plures in eodem cœnaculo habitent, unde dejectum eſt, in quemvis hæc actio dabitur.* (& L. ſeq.) *Cum ſane impoſſibile eſt ſcire, quis dejeciſſet, vel effudiſſet* —.

In his autem caſibus, licet in foro interno Dominus teneatur ad reſarciendum damnum, poteſt tamen id omne repetere in conſcientia, & in foro quoque externo, ab illo, qui revera damnum intulit ſua culpa, quique idcirco de jure naturali tenetur illud propriis expenſis reſarcire, ſi poſſit.

Quæ de Domino domus dicta ſunt, debent etiam intelligi de his, qui cauponæ, ſeu tabernæ præſunt, & ſimilibus. Idem dicendum eſt de gubernatoribus, ſeu ducibus navium, qui omnes damna ab aliis quibuſcumque etiam ſine propria culpa data reſarcire tenentur, ſalvo tamen jure repetendi contra eos, qui ſunt in culpa. Hæc habentur in variis legibus his verbis (ff. *de his qui effuderint* L. *Si vero* §. 4.) *Cum autem legis Aquiliæ actione propter hoc, quis condemnatus eſt: merito ei, qui ob hoc, quod hoſpes, vel quis alius de cœnaculo dejecit, in factum dandam eſſe Labeo dicit adverſus dejectorem. Quod verum eſt* —. Et in alio loco (L. *Hoc edictum* §. 2 eod. tit.) *Habitator ſuam, ſuorumque culpam præſtare debet. Si de nave dejectum ſit, dabitur actio utilis in eum, qui navi præpoſitus ſit* —. In alio enim Digeſtorum titulo ſic habetur (ff. *Nautæ, caupones* L. 1. ſub initio) *Ait Prætor: Nautæ, caupones, ſtabularii, quod cujuſque ſalvum fore receperint, niſi reſtituent, in eos judicium dabo* — (& ibid. in fine) *Recipit autem ſalvum fore, utrum ſi in navem res miſſæ ei adſignatæ ſunt, an, etſi non ſint adſignatæ, hoc tamen ipſo, quod in navem miſſæ ſunt, receptæ videntur? Et puto, omnium eum recipere cuſtodiam, quæ in navem illatæ ſunt: & factum non ſolum nautarum præſtare debere, ſed & vectorum* — (& L. ſeq.) *Sicut & caupo viatorum* —.

Obſervandum autem, quod magiſter navis, caupo, & alii ejuſmodi, non

non tenentur reſarcire damna paſſa a viatoribus, ſi de hoc convenerint (ff, eod. tit. L. *Debet exercitor* ſub initio) *Item ſi prædixerit, ut unuſquiſque vectorum res ſuas ſervet, neque damnum ſe præſtaturum, & conſenſerint vectores prædictioni, non convenitur* —. Alias ſi nullum pactum intervenerit, *Exercitor navis*, ut habetur in Inſtitutionibus Juſtinianæis (*De obligationibus quæ quaſi ex delicto naſcuntur* §. 3.) *aut caupona, aut ſtabuli de dolo, aut furto, quod in navi, aut caupona, aut ſtabulo factum erit, quaſi ex maleficio teneri videtur* —. Hæ autem leges, quæ ob bonum publicum fuerunt ſtatutæ, obligant in conſcientia modo ſuperius explicato.

Hactenus Gennettus. Adde quod ſcriptum eſt Exodi 22. v. 5. — *Si læſerit quiſpiam agrum, vel vineam, & dimiſerit jumentum ſuum, ut depaſcatur aliena: quidquid optimum habuerit in agro ſuo, vel in vinea, pro damni æſtimatione reſtituet* —. Adde quod ſcripſit Petrus Bleſenſis Tract. de Inſtitut. Epiſcopi ad Epiſcopum VVigornienſem apud Pontaſium ſupra laudatum Caſu 174. — *Illud abſurdum, deteſtandumque dicitur, quod effracta Eccleſiarum immunitate, & dignitate ſacri Ordinis conculcata, quidam Principes terræ de ſola immunitate cogitant ferarum, & hominibus gementibus inter ſerviles angarias, Cervi, Capreoli, Damæ, & Lepores privilegio ſummæ libertatis exultant. Pauperum ſegetes, & hortos impune depaſcunt, nec eſt qui eos arcere præſumat. Lex enim funeſta homines hodie non ſolum de captione ferarum, ſed de ſimplici captionis ſuſpicione condemnat.*

Si ſermo ſit de animali fero, & hoc abſque Domini culpa fugiat, & dein damnum inferat, non tenetur tunc Dominus reſarcire damnum illatum ff. *Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur* L. 1. §. 10. — *In beſtiis autem propter naturalem feritatem hæc actio locum non habet; & ideo ſi urſus fugit, & ſic nocuit, non poteſt quondam Dominus conveniri: quia deſinit Dominus eſſe, ubi fera evaſit; & ideo ſi eum occidi, meum corpus eſt* —. Idem ſancitur Inſtitut. *Si quadrupes pauperiem* — *Denique ſi urſus fugerit, & ſic nocuerit, non poteſt quondam Dominus conveniri: quia deſiit Dominus eſſe, ubi fera evaſit* —.

Dum Dominus eſt in culpa, dicit Author, quod non liberatur ab onere reſtitutionis dando animal damnum paſſo, niſi tantum valeat, quantum eſt damnum illatum. Et quidem jure optimo: quia Dominus eo in caſu eſt cauſa efficax totius damni, & iccirco in conſcientia tenetur ad totum, & per legem civilem ad duplum. Si dicas, quod ſancitum eſt tum lege civili Inſtitut. *Si quadrupes pauperiem* &c., tum lege Canonica Extra *de injuriis & damno dato* cap. ult., Dominum liberari dando ipſum animal — *Quæ animalia ſi noxæ dedantur, proficiunt reo ad liberationem*, ita Inſtit. — *Niſi ea dando paſſis damnum, velis liberare teipſum* —, ita Gregorius IX. cap. ult. nunc laudato. Reſpondeo veriſſimum hoc eſſe, dum Dominus in culpa non eſt, & duntaxat locum habet actio de pauperie. Sed in caſu res aliter ſe habet; locus enim etiam eſt actioni Aquiliæ ab Authore expoſitæ, quin

Ss 2

quia una actio alteram excludat, ut aperte Inſtit. eo tit. §. *Cæterum — Cæterum ſciendum eſt, ædilitio Edicto prohiberi nos canem, verrem, aprum, urſum, leonem ibi habere, qua vulgo iter fit: & ſi adverſus ea factum erit, & nocitum libero homini eſſe dicatur, quod bonum & æquum Judici videtur, tanti Dominus condemnetur: cæterarum vero rerum, quanti damnum datum ſit dupli. Præter autem has ædilitias. actiones & de pauperie locum habebit. Numquam enim actiones, præſertim pœnales, de eadem re concurrentes, alia aliam conſumit —*. Id appoſite animadvertit Gloſſa in cap. ult. Extra *de injuriis & damno dato*, in quo ſancitum eſt, quod, dum damnum datum eſt ab animalibus feris, quis non liberatur dando animal ipſum — *Quod tamen ad liberationem non proficit, ſi fera animalia, vel quæ conſueverunt nocere, fuiſſent, & quam debueras non curaſti diligentiam adhibere —*. En verba Gloſſæ ſuper ver. *Non curaſti* — Quia hujuſmodi animalia non debent teneri in publico, ubi publicum iter eſt Inſtitut. *Si quadrupes pauperiem feciſſe dicatur* §. *Cæterum*. Si vero teneantur in publico, & damnum dederint, tenetur Dominus in duplum, & nihilominus actio de pauperie locum habet: quia cum plures actiones concurrunt pœnales in ead. re, una non tollit aliam Inſtitut. eod. §. —.

DUODECIMUM DUBIUM. Utrum Cives deputati ad dividendum collectas ſecundum æſtimationem, quam unuſquiſque habet in Regiſtro Communitatis, qui aliquos magis gravant, aliquos exonerant, teneantur ad reſtitutionem?

Reſpondeo ſecundum Monaldum tit. *Reſtitutio quarto*; quod, ſi plus debito aliquem gravant, huic tenentur ad illud plus. Si autem allevant ſe, vel amicos ſuos, & collecta eſt determinata, puta de centum, tunc tenentur reſtituere hoc allevamentum illis, quibus damnum dederunt: & iccirco ſi propter hoc collecta ſæpius fuit iterata ſuper cives, reſtitutio facienda eſt civibus; ſi vero propter hoc Dominus, qui tantum habere debebat, habuit minus debito, facienda eſt Domino. Intellige tamen, ſi erat juſta. Si autem collecta erat indeterminata, puta quia debebant exigere quantum poterant honeſto modo: tunc quamvis mortaliter peccent ſe vel alios allevando, quia mentiuntur faltem facto pernicioſe 22. q. 2. cap. *Primum*, tamen non tenentur reſtituere.

(132) De

(132) De hoc caſu ita ſcribit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 34. cap. 4. in fine — *Quarto non juſte gravando, ut puta quidam Dominus, ſeu Communitas commiſit cuidam civi imponere quoddam certum vectigal ſuper ſubditos ſuos ſecundum cujuslibet facultatem. Hic autem allevians quoſdam amicos ſuos, reliquos injuſte gravare neceſſe eſt. Talis inquam, qui ſcienter alleviat eos citra valorem rerum ſuarum, tenetur de illo damno ſatisfacere læſis, ſi eos reperire poteſt, & quicquid inde lucratus eſt pauperibus diſpenſare. Si autem reperire non poteſt læſos, debet omnia prædicta pauperibus erogare* —.

In diſtributione tributorum juſtitia ſervari debet, & æqualitas L. *Fundos* C. *de fundis patrimonialibus — Ita ut relevato onere rei, quod imminet fatigatis, translatio in eos, qui integris viribus florent, & adſcriptio tributorum æqua lance dividatur* —. Et ea non ſervata, ſecus faciens pœnas luere debet, & reſtituere C. *de cenſibus* L. 6. — *Peræquatores, ac diſcuſſores, ſi incurrerint culpam negligentiæ, vel gratiæ, non ſolum bonorum jacturam, verum etiam annonarum in quadruplum multam ſubire debebunt* —.

Author ab onere reſtitutionis liberat cives, de quibus ſermo, dum tributum eſt indeterminatum. Id intellige, ſi nulla cæteris fiat injuria, nullum inferatur damnum: ſi inſuper ſibi, vel aliis in aliquibus parcendo in cauſa non ſunt, cur tributum alterum imponatur, quod alias non fuiſſet impoſitum. Hujuſmodi conditiones fere numquam inſimul reperiuntur; Commune enim, ſeu Civitas minorem exigens pecuniæ ſummam minus aptum eſt ad publica onera ſuſtinenda. Arbitror iccirco vix aut ne vix quidem dari poſſe caſum, in quo ſic agentes non teneantur ad reſtitutionem.

TERTIUMDECIMUM DUBIUM. Utrum aſſumpti a Judice, vel a Communitate, vel a partibus ad aliquod æſtimandum, teneantur, ſi male æſtiment?

Reſpondeo, quod ſic, ſi dolo, vel lata culpa hoc faciunt: ut Notarius aſſumptus ad comparandas, ſeu recognoſcendas litteras, ſi male comparat L. *Comparationes* C. *de fide inſtrumentorum*: Medicus, qui perperam refert de vulneribus cap. *Significaſti* Extra *de homicidio*: Obſtetrix, de prægnatione ventris L. 1. ff. *de ventre in poſſeſſionem mittendo*: Tabullarius, qui computando ſe feſellit L. final. in fine ff. *Si menſor falſum modum dixerit*, & L. 2. C. *de jure fiſci*: Menſor agri, ædificii, frumenti, & hujuſmodi L. *Si menſor* §. 1. & 2. ff. *Si menſor falſum modum dixerit*: Æſtimator patrimoniorum, fideicommiſſorum, facultatum pro collectis imponen-

ponendis, & hujuſmodi L. 1. C. *de Magiſtratibus conveniendis*, & L. 1. §. *Divus* ff. eod. titulo, & L. *Arbitrio*, & L. *Si ab Arbitrio* ff. *Qui ſatiſdare cogantur*. Omnes iſti, & eiſdem ſimiles tenentur de omni damno dato ex ipſorum falſa æſtimatione illis, quibus damnum dederunt, ut dictum eſt ſupra.

(133) Super hac re totus eſt titulus ff. *Si menſor falſum modum dixerit*. Adverſus menſorem fallentem datur actio in factum, ut conſtituitur ibidem L. 1., & in eadem cum menſore fallente damnatione ſunt Architecti, Tabularii, aliique ejuſdem generis, qui aſſumi ſolent ad præſtandam æſtimationem, ſicuti ſancitur eo titulo L. ultima -- *Et ſi menſor machinarius ſefellerit, hæc actio dabitur. Nec non illud quoque Pomponius dicit, etiam in eum, qui menſor non fuit, ſefellit tamen in modo, competere hanc actionem. Hoc exemplo etiam adverſus Architectum actio dari debet, qui ſefellit: nam & Divus Severus adverſus Architectum, & redemptorem actiones dandas decrevit. Ego etiam adverſus Tabularium puto actiones dandas, qui in computatione ſefellit* --: Comparatio, de qua Author, eſt recognitio auctoritate publica facta alicujus Scripturæ, vel Inſtrumenti, quæ nequit fieri, niſi præhabito juramento, quemadmodum ſancitum fuit L. *Comparationes* C. *de ſide Inſtrumentorum* in hæc verba -- *Omnes autem comparationes non aliter fieri concedimus, niſi juramento antea præſtito ab his, qui comparationem faciunt, fuerit affirmatum, quod neque lucri cauſa, neque inimicitiis, neque gratia tenti, hujuſmodi faciunt comparationem* --. Quiſquis videt, quod in ejuſmodi caſibus totum pendet ab æſtimatione, quæ, ſi falſa eſt, ipſa ſola eſt cauſa efficax totius damni inde conſurgentis. Æſtimator igitur totum damnum illatum compenſare debet, quia culpa ipſius datum eſt. Recole cap. ult. Extra *de injuriis & damno dato* ſuperius recitatum.

Aliquid negotii faceſſere poteſt quod docet Author, æſtimatores videlicet ejuſmodi teneri de dolo & culpa lata: quum enim hi ut plurimum mercede conducantur ad præſtandam æſtimationem, conſurgere videtur contractus cedens in utilitatem utriuſque, æſtimatoris nempe & Domini, cujus res æſtimatur; & iccirco eos teneri non ſolum de dolo, & culpa lata, ſed etiam de levi. Ut ut res ſe habeat: ita fuit lege ſancitum ſuper hoc particulari caſu, textu aperto ff. *Si menſor falſum modum dixerit* L. 1. §. 1. & 2. -- *Hæc actio dolum malum duntaxat exigit: viſum eſt enim ſatis abundeque coerceri menſorem, ſi dolus malus ſolus conveniatur ejus hominis, qui civiliter obligatus non eſt. Proinde ſi imperite verſatus eſt, ſibi imputare debet, qui eum adhibuit: ſed & ſi negligenter, æque menſor ſecurus erit. Lata culpa plane dolo comparabitur, Sed & ſi mercedem accepit, non omnem culpam*

*para eum præſtare propter verba Edicti: utique enim ſcit Prætor, & mercede eos intervenire —*. Speciale hoc eſt ſuper hac re, ut adnotat Gloſſa in hanc legem ſuper ver. *Mercede*.

Quartumdecimum Dubium. Utrum projiciens de domo in via publica aliquid, quo alium lædit vel in veſtimentis, vel in perſona, teneatur?

Reſpondeo, quod ſic ſecundum Speculatorem tit. *de injuriis* §. *Sequitur*. Similiter tenetur ille, qui tenebat aliquid appenſum extra domum ſuper viam publicam, quod effuſum eſt cum damno aliorum.

(134) Jam ſupra cum Gennetto protuli legem apertiſſimam ff. *de his qui effuderint, vel dejecerint* L. 1. ſub initio, quæ erat hujuſmodi — *Unde ſi in eum locum, quo vulgo iter fiet, vel in quo conſiſtetur, dejectum, vel effuſum quid erit, quantum ex ea re damnum datum factumque erit, in eum, qui ibi habitaverit, in duplum judicium dabo —*. Unice igitur addo, quod ſubdit ibidem lex, dum læſio fit in perſona — *Si eo ictu homo liber periiſſe dicetur, quinquaginta aureorum judicium dabo. Si vivet, nocitumque ei eſſe dicetur: quantum ob eam rem æquum Judici videbitur, eum, cum quo agetur, condemnari, tanti judicium dabo —*. Egregia eſt ratio, quæ eo loci ſubjicitur §. 1. — *Summa cum utilitate id Prætorem edixiſſe, nemo eſt qui neget: publice enim utile eſt, ſine metu, & periculo per itinera commeari —*. Egregia item eſt declaratio immediate ſequens — *Parvi autem intereſſe debet, utrum publicus locus ſit, an vero privatus: dummodo per eum vulgo iter fiat, quia iter facientibus proſpicitur, non publicis viis ſtudetur; ſemper enim ea loca, per quæ vulgo iter ſolet fieri, eandem ſecuritatem debent habere. Ceterum ſi aliquando vulgus in illa via non commeabat, & tunc dejectum quid, vel effuſum, cum adhuc ſecreta loca eſſent, modo cœpit commeari, non debet hoc Edicto teneri —*.

Memento doctrinæ, quam ſupra dedi, ex eod. Gennetto: videlicet hujuſmodi leges, prout reſpiciunt Dominum domus, duntaxat eſſe pœnales, eumque, dum in culpa non eſt, non obligare ante ſententiam Judicis. Merito iccirco ſcribit Joannes Pontaſius ver. *Reſtitutio* Caſu 180. — Nihilominus, quoniam nonniſi pertinent ejuſmodi leges ad diſciplinam politicam, atque externam, vere dici poteſt, cum Dominus culpæ, quam admiſit ſuus ſervus, aut quilibet alius de numero eorum, qui ſunt ipſius domeſtici, & in ædibus, quas ipſe occupat, actu commorantur, neque conſcius eſt, neque ulla ratione particeps, eum ad nullam in foro conſcientiæ teneri damni compenſationem, donec ad eandem fuerit in judicio condemnatus: atque etiam

etiam in eo caſu jure juvari, ut poſſit ad eum recurrere, qui prædictam culpam commiſit, & cui incumbit ex ipſo jure naturali damnum, quod ex eadem fuit ſubſecutum, reſtituere —. Hactenus ille.

QUINTUMDECIMUM DUBIUM. Utrum præcidens arborem vicini ſui, quæ pendens ſuper domum ipſius eidem damnum afferebat, teneatur?

Reſpondeo ſecundum eumdem, quod non, ſi auctoritate Judicis id fecit L. *Si plures* §. 2. ff. *arborum furtim cæſarum*: vel etiam auctoritate propria, dummodo tamen primo denunciaverit illi, cujus erat, ut eandem amputaret. Hæc denunciatio optimum eſt quod fiat per publicum Inſtrumentum propter forum contentioſum. In conſcientia autem, licet id feciſſet ſine hujuſmodi ſolemnitatibus, non credo, quod teneatur: quia ille, cujus erat, tenebatur eandem præcidere: niſi forte tam male arborem amputaſſet, quod ille, cujus erat, nihil amplius poſſet facere de ea, qui ſecus aliquid utiliter feciſſet.

(135) Quum nemo Judex ſit in propria cauſa, æquum non eſt, ut quis, vicino non monito, præcidat quod ſuum non eſt, ſed alterius, vicini nempe. Vetatur id L. 1. ff. *Arborum furtim cæſarum — Si furtim arbores cæſæ ſint, & ex lege Aquilia, & ex duodecim Tabulis dandam actionem Labeo ait —*, & L. *Si plures* §. ab Authore laudato — *Si arbor in vicini fundum radices porrexit, recidere eas vicino non licebit —*, videlicet, ut adnotat Gloſſa ibidem — *Niſi prius facta denunciatione —*. Vicino autem monito, & nolente impedire damnum, quod alteri infertur, de ſe ipſo conqueri debet, ſi damnum patiens arborem præcidat. Arboris nomine intelliguntur etiam vites, ut L. 3. eo titulo — *Vitem arboris appellatione contineri, plerique veterum exiſtimaverunt —*. Animadvertendum tamen eſt, quod, ſi non tota planta, ſeu arbor incumberet ſuper domum vicini, eique damnum adferret, ſed unus duntaxat, vel alter ramulus, huic certe non liceret totam plantam præcidere, etiam quacumque denunciatione præhabita; agere enim ſolum poteſt, ut ſervetur indemnis, & non amplius.

SEXTUMDECIMUM DUBIUM. Utrum illi, qui obviant, ne frumentum, aut alia merx veniat in aliquam terram, ad

hoc

hoc ut ipſi carius vendant merces ſuas, teneantur?

Reſpondeo, quod ſic, reſtituere ſcilicet totum illud plus, quo merces ſuas vendiderunt. Illi ſimiliter, qui conveniunt de omnibus mercibus emendis, vel dant arrham pro emptione earumdem, ut eas poſtea vendant ad libitum, tenentur ad omne damnum L. 2. ff. *de lege Julia de annona*, & Gloſſa in L. *Annonnam* ff. *de extraordinariis criminibus*.

(136) Primi nullum dubium in cauſa ſunt; & quidem injuſta, cur populus emat merces pluris, quam emiſſet. Damnum igitur illatum compenſare tenentur. Secundi negotiatione privari ſolent, & relegari, eoſque reſpicit tum L. 2. ab Authore laudata, quæ eſt hujuſmodi — *Lege Julia de Annona pœna ſtatuitur adverſus eum, qui contra annonam fecerit, ſocietatemve coierit, quo annona carior fiat* —, tum L. *Annonam* itidem indicata, in qua lego — *Annonam adtemptare* (alii ſcribunt attentare) *& vexare, vel maxime Dardanarii ſolent, quorum avaritiæ obviam itum eſt, tam mandatis, quam Conſtitutionibus. Mandatis denique ita cavetur: Præterea debebis cuſtodire, ne Dardanarii ullius mercis ſint, ne aut ab his, qui cœmptas merces ſupprimunt, aut a locupletioribus, qui fructus ſuos æquis pretiis vendere nollent, dum minus uberes proventus expectant, annona oneretur. Pœna autem in hos varie ſtatuitur: nam plerumque, ſi negotiantes ſunt, negotiatione eis tantum interdicitur, interdum & relegari ſolent, humiliores ad opus publicum dari* —. Dardanarii a quodam Dardano factionum Authore dicebantur, qui maxime dabat operam, ut annona carior fieret, emendo omnem quam invenire poſſet, ut poſtea ſolus venderet ſicut vellet. Ita Gloſſa in hanc legem. Hoc genus negotiationis verum eſt, propriumque monopolium; quod ſic deſcribit Martinus in Lexico Philologico pag. 35. Edit. Amſtelodam. an. 1701. — *Monopolium dicitur, cum unus ſolus aliquod genus mercaturæ univerſum emit, ut ſolus vendat, pretiumque ſuo modo ſtatuat, vel plures ſimul idem facere, quo carius vendant* —. Hi negotiatores ſunt iſti, de quibus S. Raymundus lib. 2. tit. 7. de uſuris & pignoribus §. 9. — *illos...... credo tamquam nefandas belluas deteſtandos, qui ea intentione emunt res venales, & præcipue victualia, ut de talibus cariſtiam inducant* — & ſæpe evenit eis, quod ait Dominus Micheæ 1. v. 7. — *De mercedibus meretricis* (ideſt avaritriæ ſuæ, rapinæ, vel uſuræ, ut exponit S. Bernardinus To. 2. ſerm. 33. art. 2. cap. 7.) *congregata ſunt, & uſque ad mercedem meretricis revertentur* —. Merito iccirco Zeno Imperator C. *de monopoliis* L. unica — *Si quis autem monopolium auſus fuerit exercere, bonis propriis expoliatus, perpetuitate damnetur exilii* —. Quod hi poſtmodum reſtituere teneantur, nemo eſt qui id ire poſſit inficias; Regula ſiquidem firma eſt, erit-

que in æternum, quam tradidit Gregorius IX. Extra *de injuriis & damno dato* cap. ultimo -- *Qui occaſionem damni dat, damnum dediſſe videtur* --, &, ut ibidem prius dixerat Summus Pontifex -- *Si culpa tua datum eſt damnum ..... jure ſuper his ſatisfacere te oportet* --.

Decimumseptimum Dubium. Utrum præcipiens fieri alteri damnum injuſte, teneatur?

Reſpondeo ſecundum Ricardum, quod ſic, & in ſolidum, etiamſi nihil habuerit utilitatis. Et magis tenetur quam exequens: quia cauſa prima plus influit quam ſecunda. Concordat Alexander de Alexandria. Exequens tamen non excuſatur, ſed etiam ipſe tenetur in ſolidum. Arguitur 11. q. 3. cap. *Julianus*.

(137) *Ille; qui jubet fieri, prior, & principalior cauſa eſt, quam executor præcepti, & per conſequens plus influit, ex quo quidem plus obligatur, & fortius* -- Ita S. Bernardinus To. 1. ſerm. 34. cap. 2. -- *Ille, qui jubet, eſt principaliter movens; unde ipſe principaliter tenetur ad reſtituendum* --. Ita S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. Ratio invicta ea eſt, quam profert Alex. III. Extra *de ſententia excommunicationis* cap. *Mulieres* §. 1. -- *Cum is committat vere, cujus auctoritate, vel mandato delictum committi probatur* --. Æquiſſimo igitur jure Inno. XI. hanc proſcripſit propoſitionem in ordine 39. -- *Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati* --. Impios homines ſic præcipientes impetit cap. *Si is, qui præeſt* 11. q. 3. -- *Si is, qui præeſt, fecerit, aut cuiquam, quod a Domino prohibitum eſt, facere juſſerit, vel, quod præceptum eſt, prætererit, aut præterire mandaverit, Sancti Pauli Apoſtoli ſententia ei ingerenda eſt dicentis* -- *ETIAMSI NOS, AUT ANGELUS DE COELO EVANGELIZAVERIT VOBIS, PRÆTERQUAM QUOD VOBIS EVANGELIZAVIMUS, ANATHEMA SIT* --. *Si quis prohibet vobis, quod a Domino præceptum eſt, vel rurſus imperat fieri, quod Dominus prohibet, execrabilis ſit omnibus, qui diligunt Deum. Is, qui præeſt, ſi præter voluntatem Dei, vel præter quod in ſanctis Scripturis evidenter præcipitur, vel dicit aliquid, vel imperat, tamquam falſus teſtis Dei, aut ſacrilegus habeatur* --. Mandatis impiorum hominum ſic præcipientium obtemperandum nobis non eſt, veſtigia ſequendo eorum militum vere piorum, de quibus cap. *Julianus* 11. q. 3. -- *Julianus Imperator, quamvis eſſet Apoſtata, habuit tamen ſub ſe Chriſtianos milites: quibus cum dicebat, producite aciem pro defenſione Reipublicæ, obediebant ei. Cum autem diceret eis, producite arma in Chriſtianos, tunc cognoſcebant Imperatorem Cœli* --.

Nec

Nec præcipiens ab onere reſtitutionis excuſatur, quamvis alius juſſiſſet, ipſo non præcipiente : quia adhuc eſt vera cauſa, ſine qua in caſu damnum non fieret. *Enim vero* ( appoſite Antoine de juſtitia & jure part.2. cap.4. q.2. reſp.2. ) *alium præveniendo in injuria contraxit obligationem, quam ipſe contraxiſſet : alioqui qui damnum injuſte paſſus eſt ab aliis, non haberet jus exigendi reſtitutionem ob multitudinem hominum iniquorum* --. Excuſatur nihilominus, ſi damnum revera non fuit illatum, vel ſi expreſſe aut tacite revocavit mandatum, priuſquam damnum fieret, & mandatarius de hac revocatione fuerit monitus, ſicuti cum communi docet Gennettus de 7. Decal. præcepto c. 6. q. 4.

Decimumoctavum Dubium. Utrum conſulens alicui, ut faciat alteri damnum, vel rapinam, teneatur?

Reſpondeo, quod ſic, & in ſolidum, ſi ſecus alter non fuiſſet factus damnificans. Arguitur a ſimili Extra *de ſententia excommunicationis* cap. *Nuper* in Gloſſa, & Inſtitut. *de obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur* §. *Interdum*. Pro clariori intelligentia iſtius quæſtionis, & aliarum, notandum eſt pro Regula, quod in his, quæ non verſantur circa delictum, nullus tenetur ex conſilio ſuo, niſi fuerit fraudulentum. Colligitur ex Regula L. *Conſilii* ff. *de regulis juris*, & lib. 6. *de regulis juris*, ubi dicitur -- *Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur* --. In illis autem, quæ verſantur circa delictum, tunc ſolum tenetur, quando ſine conſilio ſuo alter non fuiſſet facturus, ut patet ff. *de his, quæ notantur infamia* L. 1. in fine, & Extra *de homicidio* cap. *Sicut dignum*, ſive factus ſit de bono malus, ſive de malo deterior ff. *de ſervo corrupto* L. 1. §. *Perſuadere*. Alias non tenetur ff. *Mandati* L. *Si remunerandi* §. *Si tibi* in fine. Et dictæ Regulæ, ſcilicet L. *Conſilii*, & *Nullus* intelligendæ ſunt, quando conſilium non verſatur circa delictum: & ſic intellige diſtinctionem Joannis Andreæ in dicta Regula *Nullus* lib. 6. Nec obſtat opinio Panormitani in laudato cap. *Nuper*, qua reprobat diſtinctionem ſuper hac re, volens quod ſive in maleficiis, ſive

in non maleficiis nullus teneatur, niſi conſilium fuerit fraudulentum. Reſtringenda enim eſt hujuſmodi opinio, ut ſolum reprobet ſecundam diſtinctionem Joannis Andreæ, qui in iis, quæ non verſantur circa delictum, ita diſtinxit. Aut fraudulentum fuit conſilium, aut non. Si primum, tenetur. Si ſecundum, iterum diſtinguendum eſt. Aut alias erat facturus, aut non. Si primum, non tenetur. Si ſecundum, tenetur. Credendum quippe non eſt, quod voluerit opinari contra omnia jura, quæ in delictis ita condemnant conſulentem ſicuti facientem malum, etiamſi conſilium non fuerit fraudulentum, quando alias non erat facturus, ut patet in dicto cap. *Sicut dignum*, & in multis aliis. Arbitrandum eſt igitur, quod Panormitanus ſolum intenderit reprobare prædictam diſtinctionem in his, quæ non verſantur circa delictum. Et bene, quia in his nullus indiſtincte tenetur, niſi conſilium fuerit fraudulentum, ſive alias fuiſſet facturus, ſive non. In fraudulento conſilio puto, quod non quoad peccatum, ſed quoad reſtitutionem habeat locum iſta diſtinctio: videlicet aut alias erat facturus, & tunc in conſcientia non tenetur ad reſtitutionem; aut non erat facturus, & tunc tenetur. Idem dictum volo in his, quæ verſantur circa delictum. Nota, quod fraudulentum conſilium comprehendit dolum, & latam culpam in eo ſolum, qui ex arte vel officio non aſſerit ſe peritum, vel alias non tenetur conſulere niſi ex caritate, ut ſunt communes homines, qui requiruntur, & amore caritatis tantum conſulunt quod arbitrantur eſſe melius. Illi enim, qui locant ſe pro dandis conſiliis, ut Doctores, & hujuſmodi, vel illi, qui tenentur ex officio, rei ſunt fraudulenti conſilii dantes conſilium malum non ſolum ex dolo, & ex culpa lata, ſed quandoque etiam ex levi, & leviſſima; & ideo tenentur ad reſtitutionem juxta id, quod dictum eſt Dubio nono hujus tituli.

(138) Se-

(138) Secus ſancitum eſſe videtur Inſtitut. *de obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur* §. *Interdum* in fine – *Certe qui nullam opem ad furtum faciendum adhibuit, ſed tantum conſilium dedit, atque hortatus eſt ad furtum faciendum, non tenetur furti* –. Non ita tamen, non ita eſt; id enim intelligi debet, ſicut explicat Aſteſanus lib. 1. tit. 33. art. 5. inquiens – *Sed hoc eſt verum, niſi furtum fuerit ſubſecutum; tunc enim etiam ſecundum leges tenetur* –. Gloſſa ſuper ver. *Non tenetur* adnotat – *Cum alias eſſet facturus furtum etiam ſine conſilio hujus. Alias, ideſt ſi non erat alias facturus, tenetur uterque ff. DE FURTIS L. QUI SERVO, & DE VERBORUM SIGNIFICATIONE L. SÆPE* –: & in hoc convenit cum Authore docente, quod non teneatur conſulens, dum alias alter erat facturus. Satis tamen hoc non eſt, ut conſulens ſit a reſtitutione liber, quemadmodum animadverti annotatione 121., & annotatione 123.: quoniam propter propoſitionem ab Inno. XI. proſcriptam, quam dedi annotatione 137. proxime præcedenti, ſtatim atque verificatur, quod conſilium præſtitum movit ad furtum, & in furtum influxit, dicamus oportet conſulentem teneri ad reſtitutionem, tametſi alter alias eſſet facturus. Appoſite quapropter Antoine de juſtitia & jure part. 2. cap. 4. q. 2. reſp. 2.– Nec obſtat, quod executor jam ex ſe eſſet cauſa efficax damni, nam duæ cauſæ totales morales poſſunt concurrere ad eundem effectum, atque etiam duo motiva totalia, ita ut uno eorum deficiente effectus adhuc ex vi alterius fieret: v. g. Si Medicus eat in aliquem locum vocatus a duobus infirmis ad eos curandos, ita ut propter ſingulos ſeorſum iret, movetur quidem ab utroque, ita tamen ut altero deficiente iret: tunc ſingula motiva vere concurrunt, & tamen altero deficiente effectus fieret. Unde quoties tuum conſilium, vel auxilium vere movet, & influit, licet eo deficiente idem damnum fieret, adue vere es cauſa damni, nam vere damnum adhuc oritur ex tuo conſilio &c. Hæc ille.

Diſtinctio inter conſulentem ex officio, & non ex officio optima eſt. Optima item diſtinctio conſilii de malo perpetrando, & conſilii de re, quæ non verſatur circa delictum. His innixus ſcite ſcribit Concina lib. 2. de juſtitia & jure Differt. 2. cap. 9. §. 2. num. 21. – Conſilium ſignificat eum, qui precibus, ſuaſionibus, muneribus alterum rogat, inſtruit, perſuadet, blanditiis allicit, ut damnum inferat, quod inferre paratus non erat. Hunc, qui ſcienter, aut culpabiliter ignoranter talia conſulit, ad reſtitutionem damni ſecuti teneri docent omnes. Advertendum tamen, conſilium tunc debitum reſtitutionis inducere, cum conſulens dolo, fraude, ſeu malo animo malum committendum ſuadet; ſecus ſi innocenter, imprudenterve, vel ex animi levitate conſilium det ex quo ſequatur præter ejuſdem intentionem alteri malum. Excipitur caſus, in quo quis ex officio, tamquam miniſter ad id deſignatus, conſilium daret, ut diximus de Confeſſario, de Medico, de Judice &c. Et hoc colligitur ex cap. *Si culpa, de injuriis & damno dato,*

Digitized by Google

*to*, ubi hæc habentur — *Si culpa tua datum eſt damnum .... aut hæc imperitia tua, ſive negligentia evenerunt, jure ſuper his ſatisfacere te oportet: nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire debuiſti, ex facto tuo injuriam veroſimiliter poſſe contingere, vel jacturam* —. Spectandæ tamen circumſtantiæ ſunt. Quando conſilium eſt de malo perpetrando, tunc conſiliator, niſi evidens circumſtantia obſiſtat, reſarcire ſecuta damna tenetur: quia tum adeſſe fraudem, dolumve præſumitur —. Hactenus Concina. Fuſius tamen Gennettus de 7. Decal. præcepto cap. 6. q. 5. — Quomodo quis ad reſtitutionem teneri poteſt ex pravo conſilio alteri dato? R. Qui malitioſe dat conſilium inferens damnum aut illi, qui conſilium recipit, aut alteri, tenetur damnum reſarcire. Verum in praxi accidit, ut detur pravum aliquod conſilium bona fide, & imprudenter potius, quam malitioſe. Et in hoc caſu diſtinguendum eſt: nam ſi conſilium detur ex officio, aut circa res ad propriam conſilium dantis profeſſionem, ſeu artem pertinentes, tale conſilium dans videtur regulariter teneri reſarcire damna inde provenientia, quoties commiſit culpam latam, ſeu notabilem, vel etiam levem in dando ejuſmodi conſilio, juxta ea, quæ dicta ſunt ſupra cap. 5. q. 49., præſertim ſi mercedem, aut ſalarium ex hoc conſilio receperit a Republica, aut a privatis: quia tunc ſæpius ſe peritum in tali materia profitetur, neque illius conſilium ſequerentur alii, niſi præſuppoſitæ peritiæ confiderent. Quod ſi dans conſilium non agit ex officio, aut ex propria, quam publice profitetur, arte, tunc non videtur teneri reſarcire damna inde conſecuta, niſi malitioſe, & cum dolo conſilium dederit, juxta Juris Canonici regulam his verbis exaratam (Regula 62. de Regulis Juris in Sexto) *Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur* —. Ex qua regula concludi poteſt, quod dum conſilium datum fuit de perpetrando delicto cognito ut tali, tunc regulariter tenetur conſilium dans reſarcire damna inde ſecuta: quia ſemper adeſſe videtur fraus, & dolus in tali conſilio vel in præjudicium illius, qui conſilium recipit, vel illius, contra quem datur. Advertendum tamen cum Angelico Doctore (2. 2. q. 62. art. 7.) quod *tunc ſolum tenetur conſiliator ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt, quod ex hujuſmodi cauſa fuerit injuſta acceptio ſubſecuta* —: videlicet furtum commiſſum, aut alia quævis facta injuſtitia —. Hactenus Gennettus.

Quæres hic primo. An qui conſilio ſuo tantum movet ad damnum facilius, confidentius, aut citius inferendum, reſtituere teneatur?

Complures negative reſpondent, & ita ſentire dicunt nedum S. Thomam in 4. diſt. 15. q. 1. art. 5. ad 3. quæſtiunculam, ubi ait de conſulente — *Non obligatur ſemper ad reſtitutionem, niſi in certis caſibus, quando probabiliter credit, quod conſilium ſuum fuit efficax, & quod alias injuſta ablatio commiſſa non fuiſſet* —: ſed etiam S. Antoninum part. 2. tit. 2. cap. 1. §. 7. ubi ſcripſit — *Secundus quando conſulit, ita quod ex illo ſequitur damnum, quod alias non fuiſſet factum, talis etiam tenetur in ſolidum, etiamſi nil pervenit*

*venit*

*venit ad eum. Si autem fuiſſet factum etiam ſine illo conſilio, ſed aliquid plus factum eſt, ad illud plus tenetur* —.

Affirmativa tamen ſententia probabilior videtur Concinæ de juſtitia & jure lib. 2. Diſſert. 2. cap. 9. §. 1. q. 2., & Antoine de juſtitia & jure part. 2. cap. 4. q. 2. — Quoniam, inquit Concina, qui movet malefactorem paratiſſimum ad furandum, ad occidendum &c., ut celerius furetur, occidatve, non ſolum modi, ſeu accelerationis, ſed ipſius actionis, ſeu ſubſtantiæ pravitatis cauſa eſt: quandoquidem modus actionis ab ipſius actionis ſubſtantia ſeparabilis non eſt. Ergo qui conſulit, ſuadet, præcipit, ut Petrus citius furetur, non modo in accellerationem, ſed in ipſam ſubſtantiam actionis influit. Id autem quod mihi probabiliorem hanc reddit opinionem, eſt quod dum tu ſuades, ut Petrus hodie perpetret furtum, homicidium, quod ille poſt hebdomadam, poſt menſem, ſive etiam poſt annum & alterum diem perpetraturus erat, reipſa totius damni cauſſa es. Quoniam Petrus intra hoc ſpatium mutare pravum animum, & ad meliorem ſe ſe recipere frugem poſſet —. Hæc ille. Probabilius eſt, ſcribit Antoine, teneri ad reſtitutionem eum, qui fuit cauſa, ut damnum citius inferretur, tum ex L. 51. ff. *ad legem Aquiliam* ſub initio — *Si quis ſervo mortiferum vulnus inflixerit; eundemque alius ex intervallo ita percuſſerit, ut maturius interficeretur, quam ex priore vulnere moriturus fuerat, ſtatuendum eſt utrumque eorum lege Aquilia teneri* —: tum quia alioqui potuiſſet executor mutare voluntatem, vel impediri a damno inferendo; & ſic damnum ſine tuo conſilio, vel opera potuiſſet non extitiſſe, & forte non extitiſſet. Deinde es cauſa damni hic & nunc illati —. Ita egregie Antoine, cui lubens adhæreo.

Quæres ſecundo. An revocans conſilium eximatur ab obligatione reſtituendi damnum ex eo ſecutum?

R. Nullum dubium, ſi conſilium conſiſtebat in falſa doctrina, vel narratione, puta quia dixiſti hunc contractum eſſe licitum, qui reipſa eſt uſurarius, vel occiſorem fuiſſe Petrum, dum revera fuit Paulus; ſincere enim confitendo te erraſſe, antequam conſilium executioni mandetur, tollis omnem cauſam damni inferendi: & iccirco ſi nihilominus damnum ſequatur, ſoli alterius malitiæ imputari debet. Dubium conſurgit, dum quis conſulit malum perpetrandum, puta furtum, homicidium &c., oſtendens id eſſe conveniens, utile, vel decorum. Prima ſententia adfirmat (ſcribit Concina lib. 2. de juſt. & jure Diſſert. 2. cap. 9. §. 2. num. 23.) conſiliatorem adhuc poſt revocationem conſilii reſtitutioni damni illati ſubjectum eſſe. Hoc enim iſtius opinionis Authores diſcrimen inter mandatum & conſilium ſtatuunt: quod mandatarius in ſolius mandantis commodum malum perpetrat; qui vero conſilium petit, in gratiam ſui malum exequitur. Mandatum extrinſecum omnino eſt, nihilque in mente mandatarii imprimit quod poſt revocationem ſuperſit. At conſilium imprimit in mente illius, qui conſilium petit, doctrinam, dictamina, ſuaſiones, quæ etiam poſt revocationem ſu-

per-

perſunt veluti ſemina in anima impreſſa, & vi horum dictaminum, & ſuaſionum poſtulator conſilii operatur. Quam opinionem defendunt Bannez, Tapia, Leſſius, & alii. Altera ſententia negat in deſcripto caſu debitum eſſe reſtitutionis: & hanc defendunt Salmanticenſes, Tract. 13. cap. 1. punct. 5. §. 2. num. 17., & citant Bonacinam, Reginaldum, alioſque: & hæc mihi probabilior apparet, quando conſiliator ſincero animo, & efficaci eloquio abducere conatur conſultum a priori conſilio. Admitto diſcrimen inter mandatum & conſilium. Sed quando conſiliator contratriis, & veris rationibus diſſuadere ſtudet ſuo clienti, nihilque intentatum relinquit, ut a malo conſulto eum abducat, licet ſuperſint phyſice in mente priora dictamina, moraliter tamen deleta ſunt, & abrogata. Ex ſola quippe malitia clientis, qui conſilium accepit, dictamina illa moraliter influunt in malum ſecutum. Spectandæ tamen circumſtantiæ ſunt, nempe efficacitas revocationis, conditio accipientis conſilium, & alia plura, quæ occurrere poſſunt. Cæterum caſus rarus eſt; & ideo pluſquam ſatis dixi —. Hæc Concina. Secus tamen videtur Gennetto loco proxime laudato q. 9., & Antoine loco itidem memorato q. 7. §. 2., qui ambo tuentur, conſiliatorem teneri ad reſtitutionem non obſtante quacumque revocatione: quia adhuc cenſetur cauſa damni proximo illati, cum ſit culpabilis cauſa motionis impreſſæ, ex qua damnum oritur, & quæ revocatione non tollitur. Arbitrarer nihilominus, ſuper hac re nihil generatim eſſe conſtituendum, ſed in quocumque particulari caſu, qui non adeo infrequens eſt, ſicuti putat Concina, diligenter expendendum eſſe: an motio per conſilium impreſſa, prudenter loquendo, adhuc influat in damnum nec ne, ne quis aut eximatur a reſtitutione, dum adhuc eſt cauſa damni, aut reſtitutione gravetur, dum conſiliator quantum in ſe fuit delevit, aut ſaltem delere debuit omnem motionem per conſilium impreſſam; non enim caſus conſiliatoris remedio caret, ſtatim atque, antequam damnum inferatur, omnem omnino movet lapidem, ut eum, cui conſilium præbuit, a perpetrando malo removeat.

Queres tertio. Utrum qui parato ad inferendum malum ut c[illegible]um conſulit, ut inferat duntaxat ut quinquaginta, teneatur ad reſtitutionem?

R. Si hic conſiliator omne damnum ſuaſionibus ſuis poteſt impedire, certe tenetur conſulens minus damnum, quia in hoc minus damnum vere tunc influit, & eſt ipſius cauſa. Si autem impedire non poteſt damnum inferendum, quia alter paratus eſt ad furandum puta centum, ad nil tenetur conſulens minus damnum; utiliter enim gerit negotium Domini, & tunc proprie non conſulit damnum, ſed potius imminutionem damni, ſeu evitationem majoris, de qua re Dominus nequit eſſe rationabiliter invitus. Secus tamen dicendum eſt, ſi parato furari centum Paulo conſilium des, ut furetur quinquaginta Petro, cui alter damnum inferre non conſtituerat. Conſilio tuo in hoc caſu injuriam infers Petro, & es cauſa injuſta damni ipſi illati; quilibet enim innocens habet jus, ne inferatur ſibi damnum etiam ad

aver-

Digitized by Google

avertendum majus damnum alterius. Teneris ergo ad reſtitutionem, ſi fur ipſe non reſtituat, aut nolit reſtituere.

DECIMUMNONUM DUBIUM. Utrum proponentes aliqua in conſiliis deliberanda, quæ cedunt in damnum proximorum, teneantur?

Reſpondeo, quod ſic, ſi ſine eorum propoſitione damnum alias non fuiſſet datum.

(139) Et hic locum habere debet doctrina tradita annotatione proxime præcedenti: videlicet quod ſic proponentes teneantur ad reſtitutionem, tametſi damnum alias fuiſſet ſecutum, ſemel atque verificetur, quod eorum propoſitio influxum habuerit in damnum, & fuerit cauſa damni hic & nunc illati.

VICESIMUM DUBIUM. Utrum Conſiliarii Civitatum, qui faciunt ſtatuta iniqua, puta vel contra libertatem Eccleſiæ, vel quod uſuræ ſolvantur, vel quibus opprimuntur pauperes, juſtitia impeditur, & hujuſmodi, teneantur?

Reſpondet Durandus, quod reſtituere tenentur totum illud damnum, quod evenit propter talia ſtatuta. Et non ſolum qui ea fecerunt, ſed etiam illi, qui alios induxerunt ad prædicta facienda. Item ea condentes, ſcribentes, dictantes, exequentes, & Officiales omnes, qui contradicere poſſunt, & non contradicunt, tenentur omne damnum reſtituere, quod ex ipſorum obſervatione, ſcriptione, executione, vel permiſſione ſecutum eſt. Concordat Petrus Caſus tit. *Reſtitutio*. Nota hic, quod omnes prædicti ſunt excommunicati, ſi talia ſtatuta ſint contra libertatem Eccleſiæ cap. *Noverit*, & cap. *Gravem* Extra *de ſententia excommunicationis*, & lib. *6. de immunitate Eccleſiarum* cap. *Quoniam*. Nota inſuper, quod tunc ſtatutum dicitur contra libertatem Eccleſiæ, quando per ipſum Clerici efficiuntur timidiores, & Laici audaciores, ſecundum Bartolum in Authentica *Caſſa & irrita* C. *de ſacroſanctis Eccleſiis*: pu-

ta ſi fieret ſtatutum, quod percutiens Clericum puniatur in viginti, & in triginta percutiens Laicum: & pro hoc facit L. 1. §. *Quæ oneranda* ff. *Quando rerum actio non datur*. Innocentius dicit, quod tunc ſunt contra libertatem Eccleſiæ, quando aliquid conſtituunt contra privilegia conceſſa univerſali Eccleſiæ a Deo, vel a Papa, vel ab Imperatore; non vero ſi duntaxat eſſent contra privilegium conceſſum alicui particulari Eccleſiæ: & cum hac opinione Innocentii concordant communiter Doctores. Panormitanus vero dicit, quod conjungendæ ſunt prædictæ duæ opiniones, Bartoli ſcilicet, & Innocentii, quod bene nota.

(140) Egregie rem hanc exponit, & firmat S. Bernardinus To. 1. ſerm. 34. cap. 1. verſus finem inquiens—Quarto etiam dat quis cauſam efficacem, & hoc ſtatuto de facientibus ſtatuta gravia, & leges iniquas. Advertendum eſt, quod, ſi ſint contra jus naturale, quod in lege, & in Evangelio continetur, ipſo jure non tenent, diſt. 8. cap. *Quæ contra mores*, 32. q. 7, cap. *Flagitia*: ut de uſuris non repetendis, vel juramentis non ſervandis, *de jure jurando* cap. *Contingit*, & cap. ſeq. lib. 6., & Innocentius Extra *de immunitate Eccleſiarum* cap. *Quia plerique* in fine. Tales etiam conditores talis ſtatuti, vel legis, & eorum hæredes ſecundum Durandum teneatur ad totum id damnum, quod ſcilicet ex illis ſtatutis & legibus damnificatis contingit. Similiter omnes prædicta ſtatuta & leges ſervantes ſecundum eum tenentur reſtituere omnia illa, in quibus occaſione obſervationis earum factæ per eos, alii injuſte gravati ſunt. Idem eſt, ſi Laici talia ſtatuta condant in præjudicium Eccleſiarum Extra *de Conſtitutionibus* cap. *Quæ in Eccleſiarum*, & cap. *Eccleſia*: & obligantur in ſolidum [illegible] qui induxerunt conditorem ad talem legem confirmandam, Statutarii, & eorum hæredes, Conſiliarii, Scriptores, Judicantes, & ea ſervantes, vel exe[illegible]entes, & delere tenentur Extra *de ſententia excommunicationis* cap. *Nov[illegible]*, & cap. *Gravem*, & *de uſuris* cap. *Ex gravi* in Clementinis. Obligantur etiam Vicarii, & alii Officiales, quando ipſorum Poteſtas, & Dux aliquid injuſtum facit, niſi ipſi contradicant, aut reſiſtant, ut in L. *Quoniam* 2. C. *de appellationibus*, & Baldus hoc ibi firmat. Idem etiam eſt, ſi fiat contra jus poſitivum ad pauperes opprimendos, & juſtitiam impediendam, Extra *de immunitate Eccleſiarum* cap. *Quia nonnulli*, & cap. *Quoniam*, & ſeq. Hæc Raymundus & Hoſtienſis in Summa de condentibus leges iniquas. Item omnes condentes ſtatuta contra Eccleſiaſticam libertatem, & Scriptores eorum, & Poteſtates, Conſules, Rectores, & Conſiliarii locorum

rum, ubi talia ſtatuta, ſive conſuetudines editæ ſunt, vel obſervatæ, & qui ea fecerint obſervari, & qui judicaverint ſecundum ea, vel in publicam formam redegerint judicata, ipſo facto excommunicati ſunt Extra *de ſententia excommunicationis* cap. *Noverit*, & cap. *Gravem*, Satis ad hoc faciunt, quæ dicuntur infra ſerm. 35. art. 2. cap. 2. §. 3. & 4. Contra autem hujuſmodi leges condentes Iſaias 10. v. 1. & 2. proclamat dicens — *Væ qui condunt leges iniquas: & ſcribentes injuſtitiam ſcripſerunt: ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei: ut eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent* —, & cætera mira —. Hactenus S. Bernardinus.

Ad cognoſcendum quæ leges juſtæ ſint, quæve injuſtæ, plurimum confert doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 96. art. 4. *in corpore* —. Dicendum, quod leges poſitæ humanitus, vel ſunt juſtæ, vel injuſtæ. Si quidem juſtæ ſint, habent vim obligandi in foro conſcientiæ a lege æterna, a qua derivantur, ſecundum illud Proverb. 8. — *Per me Reges regnant, & legum conditores juſta decernunt* —. Dicuntur autem leges juſtæ, & ex fine, quando ſcilicet ordinantur ad bonum commune; & ex actore, quando ſcilicet lex lata non excedit poteſtatem ferentis: & ex forma, quando ſcilicet ſecundum æqualitatem proportionis imponuntur ſubditis onera in ordine ad bonum commune. Cum enim unus homo ſit pars multitudinis, quilibet homo hoc ipſum quod eſt, & quod habet, eſt multitudinis: ſicut & quælibet pars id quod eſt, eſt totius. Unde ex natura aliquod detrimentum infert parti, ut ſalvet totum. Et ſecundum hoc leges hujuſmodi onera proportionaliter inferentes juſtæ ſunt, & obligant in foro conſcientiæ, & ſunt leges legales. Injuſtæ autem ſunt leges dupliciter. Uno modo per contrarietatem ad bonum humanum econtrario prædictis. Vel ex fine, ſicut cum aliquis Præſidens leges imponit onerofas ſubditis, non pertinentes ad utilitatem communem, ſed magis ad propriam cupiditatem, vel gloriam. Vel etiam ex actore, ſicut cum aliquis legem fert ultra ſibi commiſſam poteſtatem. Vel etiam ex forma, puta cum inæqualiter onera multitudini diſpenſantur, etiamſi ordinentur ad bonum commune. Et hujuſmodi magis ſunt violentiæ, quam leges: quia, ſicut Auguſtinus dicit in libro de libero arbitrio (lib. 1. cap. 1.) lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit; unde tales leges non obligant in foro conſcientiæ, niſi forte propter vitandum ſcandalum, vel turbationem, propter quod etiam homo juri ſuo debet cedere ſecundum illud Matthæi 5. v. 40. & ſeq. — *Qui angariaverit te mille paſſus, vade cum eo alia duo: & qui abſtulerit tibi tunicam, da ei & pallium* —. Alio modo leges poſſunt eſſe injuſtæ per contrarietatem ab bonum divinum, ſicut leges Tyrannorum inducentes ad idolatriam, vel ad quodcumque aliud, quod ſit contra legem divinam: & tales leges nullo modo licet obſervare, quia ſicut dicitur Actorum 5. v. 29. — *Obedire oportet Deo magis quam hominibus* —. Hactenus S. Thomas.

Æquum nunc eſt, ut nonnullas proferam ex iis legibus, quas indicarunt S. Bernardinus, & Author —. *Sane pervenit ad audientiam noſtram, quod cives Terviſini conſtituerunt, ut ſi quis ſe ad inopiam vergere probabiliter allegaverit, alienandi feudum, quod ab Eccleſia, vel aliis tenet, liberam habeat facultatem. Volentes igitur Eccleſiarum indemnitati conſulere, Conſtitutionem hujuſmodi, & venditiones feudorum Eccleſiaſticorum factas ſine legitimo Eccleſiaſticarum perſonarum aſſenſu, vires decernimus non habere* —. Inno. III. Extra *de Conſtitutionibus* cap. *Quæ in Eccleſiarum*.

*Nos attendentes quod laicis etiam religioſis ſuper Eccleſiis, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas: quos obſequendi manet neceſſitas, non auctoritas imperandi: a quibus ſi quid motu proprio ſtatutum fuerit, quod Eccleſiarum etiam reſpiciat commodum, & favorem, nullius firmitatis exiſtit, niſi ab Eccleſia fuerit approbatum. Unde ſtatutum Baſilii de non alienandis prædiis ruſticis, vel urbanis miniſteriis, & ornamentis Eccleſiarum, illa reprobatum fuit potiſſima ratione, quod auctoritate non fuit Romani Pontificis roboratum. Quod a Senatore factum fuerat in præjudicium Monaſterii non conventi, nec confeſſi, vel convicti, in irritum revocantes, eaſdem poſſeſſiones reſtituendas ſibi ſententialiter definimus* —. Idem Inno. III. Extra eod. tit. cap. *Eccleſia Sanctæ Mariæ*.

*Excommunicamus omnes hæreticos utriuſque ſexus, quocumque nomine cenſeantur, & fautores, & receptatores, & defenſores eorum, nec non & qui de cætero ſervari fecerint ſtatuta edita, & conſuetudines introductas contra Eccleſiæ libertatem, niſi ea de capitularibus ſuis intra duos menſes poſt hujuſmodi publicationem ſententiæ fecerint amoveri. Item excommunicamus Statutarios, & Scriptores Statutorum ipſorum, necnon Poteſtates, Conſules, Rectores, & Conſiliarios locorum, ubi de cætero hujuſmodi ſtatuta, & conſuetudines editæ fuerint, vel ſervatæ, necnon & illos, qui ſecundum ea præſumpſerint judicare, vel in publicam formam ſcribere judicata* —. Honorius III. Extra *de ſententia excommunicationis* cap. *Noverit*.

*Gravem venerabilis Fratris noſtri Piſani Archiepiſcopi recepimus quæſtionem, quod quidam cives Piſani deputati a Poteſtate, & populo ad ſtatuta Civitatis edenda, in derogationem Apoſtolicæ Sedis, & ſubverſionem Eccleſiaſticæ libertatis edere præſumpſerunt, quod ſi quis Clericus, vel Laicus contra quemcumque Laicum Piſani diſtrictus ad Judicem Eccleſiaſticum literas Apoſtolicas impetraverit, in mille ſolidis, niſi renunciaverit literis, condemnetur: nec reditus poſſeſſionum ſuarum reddantur eidem, vel agri excolantur illius, ſed banno potius ſubjaceant poteſtatis. Statuerunt illi præterea, ut Clerici ſuis ſumptibus caſtrum Ripæ fractæ faciant cuſtodiri: quod ſi renuerint, contra eos Poteſtas procedere teneatur. Ideoque fraternitati tuæ mandamus, quatenus in Conſiliarios, & Officiales Civitatis ipſius, niſi ſtatuta ipſa de Capitularibus ſuis delere fecerint, & idonee, ſicut exigit res, caverit, quod de cætero ſimilia non debeant attentare, excommunicationis ſententiam promulgare*

*gare procures. Cæterum cum iidem Statutarii multa de bonis Eccleſiaſticis tenere dicantur in feudum, ipſos fore nihilominus privatos feudis hujuſmodi nunciare procures* —. Item Honorius III. Extra eod. tit. cap. *Gravem*.

*Quia nonnulli habentes temporale dominium, vel Poteſtatis gerentes officium ſecularis, libertatem, & immunitatem Eccleſiaſticam lædere, ac minuere tamquam honoris & privilegii Eccleſiarum invidi moliuntur: expedit, quod per diligentiam, & auctoritatem Sedis Apoſtolicæ, quæ curam habet Eccleſiarum omnium, & tutelam, contra talium auſus, & conamina opportunum remedium apponatur, ut Eccleſiæ ipſæ in plenitudine juris ſui, & libertatis integritate lætentur, ac deteſtabilis malignorum audacia, & inſolentium nefaria temeritas propulſetur. Sane intelleximus, quod in Regno Franciæ, Communiæ, Scabini, ſeu Conſules, & alii Domini temporales, & ii, qui juriſdictionem in ipſis Communiis, Civitatibus, Caſtris, & Villis temporalem exercent, vel quibus in illis commiſſa eſt executio juſtitiæ ſecularis, moleſti ſunt nimium Eccleſiis ſuper pluribus, & infeſti: & inter cætera nituntur, & ſtudent, ut illis collectas, tallias, & alia hujuſmodi eædem Eccleſiæ prætextu bonorum, quæ acquiſiverunt, tribuant, & perſolvant, vel extra manum ſuam ponant hujuſmodi acquiſita. Volentes itaque ſuper his omnibus, prout expedit, ſolicite providere, totque temerariis auſibus congruis præſidiis obviare, auctoritate Apoſtolica, præhabita cum Fratribus noſtris diligenti deliberatione, decernimus non licere præfatis Communiis, Scabinis, & iis, qui in eis juriſdictionem temporalem obtinent, vel juſtitiam temporalem exercent, tallias, vel collectas, ſeu exactiones quaſcumque Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis imponere, vel exigere ab iiſdem pro domibus, prædiis, vel quibuſcumque poſſeſſionibus ab eiſdem Eccleſiis, vel perſonis Eccleſiaſticis legitime hactenus acquiſitis, vel in poſterum acquirendis, etiamſi ipſæ Eccleſiæ, vel perſonæ, vel res hujuſmodi ſint intra illorum diſtrictum, vel territorium conſtitutæ. Nec etiam liceat illis ipſas Eccleſias, vel perſonas ad diſtrahendum, vel alienandum, aut extra manum ſuam ponendum acquiſita jam, vel quæ deinceps acquirent, aliquatenus coarctare*. Alex. III. *de immunitate Eccleſiarum* cap. *Quia nonnulli* in Sexto.

*Quoniam, ut intelleximus, quorumdam Juſtitiariorum, Ballivorum, Judicumve ſecularium, ac temporalium Dominorum in quibuſdam partibus præſumptuoſa temeritas ſic excrevit, ut in terris eorum, ſive diſtrictibus literas Apoſtolicas impetrantes, vel ad Judices ordinarios Eccleſiaſticos recurrentes, ſuper cauſis, negotiis, ſeu quæſtionibus, quæ ratione perſonarum, aut rerum de jure, aut antiqua conſuetudine ad forum Eccleſiaſticum pertinent, obtinere non poſſunt in eis per eoſdem ordinarios Judices, vel Apoſtolicas litteras juſtitiæ complementum, quin potius ſuper illis recurrere ad judicium ſeculare, vel a lite, cauſa, ſeu quæſtione deſiſtere compelluntur. Nos juſtitiam noſtram, & Eccleſiæ ſponſæ noſtræ nolentes negligere, qui alios in ſua juſtitia confovemus: ſtatuimus diſtrictius inhibendo, ne quis impetratores literarum noſtrarum, vel alios in foro Eccleſiaſtico delegato, ſeu ordinario litigantes, ſeu li-*

*tigare*

*tigare volentes, ſive ambæ partes hoc voluerint, ſive una, ſuper cauſis Eccleſiaſticis, ſive quæ ad forum Eccleſiaſticum ratione perſonarum, negotiorum, vel rerum, de jure, vel antiqua conſuetudine pertinere noſcuntur, per ſe, vel per alium ad deſiſtendum, vel in foro ſeculari de quæſtionibus hujuſmodi litigandum per eorundem Judicum Eccleſiaſticorum, vel impetrantium, aut litigantium, ſeu volentium litigare, aut propinquorum ipſorum, ſeu rerum illorum, aut Eccleſiarum ſuarum etiam captionem, modiſve aliis quibuſcumque compellat, ſeu compelli faciat, vel procuret: nec per ſe, alioſve impediat, quominus coram Judicibus Eccleſiaſticis, delegatis, ſeu ordinariis querelantes de cauſis, quæ, ut præmiſſum eſt, ad cognitionem pertinent eorundem, poſſint libere juſtitiam obtinere: nec ad prædicta facienda det auxilium, conſilium, vel favorem. Si quis vero contra præſumpſerit, excommunicationi ſe ipſo facto noverit ſubjacere: a qua (niſi tam Judici, cujus cognitio fuerit impedita, vel jurisdictio uſurpata, quam parti, quæ turbata in proſecutione fuerit ſui juris, de injuria, damnis, expenſis, & intereſſe prius per eundem integre fuerit ſatisfactum) nullatenus abſolvatur* —. Bonifacius VIII. in Sexto eod. tit. cap. *Quoniam*.

*Eos, qui temporale dominium obtinentes, ſuis ſubditis, ne Prælatis, aut Clericis, ſeu perſonis Eccleſiaſticis quicquam vendant, aut emant aliquid ab eiſdem, neque ipſis bladum molant, coquant panem, aut alia obſequia exhibere præſumant, aliquando interdicunt (cum talia in derogationem libertatis Eccleſiaſticæ præſumantur) eo ipſo excommunicationis ſententiæ decernimus ſubjacere* —. Idem Bonif. VIII. ibid. cap. ſeq.

*Quoniam Judices ordinarii provocationes exiſtimant reſpuendas: placet, ut ſi quis appellationem ſuſcipere recuſaverit, quæ non contra executionem, ſed adverſus ſententiam intentionem jurgiumque terminantem fuerit interpoſita, triginta auri pondo cogatur largitionibus noſtris inferre, triginta alia officio ejus itidem ſoluturo, niſi ei pertinaciter reſtiterit, atque actis contradixerit, & quid jure ſit conſtitutum oſtenderit* —. Imperatores Conſtantinus, & Conſtans L. *Quoniam* C. *de appellationibus*. Gloſſa legem hanc exponit ſcribens — *Judex etſi ordinarius, ſi appellationem non admiſerit, triginta pondo auri multabitur: & eadem mulcta afficiendus erit ejus Officialis, ſi ei appellantem non admittenti non reſiſtat* —: & ſuper ver. *Reſtiterit*, de quo in lege, ita adnotat — *Scilicet Officialis, etiamſi jus ignoraverit; quia & Judicis, & Officii imperitia partibus obeſſe non debet* —.

Vicesimumprimum Dubium. Utrum conſentiens rapinæ, furto, & damno faciendo proximo, teneatur?

Reſpondet Ricardus in 4. diſt. 15., quod ſic, & in ſolidum, ſi conſenſit conſenſu expreſſo, ſine quo damnificatio

catio non fuiſſet ſecuta 2. q. 1. cap. *Notum ſit*; ibi enim dicitur, quod facientem & conſentientem par pœna conſtringit & 83. diſt. cap. *Si quis*, & 3. q. 4. cap. *Conſanguineorum*.

(141) En caput *Si quis* ab Authore laudatum, quod eſt Gregorii VII. — *Si quis Epiſcopus fornicationi Præsbyterorum, Diaconorum, Subdiaconorum, vel crimini inceſtus in ſua Parochia, pretio interveniente, vel precibus, conſenſerit, vel commiſſum, ſibique compertum, auctoritate officii ſui non impugnaverit, ab officio ſuſpendatur* —. Eundem caſum exponit S. Bernardinus To. 1. ſerm. 34. cap. 7. inquiens — *Secundo conſentiendo, quod intelligi debet, quando ſine tali conſenſu talis damnificatio ſubſecuta non eſſet. Ad hoc enim 2. q. 1. cap. NOTUM SIT in fine, ubi ſcriptum eſt, quod facientem & conſentientem par pœna conſtringit. Quod ſcriptum eſt ex ſententia Pauli cap. 1. ad Rom., ubi dicitur, non ſolum eos, qui talia agunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Quod tamen intelligitur de conſenſu, de quo loquuntur humanæ leges, ubi cooperationis affectus in opere demonſtratur ſecundum Innocentium, & Hoſtienſem* —. Brevibus S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 7. — *Secundo, conſenſus in eo, ſine quo rapina fieri non poteſt* —. Ut interim ſcias, quando conſenſus in damnum influit, eidemque cooperatur, juvat exſcribere quod ſuper hac re conſtituit Petrus Colletus Inſtitut. Theolog. de juſtitia cap. 3. art. 3. ſect. 4. punct. 2. — R. tunc cenſeri cauſam, cum conſentiens ex officio tenetur non conſentire, & damnum impedire poteſt. Unde ad reſtituendum obligantur I. Conſiliarii Regis, vel alii, qui bello iniquo, quod impedire poſſent, vel condemnationi iniquæ ſuffragantur. II. Qui in Collegio, Capitulo &c. conſentiunt, ut vel indignus eligatur, vel rejiciatur dignus. III. Qui præ hominum metu ſuffragari omittunt in Senatu, itaut non avertant damnum, quod avertere poſſunt, & ex officio avertere tenentur. Sed hic oritur difficultas, an Senator v. g., qui inter poſtremos ſuffragium ferens, conſentit injuriæ, quæ jam irrevocabiliter decreta eſt ſufficienti ſuffragantium numero, teneatur ad reſtituendum; quod enim peccet, nullus dubitat, quia iniquitati conſentit. Certum eſt eum teneri de damno I. Si ſuffragium dederit, antequam damnum ſufficienti votorum numero decretum eſſet, quamvis non obſtante ejus ſuffragio damnum ſufficienter ab aliis ſtatuendum fuiſſet. Ratio eſt, quia etiamſi ſufficiens damni cauſa ſine illo ponenda fuiſſet, ipſe tamen reipſa in damnum influxit. II. Adhuc tenebitur, ſi neſciat ſufficientem eſſe ſuffragatorum numerum, ut ſi ſecreto ferantur ſuffragia: tum quia hic militat ratio præcedens: tum quia tunc fuit, quantum de ſe erat, damni cauſa. III. Quamvis non dederit ſuffragium, niſi poſtquam malum jam ſufficienter decretum erat, adhuc tenebitur, ſi tantæ erat auctoritatis, ut priores ſuffragatores a ſua poſſet ſententia revocare;

care; tunc enim tenetur non ſolum, ut mutus, ſed ut poſitive concurrens ad damnum, quod ex hypotheſi non erat irrevocabiliter decretum. Tota igitur quæſtio eſt de caſu, in quo præceſſerit ſufficiens ſuffragatorum numerus, qui a ſententia ſua deterreri non poſſint. Et tunc credimus Senatorem hunc teneri ad reſtitutionem. I. quia promtius, & alacrius ſententia iniqua executioni mandatur, cum omnes in eam conſentiunt. II. quia illi omnes ad reſtitutionem tenentur, quorum nomine damnum infertur. Atqui damnum poſteriorum etiam ſuffragatorum nomine infertur; omnes enim damni inferendi facultatem conferunt, omnes iniquam, quæ damni cauſa eſt, ſententiam formant, & conſtituunt —. Hactenus ille.

Poſtremam hanc Colleti ſententiam inter alios non probat Daniel Concina, qui lib. 2. de juſtitia & jure Differt. 2. cap. 9. §. 2. num. 27., propoſito eodem caſu, ita reſpondet — Si vero ſuffragium unius, vel alterius non ſit neceſſarium, & jam ſuffragia neceſſaria ad ſententiam, ad electionem præceſſerint: tum nullum eſt reſtitutionis debitum, quia ſuffragium nullo modo influit in effectum, cum cauſa efficax ejuſdem jam præceſſerit: non tamen liberatur a culpa qui malum approbat, proprium ſuffragium conferendo —. Quæ ex hiſce duabus opinionibus alteri ſit præferenda, judicent æqui rerum æſtimatores. Tutior certe prima ſententia eſt; ſed ſecunda videtur rationabilior.

Proſequitur Concina ſcribens — Quid, ſi hic prior ſuffragium ferat, licet prævideat cæteros laturos ſuffragium in electionem indigni, aut ſententiam injuſtam? Teneri hunc ad reſtitutionem communiter Authores docent: quia cum hic prior influxum habuerit in actionem injuſtam, prius iſte quam ceteri reſtitutioni obnoxius eſt. Quid, ſi ſuffragium publice ferendum ſit, prævideatque qui ferre poſterius ſuffragium debet, ceteros, qui ſuffragium jam dederunt, mutaturos animum, videntes iſtius oppoſitum votum? Reſtitutioni certo aſtringitur, ſi ferre ſuffragium negligat; quia in hoc caſu iſtius ſuffragium conſpirat ad malum inducendum, cum eo denegato malum non fieret. In dubio autem non eſt præſumendum, alios non mutaturos conſilium, dum ſanum iſtius conſilium audirent: quia in dubiis præſumi crimen non debet. Quid, ſi dubites, an ſuffragium tuum fuerit ex prioribus neceſſariis ad ponendam actionem injuſtam? Te teneri ad reſtitutionem probabilius aſſerunt. Quia quando certe de malo conſtat, debitum reſtitutionis certum eſt. Porro cum dubium occurrit, num ſuffragium tuum fuerit ex prioribus neceſſariis ad electionem, ſeu ſententiam, idem dubium de aliis oriri poteſt. Ergo ſi tu ratione dubii immunis a reſtitutione eſſes, eadem ratione liberi ceteri forent; & ſic nemo ad reſtitutionem mali ſecuti teneretur, quod falſum eſſe omnes admittunt — Hactenus ille.

Vicesimumsecundum Dubium. Utrum ille, qui audiens ſuo

ſuo nomine damnum alteri factum conſentit in ipſum, illudque ratum habet, teneatur?

Reſpondet Monaldus tit. *Reſtitutio ſexto*, quod ſic, & in ſolidum, 11. q. 3. cap. *Qui conſentit*, & duobus ſequentibus, & Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* cap. *Cum ad ſedem*: quia ſecundum Scotum talis eſt conſenſus interpretativus. Monaldus credit hoc eſſe verum, ſi pro tali ratihabitione damnificati impediuntur a recuperatione damnorum, quæ paſſi ſunt. Et ego puto, quod in conſcientia etiam teneatur, quando alii non dediſſent damnum, ſi arbitrati non eſſent ipſum fuiſſe ratihabiturum, & reipſa ratum habuit, cum audivit datum. Secus non.

(142) Eadem ſcripſerat S. Bernardinus loco proxime citato — *Idem quoque dicendum eſt, ſi aliquod damnum illatum ſit nomine tuo, & tu hoc ſentiens habes ratum, in ſolidum obligaris ſecundum Raymundum, 11. q. 3. cap. QUI CONSENTIT, & duobus capitibus ſequentibus, & Extra DE RESTITUTIONE SPOLIATORUM cap. CUM AD SEDEM in fine: quia ſecundum Scotum talis dictus eſt conſenſus interpretativus* —. En caput *Qui conſentit* — *Qui conſentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum, & homines, & corripietur increpatione ſeveriſſima. Hinc etiam quidam Sanctiſſimus Pater ait: Si quis peccantem defendit, acrius, quam ille, qui peccavit coerceatur. Hinc & alius Pater ait: ſi quis alterius errori conſenſerit, & illi conſilium dederit, ut ſe tardius humiliet, ſciat ſe cum illo ſimili modo judicandum culpabilem* —.

VICESIMUMTERTIUM DUBIUM. Utrum exiſtens in Conſilio, in quo aliquid injuſtum faciendum proponitur, & non contradicens, ſed tacens, teneatur?

Reſpondeo, quod ſic, quando damnum non fuiſſet datum, ſi contradixiſſet. Si autem adhuc fuiſſet ſecutum, quamvis mortaliter peccet non contradicendo, tamen non tenetur tunc ad reſtitutionem.

(143) Fuſe, & egregie S. Bernardinus loco itidem laudato, ſcilicet To. 1. ſerm. 34. cap. 7. — Primo quidem tacendo: verbi gratia quidam videt proximum damnificari injuſte, & credit, quod ſolo verbo ſine periculo ſuo

auxilium præſtare poſſet injuriam patienti, & tacet: talis quidem homo ſatisſacere damnum obligatur, ſi tali modo obſtare, & obviare ex officio tenebatur. Unde Proverb. 24. v. 11. — *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & eos, qui trahuntur ad interitum, liberare ne ceſſes* —. Si autem talis ex officio non tenetur, licet mortaliter peccet non obviando malis, ſicut dictum eſt, non tamen reſtituere obligatur. Ad clarius veritatem percipiendam ponatur in practica caſus. In quadam Civitate tractatur de imponendo vectigalia Clericis, ſeu aliquid conſimile contra Eccleſiaſticam libertatem. Proponitur hoc in conſilio deliberandum: quibuſdam diſplicet hoc tamquam injuſte factum, & licet non conſentiant, non tamen audent contradicere maniſeſte, ſed tacent. Quid ergo juris? Dicendum, quod ſi non timent periculum vitæ, vel ſtatus ſui, aut alias incurrere aliquod grande malum, publice contradicere obligantur. Quod ſi ſecerint, licet eorum contradictio nullum ſortiatur effectum, ſed collecta Clericis imponatur: tunc non tenentur reſtituere, nec etiam peccant. Non tamen propter levem timorem excuſabiles fiunt, ſed tunc quando magnum periculum imminet, & poteſt gravare multos. Si vero homo ex puſillanimitate non audet publice obviare, nec cæteri cives Civitati, aut Statui eum reputent infidelem, ſi tali injuſtitiæ non conſentit, licet mortaliter peccet, non tamen ſecundum quoſdam ſatisſacere obligatur. Alii vero, & probabilius dicunt, hoc verum non eſſe in his, qui prohibere poſſunt, & non prohibent. Neque in his, quibus ex hoc provenit commodum ſingulare, ſeu burſale, quia tunc efficaciter conſentire videntur — Hactenus S. Bernardinus.

Vicesimumquartum Dubium. Utrum palpo, vel adulator, qui laudat, ſtrenuum appellat rapientem, vel alio modo injuſte inferentem damnum proximo, eique ſe ſe familiarem exhibet, teneatur?

Reſpondet Ricardus, ubi ſupra, quod ſic, & in ſolidum, ſi probabiliter credit, quod ex ſimili laudatione moti ſint alii ad damnum inferendum: quia talis adulatio eſt veluti quidam conſenſus 93. diſt. cap. *Si inimicus eſt*, & ff. *de ſervo corrupto* L. 1. §. *Perſuadere*. Scribit tamen Monaldus, tit. *Reſtitutio quinto*, quod adulator generalis, ſeu generice laudans, non tenetur ad reſtitutionem. Hoc verum credo, cum ex hoc non ſequitur aliqua damnificatio. Quod ſi ſequatur, haud dubie tenetur, ut dixit Ricardus indiſtincte.

(144) Ac-

(144) Accipe leges ab Authore laudatas -- *Si vero quis amicus fuerit his, quibus ipſe amicus non eſt, & locutus fuerit his, quibus ipſe non loquitur, unus eſt & ipſe ex illis, qui exterminare Dei Eccleſiam volunt, & cum corpore vobiſcum eſſe videatur, mente & animo contra vos eſt. Et eſt multo nequior hoſtis hic, quam illi, qui foris ſunt, & evidenter inimici ſunt. Hic enim per amicitiarum ſpeciem, quæ ſunt inimica, gerit, & Eccleſiam diſpergit, ac vaſtat* -- 93. diſt. cap. *Si inimicus* circa medium. Ut id intelligas profero quod notat Gloſſa caput hoc exponens -- *Petrus Apoſtolus cum inſtituit ſibi Clementem ſucceſſorem* (Hic Clemens, Petro vita functo, modeſtia uſus juri ſuo ceſſit, & Linus Pontifex Romanus tunc fuit electus) *docuit populos, & omnes ſubjectos, ut nulli communicarent, cui viderent Clementem pro ſuis actibus non communicare: ſed recederent ab eo ſine aliqua communione, quamvis eis a Clemente non dicatur: ad hoc ut ille peccator erubeſcat, & citius ad obedientiam revertatur, & petat reconciliari. Si quis vero contra fecerit, hoſtis eſt Eccleſiæ, & eſt nequior hoſtis, quam illi qui ſunt foris* --.

*Perſuadere autem eſt plus quam compelli, atque cogi ſibi parere* -- ff. *de ſervo corrupto* L. 1. §. 3.

De impiis hiſce palporibus, ſeu aſſentatoribus loquuntur S. Bernardinus loco proxime citato, S. Antoninus part. 2. tit. 2. cap. 1. §. 7., aliique tum Veteres, tum Recentiores, & omnes conſtituunt, eoſdem teneri ad reſtitutionem. Ne pigeat audire Gennettum de 7. Decal. præcepto cap. 6. q. 11. -- Cum poſſit quis laudibus, adulatione, vel plauſibus cooperari damno illató proximo, manifeſtum eſt, quod poteſt etiam teneri ad reſtitutionem; ut enim advertit S. Gregorius Papa (46. diſt. cap. 2.) *Sunt nonnulli, qui dum malefacta hominum laudibus efferunt, augent quæ increpare debuerunt. Hinc enim per Prophetam dicitur* (Ezech. 13. v. 18.) *VÆ QUI CONSUUNT PULVILLOS SUB OMNI CUBITO MANUS, ET FACIUNT CERVICALIA SUB CAPITE UNIVERSÆ ÆTATIS. Ad hoc quippe pulvillus ponitur, ut mollius quieſcatur. Quiſquis ergo male agentibus adulatur, pulvillum ſub capite, vel cubito jacentis ponit, ut qui corripi ex culpa debuerit, in ea fultus laudibus molliter quieſcat. Hinc rurſum ſcriptum eſt* (Ezech. 13. v. 10.) *IPSE ÆDIFICABAT PARIETEM, ILLI AUTEM LINIEBANT EUM. Parietis quippe nomine peccati duritia deſignatur. Ædificare ergo parietem eſt contra ſe quempiam obſtacula peccati conſtruere. Sed parietem liniunt, qui peccata perpetrantibus adulantur, ut quod illi perverſe agentes ædificant, ipſi adulantes quaſi nitidum reddant* --. Et ita qui laudando malefactorem, vel approbando crimen commiſſum, incitant eum tacite, aut alios ad committendum ſimile delictum, tenentur reſtituere damna ex tali delicto conſequentia. Idem dicendum de illis, qui alium irridentes, aut acriter illi ignaviam exprobrantes, ipſum inducunt, & incitant ad vindictam de inimico ſumendam, illum occidendo, vel vulnerando, vel etiam

damnum aliquod ſive in honore, ſive in bonis illi inferendo. Illi etiam, qui augent indignationem alicujus in alterum, contemnendo adverſarium, aut exaggerando injuriam acceptam, ex quo quis inducitur ad contumeliam proximo irrogandam, aut aliud damnum inferendum. Illi, inquam, incentores malorum tenentur reſarcire damnum illatum, niſi qui revera intulit reſarciat: quoties apparet dictis laudibus, adulationibus, vel exprobrationibus inductum, & incitatum revera fuiſſe hominem directe, vel indirecte ad actionem aliquam injuſtam, & proximo damnoſam – Hactenus Gennettus. Ratio eſt: quia palpo eſt cauſa moralis damni; ſe habet enim inſtar conſulentis, proponendo laudem, vel ignominiæ vitationem ex facinore ſecuturam. Nec eſt, quod opponat, ſe hoc malo animo non peregiſſe, nec vindictam, aut homicidium intendiſſe. Quoniam ſat eſt, exteriorem ſermonem ſuum concitaſſe, atque induxiſſe audientes illum ad malum exequendum: ſat eſt, ipſum prævidere debuiſſe, quod ex iniqua ſua agendi ratione damnum potuiſſet ſequi. Addo cum Colleto loco ſupra laudato: quod ſi adulator hominem laudet de injuſtitia jam commiſſa, non tenebitur ad reſtitutionem: quia damni cauſa non fuit, niſi forte alter hiſce laudibus ad aliud furtum, aut ad non reſtituendum id, quod jam furatus eſt, impellatur. Veriſſima quippe eſt doctrina S. Thomæ 2. 2. q. 62. art. 7. – *Tunc ſolum tenetur conſiliator, aut palpo, ideſt adulator, ad reſtitutionem, quando probabiliter æſtimari poteſt, quod ex hujuſmodi cauſis fuerit injuſta acceptio ſubſecuta* – .

Vicesimumquintum Dubium. Utrum illi, ad quos damnum inferentes recurrunt, teneantur in ſolidum?

Reſpondeo ſecundum Ricardum ubi ſupra, quod ſic, quando ad eos recurrunt tamquam ad præſtantes patrocinium 11. q. 3. cap. *Qui conſentit*.

(145) Author tum hic, tum in Angelica ver. *Furtum* num. 22. & 1[illegible] q. diſtinguit recurſum a receptatione, hancque dividit in receptationem furu[illegible], & in receptationem rei furatæ, atque tribus Dubiis rem totam abſolvi[illegible]. Hæc omnia brevibus complectitur S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 12. inquiens – *Vel recurſu, ſi receptione furum, vel rei furatæ eſt facta rapina, vel alia damnificatio injuſta, ita quod alias non fuiſſet facta: vel etiam poſtquam eſt facta rapina, vel furtum, quando ex receptione furis, vel rei furatæ impeditur non ſolum punitio, ſed etiam reſtitutio rei ablatæ ſecundum Petrum de Palude: vel cum damnificans habet recurſum ad aliquem ſicut ad præſtantem patrocinium ad nocumentum* – . Adverſus eos, qui eo animo ad ſe confugientes recipiunt, ſingulare eſt caput *Qui conſentit* ab Authore laudatum, quod jam protuli Annotatione 142., quodque iterum ex parte proferre

ferre juvat — *Qui conſentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum, & homines, & corripietur increpatione ſeveriſſima. Hinc etiam quidam ſanctiſſimus Pater ait: Si quis peccantem defendit, acrius, quam ille, qui peccavit, coerceatur* —. Confert pariter quod ſcriptum eſt ex Auguſtino 14. q. 6. cap. *Si res aliena* §. 3. — *Illud vero fidentiſſime dixerim, eum, qui pro homine ad hoc intervenit, ne male ablata reſtituat, & qui ad ſe confugientem (quantum honeſte poteſt) ad reſtituendum non compellit, ſocium eſſe fraudis, & criminis. Nam miſericordius opem noſtram talibus ſubtrahimus, quam impendimus. Non enim opem fert, qui ad peccandum adjuvat, ac non potius ſubvertit, atque opprimit* —. Signate dicit Author — *ad eos recurrunt tamquam ad præſtantes patrocinium* —; quoniam ſecus veriſſimum eſt, quod docet Colletus loco proxime laudato — Hinc etiam colligitur eos, qui malefactorem hoſpitio reciperent titulo amicitiæ, conſanguinitatis, patriæ &c., aut etiam qui eundem a Magiſtratu, vel lictoribus quæſitum abſconderent, aut fugiendi vias indicarent, non eſſe vere, & formaliter receptantes; tunc enim exercent actum caritatis, ob quem reprehendi non poſſunt. Quod ſi fur, quem Juſtitiæ Miniſtris ſubtraxiſti, denuo ad latrocinia revertatur, non teneberis ad reſtituendum: quia relapſus ille nonniſi per accidens ex opere miſericordiæ ſecutus eſt. Si tamen cognoſceres furem ex benigna tua in ipſum agendi ratione occaſionem arrepturum in nova prouendi crimina, tenereris de damno, ut qui malefactis ejus concurreres — Hæc ille.

Vicesimumsextum Dubium. Utrum receptatores furum, raptorum, & hujuſmodi, itemque illi omnes, qui eos adjuvant, & defendunt, teneantur?

Reſpondeo ſecundum Innocentium, & Hoſtienſem in cap. *Sicut dignum* Extra *de homicidio*, quod ſic, & quidem de omni damno: quia eorum receptatione, aut defenſione factum eſt, quod ſine ipſis non fuiſſet factum.

(146) Agit hic Author de receptatoribus furum, quos reſpicit, & improbat tum prima, tum ſecunda lex ff. *de receptationibus*. Eas ambas accipe —. *Peſſimum genus eſt receptatorum, ſine quibus nemo latere diu poteſt. Et præcipitur, ut perinde puniantur, atque latrones, in pari cauſa habendi ſunt; quia, cum apprehendere latrones poſſent, pecunia accepta, vel ſubreptorum parte, demiſerunt* — Ita L. 1. — *Eos, apud quos adfinis, vel cognatus latro conſervatus eſt, neque abſolvendos, neque ſevere admodum puniendos: non enim par eſt eorum delictum, & eorum, qui nihil ad ſe pertinentes latrones recipiunt* — Ita lex 2. Receptatorum nomine non veniunt ii ſolum,

ſolum, quos vulgus exiſtimat: quoniam verum eſt quod ſcribit idem Colletus ibidem – Hinc colliges inter receptantes merito numerari I. Advocatos, qui partis ſuæ injuſtitiam contra propriæ conſcientiæ dictamen tuendo cauſa ſunt, quod parti læſæ non ſatisfiat. II. Legionum Præfectos, qui milites protegunt, eoſque ad varias extorſiones implicite ſtimulant. Magnates item, qui cum Officiarios potentiæ ſuæ innixos plures committere injuſtitias vident, non tamen obſiſtunt, ſicque cauſa ſunt, cur malum eo liberius fiat, quo magis impune – Hæc ille. Adde eos etiam, quos præter Advocatos jam comprehenſos recenſet Concina lib. 2. de juſtitia & jure Diſſert. 2. cap. 9. §. 2. num. 29. ; recitata prius S. Auguſtini auctoritate jam a me tradita Annotatione proxime præcedenti – Advocatos, & Judices, qui turpibus blandiuntur, & maleſactoribus patrocinantur, vellicat, atque perſtringit Doctor ſanctus. Quare viri potentes, Magnates, qui famulos ſuos videntes rapinas, damna, oppreſſiones exercere, non reprimunt, non coercent, tenentur ad reſtitutionem: quia nebulones iſti, Dominorum protectioni, & patrocinio fidentes, hæc mala perpetrant, a quibus abſtinerent protectionis ſcuto deſtituti – Hæc ille.

VCESMUMSEPTIMUM DUBIUM. Utrum ſcienter receptans res raptas, teneatur?

Reſpondet Monaldus tit. *Reſtitutio*, quod ſic, quamdiu habet ſpolia, niſi in reſtituendo immineat periculum vel latroni, vel alteri privatæ perſonæ. Aliter non tenetur, niſi ſpecialiter influeret in rapinam: puta dicens latroni, fac ſecure, quia te recipiam: aut doloſe celans rem eo tempore, quo a vero Domino poterat recuperari.

(147) Reſpicit Author hic non receptatores furum, ſed ſolos receptatores rei furatæ, & hos impetit L. 14. C. *de furtis*, quæ eſt hujuſmodi – *Eos, qui a ſervo furtim ablata ſcientes ſuſceperint, non tantum de ſuſceptis convenire, ſed etiam pœnali furti actione potes* –. Singularis eſt ſuper hac re L. *Quo naufragium* §. 3. ff. *de incendio, ruina* &c. – *Non tantum autem qui rapuit, verum is quoque, qui recepit ex cauſis ſupraſcriptis tenetur: quia receptores non minus delinquunt quam adgreſſores. Sed enim additum eſt, dolo malo: quia non omnis, qui recipit, ſtatim etiam delinquit, ſed qui dolo malo recipit. Quid enim ſi ignarus recipit? Aut quid, ſi ad hoc recipit, ut cuſtodiret, ſalvaque faceret ei, qui amiſerat? Utique non debet teneri* – Ex hac lege infer, quod, audita hujuſmodi receptatione, non ſtatim conclamandum eſt, ſed diligenter expendendum, quo animo, quo fine, qua intentione, & in quibus circumſtantiis rem furatam quis receperit;

Digitized by Google

rit; ſi enim id egiſſet, quia ſecus expoſuiſſet vel propriam domum incendio, vel propriam perſonam vulneribus, aut morti, non auderem ipſum condemnare, ipſum adſerere reſtitutioni obnoxium: dummodo paratum animum haberet rem Domino reſtituendi, ſi id poſſet abſque gravi periculo vel perſonæ, vel domus.

Vicesimumoctavum Dubium. Utrum edentes de rapina, furtu, aliiſve male ablatis, teneantur?

Reſpondeo ſecundum Alexandrum de Alexandria, quod ſi ſunt res, in quibus accipiens acquirit dominium, edentes non tenentur eas reſtituere, niſi accipiens ſit, vel ex tali comeſtione efficiatur non ſolvendo. Si autem res ſunt, in quibus accipiens non acquirit dominium, cujus indolis cenſentur res habitæ ex uſura, ex furto, ex rapina, & hujuſmodi, tunc, ſi ſcienter quis comedit, tenetur ad reſtitutionem, niſi hoc contingat in caſu extremæ neceſſitatis, vel in illis, de quibus dixi ſupra tit. *de uſura* Dubio 32. Quod ſi ille comedat ignoranter, & bona fide, eo in caſu non tenetur; ut patet per Regulam poſitam eod. tit. *de uſura* Dubio 33. Nota hic, & pro Regula tene, quod bona fides ea non eſt, quæ provenit ex ignorantia craſſa, vel ſupina, ex fatuitate, vel temeritate; ſed ea duntaxat, quæ provenit ex ignorantia probabili.

(148) Super hac re jam multa dixit Author in anteceſſum Titulo quarto, qui erat de uſura, Dubio 32., & multa pariter ipſe adnotavi tum ſuper eodem Dubio, tum ſuper Dubio ſequenti. Ne igitur jam dicta repetam, ea Lector relege. Memineris interim eorum, quæ producta ſunt eod. tit., Dubio 30., dum fuit oſtenſum, uſurarium non acquirere dominium in rebus habitis pro uſuris: & pro illis, in quibus accipiens dominium acquirit, audi Authorem ipſum in Angelica ver. *Furtum* num. 25. — *Puta quia pecunia eſt mixta cum alia, vel granum, vel vinum eſt cum alio mixtum taliter, quod nullo modo poteſt diſcerni ab illo, cum quo eſt mixtum, quia tunc tranſit in dominium furis L. SI ALIENI NUMMI ff. DE SOLUTIONIBUS, & L. NAM ETSI FUR ff. SI CERTUM PETATUR, & in L. SI FRUMENTUM in principio ff. DE REI VINDICATIONE: & recipiens non tenetur reſtituere, nec peccat, ſi fur eſt ſolvendo* — Perſpicua eſt

L. *Si*

Digitized by Google

L. *Si alieni nummi*, quæ eſt hujuſmodi — *Si alieni nummi inſcio, vel invito Domino ſoluti ſunt, manent ejus, cujus fuerunt: ſi mixti eſſent, ita ut diſcerni non poſſent, ejus fieri, qui accepit, in libris Gay ſcriptum eſt: ita ut actio Domino cum eo, qui dediſſet, furti competeret* —.

Regula poſita in Dubio 33., quam hic Author appellat, eſt, quod poſſeſſor bonæ fidei duntaxat teneatur de extantibus, non autem de bona fide conſumptis, niſi factus ſit locupletior: & pro hoc facit Inſtitut. *de Officio Judicis* §. 2. verſus finem — *Si vero bonæ fidei poſſeſſor fuerit, non habetur ratio neque conſumptorum, neque non perceptorum* —.: & L. 22. C. *de rei vindicatione* — *Certum eſt, malæ fidei poſſeſſores omnes fructus ſolere cum ipſa re præſtare: bonæ fidei vero extantes* —: & L. *Utrum* ff. *de hæreditatis petitione* — *Utrum autem omne pretium reſtituere debebit bonæ fidei poſſeſſor, an vero ita demum, ſi factus ſit locupletior, videndum. Finge pretium acceptum vel perdidiſſe, vel conſumpſiſſe, vel donaſſe, & verbum quidem perveniſſe ambiguum eſt, ſolumne hoc contineret, quod prima ratione fuerit, an vero & id, quod durat? Et puto ſequentem clauſulam Senatus conſulti, etſi hæc ſit ambigua, ut ita demum computet, ſi factus ſit locupletior. Proinde ſi non ſolum pretium, ſed etiam pœna tardius pretio ſoluto pervenerit, poterit dici quia locupletior in totum factus eſt, debere venire, licet de pretio ſolummodo Senatus ſit locutus* —: & ff. eod. tit. L. *Sed & ſi lege* §. 11. — *Conſuluit Senatus bonæ fidei poſſeſſoribus, ne in totum damno adficiantur, ſed in id duntaxat teneantur, in quo locupletiores facti ſunt. Quemcumqumque igitur ſumptum fecerint ex hæreditate, ſi quid dilapidaverunt, perdiderunt, dum re ſua ſe abuti putant, non præſtabunt: nec ſi donaverint, locupletiores facti videbuntur, quamvis ad remunerandum ſibi aliquem naturaliter obligaverunt. Plane ſi antidora, ideſt remunerationes acceperunt, dicendum eſt, eatenus locupletiores factos, quatenus acceperunt, velut genus quoddam hoc eſſet permutationis* —.

Vicesimumnonum Dubium. Utrum recipiens res raptas, aut furatas, dono, vel alio titulo lucrativo, teneatur?

Reſpondeo: aut qui dat eſt ſolvendo, & Dominus rei quam dat, & tunc recipiens non tenetur eam reſtituere. Aut non eſt ſolvendo, vel non habet dominium ſuper ea re, & tunc tenetur reſtituere quidquid recepit, niſi bona fide recepiſſet, credens rem illam eſſe tradentis, eamque conſumpſiſſet bona fide durante. Pro declaratione hujus Dubii facit quod dictum fuit Dubio 34. tit. *de uſura*.

(149) Hujuſmodi res jam in totum fuit examinata, & diſcuſſa Dubio

bio 34., quod hic Author appellat. Relege igitur, quæ eo loci dicta ſunt. Unice addo, quod ſcribit Aſteſanus lib. 1. tit. 32. art. 8. ſub initio, quodque mirifice confert ad declarationem tum præſentis, tum Dubii immediate præcedentis. -- Sequitur videre de octavo, ſcilicet de illis, qui nec juvant, nec conſentiunt ad rapiendum, de raptis tamen accipiunt. Et quidem tenentur reſtituere, ſed diverſis modis. Diſtinguit enim Raymundus, quod, qui dono accipiunt præciſe, (ſupponit Author raptorem vel non eſſe ſolvendo, vel rem donaſſe, cujus non eſt Dominus) tenentur ad reſtitutionem: quod eſt verum ſecundum Hoſtienſem, ſive accipiant ſcienter, ſive ignoranter, ſi veritatem poſtea percipiunt ff. *Si certum petatur* L. *Si & me & Titium*, niſi forſan hæc conſumpſiſſent antequam veritatem intelligerent C. *de rei vindicatione* L. *Certum eſt*. Qui vero edunt, bibunt, vel in uſus neceſſarios expendunt, ut uxor, & cæteri de familia, tenentur de omnibus, quæ ſic expendunt, niſi in caſu, ſcilicet cum agunt cauſam ſpoliatorum, monendo, & inducendo pro poſſe raptorem ad reſtituendum. Tunc enim non tenentur, etiamſi reſtitutio non ſequatur. Non tenentur inquam de his, quæ expenderunt pro tempore, quo circa ejus emendationem laboraverunt; non enim credit Rodonenſis, quod uxor, & familia de rebus raptis vivere poſſint per totum annum propter unam admonitionem, vel propter duas. Unde ſatis videtur, quod Religioſi euntes ad raptores, ut inducant eos ad reſtituendum, excuſentur, ſi comedant apud eos: præcipue ſi commode invenire non poſſunt apud alios. Probantur hæc Extra *de accuſationibus* cap. *Ex parte*, & eſt expreſſum Extra *de ſententia Excommunicationis* cap. *Cum voluntate* §. *Prædicatores*: & hoc intelligas cum moderamine, ſcilicet ſi probabiliter habeatur ſpes de correctione ejus, & ſi etiam propter expenſas eorum non ſubtrahatur raptori reſtituendi facultas in toto, vel magna parte. Arg. 2. q. 6. cap. *Anteriorum* §. *Illud* --. Hactenus Aſteſanus. Accipe §. *Prædicatores* ab Aſteſano laudatum, qui eſt Gregorii IX. -- *Prædicatores quoque, qui penes excommunicatos, vel alios alienarum rerum detentores, ſi prædicationibus, & confeſſionibus, quaſi gerunt cauſam, vel curam eorum, ad quos res ipſæ ſpectare noſcuntur, eleemoſynas licite poſſunt ab illis recipere, præſertim ſi alias non valeant in illo loco ſuſtentationem habere* --, Ne interim credas, Aſteſanum unum ſolum admittere caſum, in quo uxor, & familia agunt cauſam ſpoliatorum: quoniam ſtatim proſequitur, ceteroſque adfert caſus, qui ad Authore tit. *de uſura* Dubio 32. ſupra fuere producti, in quibus omnibus uxor, & familia vivere poſſunt de rebus uſurarii, vel raptoris abſque peccato, & ſine onere reſtitutionis.

Tricesimum Dubium. Utrum videns alium inferentem damnum proximo, & non clamans, nec obſtans pro poſſe, teneatur in ſolidum?

Reſpondeo, quod aut non habet ex officio, ut clamet, & obſtet, aut id habet ex officio. Si hoc non habet ex officio, tunc ſecundum Gloſſam in cap. *Non in inferenda* 23. q. 3. non tenetur: quia nullus ex neceſſitate tenetur proximum defendere niſi qui id habet ex officio ſecundum ipſam. Aliter nullus poſſet pecuniam recipere pro defenſione alterius, &, ſi reciperet, eam teneretur reſtituere: quia, ſi ex neceſſitate deberet defendere, pecunia data pro defenſione repeti poſſet ff. *de condictione ob turpem cauſam* L. ult., quæ tamen non poteſt repeti; ut ff. *quod metus cauſa* L. *Metum* §. *Sed licet*, & ff. *de donationibus* L. *Si prædia* §. 1.: & hanc opinionem ſequitur Gloſſa in cap. *Dilecto* lib. 6. *de ſententia excommunicationis*. Hoc verum credo, quando non prohibet, quia non vult ſe immiſcere rumoribus, aut ex negligentia; non vero quando doloſe non prohibet, nam tunc credo, quod teneatur. Pro hoc facit opinio Innocentii, quam ſequitur Panormitanus in cap. *Quantæ* Extra *de ſententia excommunicationis*, & concordat Gloſſa id dicto cap, *Quantæ*, quæ non prohibentes vel ex negligentia, vel quia nolunt ſe immiſcere rumoribus, ſolum excuſat a pœna, non autem a culpa. Nec obſtat opinio Ricardi in 4. diſt. 15. q. ult., quod ille, qui ſolo verbo abſque aliquo ſui periculo poteſt prohibere, ne inferatur damnum, tenetur: quia intelligi debet, quando is agit doloſe, quod ſemper præſumendum eſt ſemel ac poteſt providere, quin ſe immiſceat rumoribus, vel ſe exponat periculis, & arbitratur eſſe providendum, & tamen non providet: qualis eſt ille, de quo Ricardus loquitur. Si vero ex officio habet, ut alios defendat, ſicuti ſunt Domini, qui tenentur ex reditibus dominii ſubditos ſuos tueri: Vicarii, aliique Officiales, qui ſuis Capitaneis, ſuiſque Poteſtatibus tenentur contradicere in rebus injuſtis: Tutores, Curatores, qui pupillos & minores tenentur defenſare &c.: tunc

ſecun-

Digitized by Google

ſecundum Ricardum ubi ſupra, quando injuria eſt manifeſta, tenetur reſtituere, ſi non obſtat pro poſſe. Arguitur 86. diſt. cap. *Facientis*, & cap. *Sicut dignum* Extra *de homicidio*. Concordat Baldus in L. *Quoniam Judices* C. *de appellationibus*. Scotus dicit, quod qui non facit reſtituere cum poteſt, & ex officio debet, tenetur ipſe in ſolidum. Addit tamen, quod qui, tametſi ex officio teneatur obviare damno proximi, unice non obviat, quia vergeret hoc in evidens Reipublicæ malum, vel propriæ perſonæ periculum, non tenetur tunc ſatisfacere, nec peccat, dummodo paratus ſit obviare, ſi talia ceſſarent, quod valde notandum eſt.

(150) Eximiæ huic Authoris doctrinæ ne verbum quidem deberem ipſe adjicere; rem enim hanc & opportunis diſtinctionibus, & invictis rationibus adeo explanavit, firmavitque, nihil ut magis. Placet nihilominus integram exſcribere quæſtionem 15. Gennetti de 7. Decal. præcepto cap. 6., præſertim quum pene omnis imitatur doctrinæ S. Bernardini. Eam igitur accipe – Quando nam tacens, non impediens, vel non revelans, tenentur ad reſtitutionem? R. Hactenus locuti ſumus de iis, qui cooperantur poſitive damno proximi. Supereſt nunc breviter agendum de cooperantibus negative. Illi autem ad reſtitutionem obligari non debent, niſi quando qui tacuit, qui non impedivit, aut non revelavit, tenebantur aliter ſe gerere ex officio, & ex obligatione juſtitiæ. Unde etiam juxta Angelicum Doctorem (2. 2. q. 62. art. 7. ad 3.) *Non ſemper ille, qui non manifeſtat latronem, tenetur ad reſtitutionem, aut qui non reprehendit, ſed ſolum quando incumbit alicui ex officio, ſicut Principibus terræ, quibus ex hoc non multum imminet periculum. Propter hoc enim poteſtate publica potiuntur, ut ſint juſtitiæ cuſtodes* – (Idem prorſus jam dixerat ibid. in corpore – *Quinto tenetur ille, qui non obſtat, cum obſtare teneatur. Sicut Principes, qui tenentur cuſtodire juſtitiam in terra, ſi per eorum defectum latrones increſcunt, ad reſtitutionem tenentur; quia redditus, quos habent, ſunt quaſi ſtipendia ad hoc inſtituta, ut juſtitiam conſervent in terra* –) Idem dicendum eſt de Magiſtratibus, & de illis, qui ex aliquo contractu, vel quaſi contractu, tenentur reprehendere, corrigere, clamare, defendere, impedire, aut manifeſtare illum, qui damnum proximo intulit, aut inferre intendit. Hanc materiam in praxi frequentem variis illuſtrat exemplis S. Bernardinus Senenſis, To. 1. ſerm. 34. cap. 4.) quæ hic referre utile judicavi – *Si quis*, inquit, *ex officio ſuo tenetur a damno alterum defenſare, vel præſervare, non tantum ſi ex malitia, verum etiam ſi ex notabili negligentia, vel incuria, aut imperitia officio ſuo notabi-*

*liter indebita, contingit illum damnificari, cui ſic tenetur, totum illud damnum reſtituere obligatur. Verbi gratia ſunt quidam, qui ex aſſumpto officio tueri tenentur pupillos, & viduas. Hujuſmodi etiam ſunt Domini, qui cum redditus dominii habeant, ex officio tenentur ſubditos ſuos tueri. Stipendiarii etiam, qui ex officio obligantur defendere eos, a quibus in bello juſto ſtipendium habent. Medici & corporum, & animarum, & maxime Confeſſores ignari, & negligentes: Notarii, qui neſciunt condere Inſtrumenta, unde multi perdunt jura ſua: Judices, & Aſſeſſores, qui ex ignorantia, vel incuria injuſtas proferunt ſententias: Procuratores, & Advocati, qui ex eiſdem cauſis amittunt cauſas juſtas: atque conſilia dantes his etiam poſſunt annumerari. Inſuper nautæ, & Architectores, & conſimiles omnes. Tales inquam, ſi ex eorum imperitia, vel negligentia quidam damnificantur, ſatisfacere debent. Cujus ratio triplex eſt. Prima, quia tenentur talia præcavere. Secunda, quia unuſquiſque tenetur ſufficienter ſcire, & exequi diligenter artem, quam profitetur, maxime quando vergit in periculum alterius error ſuus. Tertia, quia eorum imperitia, & negligentia habent quandam efficacem cauſalitatem damnificationis illorum, juxta modum quo privatio eſt cauſa privationis. Quod etiam talis ignorantia, ſeu negligentia non excuſet; patet Extra DE INJURIIS ET DAMNO DATO cap. SI CULPA, & 1. q. 1. cap. QUICQUID. Quid etiam de cuſtodibus, qui eos non accuſant, quos reperiunt per Civitatem euntes contra ſtatutum poſt campanæ ſonum, qui ſcilicet condemnandi eſſent ad ſolum eorum verbum? Dicendum, quod ſi tales hoc juraverunt, & tranſgreſſores negligunt accuſare, perjuri ſunt, & graviſſime peccant, quia juſtum erat ſtatutum. Non tamen tenentur ſolvere ſtatutam pœnam, quam tranſgreſſores incurrere merebantur. Ratio eſt, quia nondum contra offendentes erat ſententia lata, cum nullus ſolvere obligetur ſententiam, antequam juſte lata ſit de jure, ſicut latius docetur in ſerm. 37. art. 3. cap. 2. Si vero tales Cuſtodes aliquid inde lucrantur, tenentur pauperibus erogare. Si tamen videant fieri damnum, & non reclament, potiſſime quando de tali cuſtodia mercedem habent, de ſuo proprio ſatisfacere obligantur: & ſi a damnificante aliquid acceperunt, debent pauperibus diſpenſare. Idem per omnia dicendum eſt de his, qui ex officio poſiti ſunt ad cuſtodiam vinearum, atque poſſeſſionum, & eorum officium prædictis modis injuſte agunt. Secundo non obviando, ſcilicet malis, & proximorum damnis. Et hoc quando homini de injuria conſtat, & obviare poteſt, & ſibi ex officio competit, & incumbit, ſicut competit Dominis, & multis Officialibus: & ſecundum Scotum tales obviare intelligi habet, quando eſſet ad bonum Reipublicæ, & ſine periculo propriæ perſonæ. Tales inquam non obviantes, in ſolidum reſtituere obligantur. Unde 80. diſt. cap. FACIENTIS ſcriptum eſt — NEGLIGERE CUM POSSIS PERTURBARE PERVERSOS, NIHIL ALIUD EST, QUAM FOVERE: NEC CARET SCRUPULO CONSENSIONIS OCCULTÆ, QUI MANIFESTO FACINORI DESINIT OBVIARE —. Si tamen ad hominis offi-*

*officium non ſpectat, & malit, ſeu aliorum damnis, cum poſſit, non obſtat: licet mortaliter peccet, quia non diligit proximum ſicut ſeipſum; non tamen ſatisfacere obligatur. Inſuper quamvis ad hominis officium pertineat obviare, ſi tamen hoc vergeret ad Reipublicæ malum, ſeu evidens propriæ perſonæ periculum immineret: tunc non obvians nec ſatisfacere tenetur, nec inſuper ex hoc peccaret, ſi obviare in corde paratus eſſet, quando prædicta non impedirent. Inſuper eſt notandum, quod ſi quis Dux multos ſtipendiarios habet, ad reſtitutionem tenetur de omni damno, quod inferunt injuſte ſubditi ſui, ſi obviare poteſt, & non facit, ut tenet Cynus in L. QUONIAM MULTA FACINORA C. AD LEGEM JULIAM DE VI PUBLICA. Tertio, non manifeſtando. Et hoc ſecundum Scotum, cum quis requiſitus in judicio, ut ſententialiter res furto ſublata, vel aliter injuſte detenta, poſſet reſtitui Domino ſuo: & tamen veritatem dicendo non imminet ſibi periculum ſtatus, ſeu perſonæ ſuæ: talis inquam non manifeſtando, omne damnum, quod inde ſequitur, læſo ſatisfacere obligatur. Ad hoc Extra DE FURTIS cap. QUI CUM FURE, & 11. q. 3. cap. QUISQUIS. Ex his patet, quod negans in judicio teſtimonium perhibere in alterius detrimentum, ei ad reſtitutionem recepti damni obligatus eſt —.* Quia ſcilicet teſtis legitime interrogatus a Judice competenti, fit quodammodo eo ipſo perſona publica, & quamdam officii ſpeciem exercet, quod officium illum obligat ad dicendum ea, quæ ſcit, proficua, aut nociva unicuique ex partibus, quæ de aliquo facto diſputant — Hactenus Gennettus.

Brevibus igitur. Qui tenentur ex officio, vel ex contractu, vel quaſi contractu, impedire damnum alterius, ſi negligant impedire, peccant contra juſtitiam, & tenentur illud reſarcire. Quia cenſentur cauſa moralis, & injuſta damni illati: nam hoc ipſo quod tenentur ex officio, vel contractu alterius damnum impedire, hic habet jus, ut damnum ejus impediant; ac proinde, ſi impedire negligant, ei faciunt injuriam, quam jura omnia clamant eſſe compenſandam. Qui vero ſolum ex caritate tenetur damnum alterius impedire, ſi non impediat, etiam quum id ſine magno incommodo poſſit, peccat quidem contra caritatem, ſed non tenetur ad reſtitutionem: quia non peccavit contra juſtitiam, nec cenſetur cauſa injuſta damni, quum alter jus non habeat, ut damnum ejus impediat. Secus autem, ſi quis poſitive conferat ad damnum proximi; is enim teneretur de damno, quoniam quilibet habet jus, ne alter ad ipſius damnum poſitive concurrat, utpote qui jus habet, ne ei damnum inferatur ſine juſta cauſa, & debita auctoritate. Ita cum communi Antoine de juſtitia & jure part. 2. cap. 4. q. 7. §. 7.

Tricesimumprimum Dubium. Utrum Cuſtodes Civitatum, vinearum, & hujuſmodi, teneantur in ſolidum, quando vident fieri damnum, & non clamant, nec accuſant facientes?

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo, quod ſic, & in ſolidum, ſi accuſando, vel clamando damnum datum non fuiſset, aut datum reſtitueretur. Et ſi aliquid acceperunt, ut tacerent, tenentur reſtituere illi, cui datum eſt damnum, & recompenſationem, & poſtea ſupplere de proprio. Si autem illi, qui accuſandi forent, nullum damnum dant, licet vadant de nocte, & hujuſmodi, qui ipſos non accuſant non tenentur aliquid reſtituere: quia, tametſi tales, ſi fuiſſent accuſati, pœnam ſolviſſent, non tenentur tamen eam ſolvere ante condemnationem. Sed ſi aliquid acceperunt, ne accuſarent, tenentur illud dare pauperibus ſecundum eam diſtinctionem, quam dabo tit. 31. Dubio 1.

(151) Non deſunt opinantes, hujuſmodi cuſtodes teneri ad ſatisfactionem mulctæ, quam Domini ex dclatione accepiſſent, ſi ipſi delinquentes accuſaſſent, quamvis nullum aliud damnum fuerit inde ſecutum. Hanc opinionem probabiliorem exiſtimat Antoine: quia ſicuti ſcribit loco nunc citato, videntur conſtitui tum ut impediant damna, tum etiam ut deferant damnificatores: præſertim cum id expediat ad avertenda multa damna, quæ alias fierent ſublato metu mulctarum. Unde non deferendo peccant contra officium, & contractum, vel quaſi contractum; ſicque tenentur reſtituere mulctas pecuniarias, quas perciperent Domini ex delatione jure ſibi debita –. Hæc ille. Secus docet Concina, & probabiliorem judicat ſententiam negantem, quæ eſt opinio Authoris – Sed probabilior videtur ſententia negans: (ſcribit ipſe lib. 2. de juſtitia & jure Diſſert. 2. cap. 9. §. 3. num. 42.) quia præfati Cuſtodes non videntur ex juſtitia devincti ad reos accuſandos, ut mulctis Princeps ditetur. Spectandæ tamen ſunt circumſtantiæ, pacta inita inter Cuſtodes, & Dominum vectigalium. Nam ſi hæ accuſationes in pactum deductæ eſſent, dubio procul tenerentur ad reſtitutionem. Spectanda eſt quantitas damni illati, & alia plura, antequam vel liberentur, vel judicentur reſtitutioni obnoxii –. Hæc Concina. Super hiſce non accuſantibus attendi fortaſis debet doctrina, quam tradit Colletus Inſtitut. Theolog. de juſtitia cap. 3. art. 3. ſect. 4. punct. 3. ante quæres I. – Ab utroque tamen peccato immunes eſſe videntur, ſi damnum tam leve ſit, aut illatum a perſona tam paupere, ut præſumi rationabiliter poſſit eum, a quo conſtituti ſunt Cuſtodes, non eſſe invitum. Sic alibi excuſavimus eos, qui caduca, & inutilia ligna, quæ in ſaltibus jacent, ad vitæ ſuſtentationem colligunt; unde & tunc excuſari debent Cuſtodes –. Hæc ille.

TRICESIMUMSECUNDUM DUBIUM. Utrum requiſitus in judicio

dicio ad dicendam veritatem, in quo veritate cognita res ablata reſtitueretur illi, cujus eſt, eam negans teneatur reſtituere?

Reſpondet Panormitanus in cap. *Qui cum fure* Extra *de furtis*, & cum eo concordat Bartolus in L. *Civile eſt* C. *de furtis*, quod quilibet tenetur indicare furtum, ſi noverit; non autem furem. Nec obſtat, quod ad inſtantiam partis quis tenetur perhibere teſtimonium contra furem L. *Nullum* C. *de teſtibus*: quia aliud eſt indicare, aliud teſtimonium dicere. Nam teſtimonium dicere non eſt revelare furem: quia per accuſationem jam eſt detectus; ſed indicare eſt revelare. Ex quo patet, quod ſi quis requiritur de re furtiva, & non dicit verum, quod ſcit, quodque poteſt dicere ſine manifeſtatione furis, tunc tenetur in ſolidum. Si autem ad inſtantiam partis requiritur, ut indicet furem, & non indicat, non tenetur. Tenetur vero, ſi requiritur, ut teſtimonium dicat contra furem, & non facit: quod intelligo verum ſecundum Antonium de Butrio, quando furi, vel raptori non imminet mors, vel truncatio membri: quia in hoc caſu credo, quod non teneatur teſtimonium perhibere. Arguitur cap. *Dilectorum* Extra *de teſtibus cogendis vel non*. Item non tenetur, quando non ſervatur forma juris in interrogando: & dictum Panormitani intelligendum eſt, quando ſervato juris ordine præter periculum mortis, & truncationis poteſt dicere teſtimonium. Si autem ſermo non ſit de re furtiva, vel rapta, ſed de aliis rebus modo indebito habitis, tunc requiſitus indiſtincte tenetur, ſi non revelet & eum, qui habet, & res, quas habet dum ſcit, & dicitur teſtis falſus ſecundum Baldum in L. *Probatur* C. *de Epiſcopis, & Clericis*: & ſic intelligenda eſt opinio Ricardi in 4. diſt. 15. Tenetur etiam, quando taliter requiſitus tacet verum, quod ſcit, & propter hanc non manifeſtationem veritatis proximus injuſte condemnatur. Hæc tamen

Digitized by Google

tamen credo vera, quando ſine aliquo periculo ſui poteſt indicare de veritate.

(152) S.Thomas 2.2. q.70. art.1. inquirit – *Vtrum homo teneatur ad teſtimonium ferendum?* & ita reſpondet – *Dicendum, quod in teſtimonio ferendo diſtinguendum eſt: quia aliquando requiritur teſtimonium alicujus, aliquando non requiritur. Si requiritur teſtimonium alicujus ſubditi authoritate Superioris, cui in his, quæ ad juſtitiam pertinent, obedire tenetur, non eſt dubium, quin teneatur teſtimonium ferre in his, in quibus ſecundum ordinem juris teſtimonium ab eo exigitur, puta in manifeſtis, & in his, de quibus infamia præceſſit. Si autem exigatur ab eo teſtimonium in aliis, puta in occultis, & de quibus infamia non præceſſit, non tenetur ad teſtificandum. Si vero requiratur ejus teſtimonium non authoritate Superioris, cui obedire tenetur, tunc diſtinguendum eſt: quia ſi teſtimonium requiratur ad liberandum hominem vel ab injuſta morte, ſeu pœna quacumque, vel a falſa infamia, vel etiam ab iniquo damno, tunc tenetur homo ad teſtificandum. Et ſi ejus teſtimonium non requiratur, tenetur facere quod in ſe eſt, ut veritatem denuntiet alicui, qui ad hoc poſſit prodeſſe. Dicitur enim in Pſal. 81. – ERIPITE PAVPEREM, ET EGENVM DE MANV PECCATORIS LIBERATE. Et Prover. 24. – ERVE EOS, QVI DVCVNTVR AD MORTEM. Et Rom. 1. dicitur – DIGNI SVNT MORTE NON SOLVM QVI FACIVNT, SED ETIAM QVI CONSENTIVNT FACIENTIBVS. Vbi dicit Gloſſa – CONSENTIRE EST TACERE, CVM POSSIS REDARGVERE –. Super his vero, quæ pertinent ad condemnationem alicujus, non tenetur aliquis ferre teſtimonium, niſi cum a ſuperiore compellitur ſecundum ordinem juris. Quia, ſi circa hoc veritas occultetur, nulli ex hoc ſpeciale damnum naſcitur. Vel ſi immineat periculum accuſatori, non eſt curandum, quia ipſe in hoc periculum ſponte ſe ingeſſit. Alia autem ratio eſt de reo, cui periculum imminet eo nolente –.* Fuſius, & clarius Antoine *de obligationibus* cap. 5. §. 3. q. 1. – An & quando quis tenetur teſtificari? R. 1. Ex communi ſententia eſt obligatio ſub mortali 1. Cum hoc neceſſarium eſt ad avertendum grave malum impendens ſpirituale, vel temporale, publicum, vel privatum innocentis, quamvis id non requiratur a Judice. Nam tunc tenemur denuntiare, ut dixi, & charitas graviter obligat ad proximum ab injuſto damno liberandum, & ad damnum injuſtum proximi impediendum. Ita S. Thomas 2. 2. q. 7. art. 1. addens – *Si ejus teſtimonium non requiratur, tenetur facere quod in ſe eſt .....* (Vide ſupra). Si tamen accuſator ex obligatione accuſarit, v.g. quia crimen Reipublicæ, vel Religioni directe perniciosum erat, quale eſt hæreſis, conſpiratio contra Principem: tunc debet ejus damnum vera teſtificatione averti. II. Poſito præcepto Superioris, vel Judicis, exceptis caſibus mox dicendis. Nam omne præceptum juſtum obligat in conſcientia, & bonum commune id exigit; alioquin enim crimina ſæpius impunita manerent. & juſtitia

ſtitia non poſſet adminiſtrari cum gravi Reipublicæ detrimento. Porro ſecundum multos teſtis legitime interrogatur, ideoque tenetur teſtificari, quoties præceſſit vel accuſatio, vel denuntiatio, vel querela ab alio porrecta: nec ad hoc requiritur (licet a fortiori ſufficiat) infamia delinquentis, aut ſemiprobatio, aut indicia, ſicut requiritur, ut reus ipſe legitime interrogetur. Quia bonum commune poſtulat, ut Judex habeat tunc jus interrogandi: nam alioquin numquam poſſet punire crimen certum, cujus author eſt occultus; & ſic publica crimina forent impunita, quod eſt contra bonum publicum. Plus autem requiritur, ut quis teneatur teſtari contra ſe ipſum, quam contra alium extraneum; poteſtque facile haberi ſemiprobatio abſque confeſſione rei, quæ vix aut ne vix quidem habetur abſque teſtimonio teſtis. R. 2. Etiam poſito præcepto, & monitorio non tenentur ex communi ſententia teſtari, nec deterre 1. Qui rem norunt ex Confeſſione Sacramentali. 2. Qui rem accepit ſub ſecreto naturali, conſilii, vel auxilii petendi cauſa, ut Advocatus, Theologus, Medicus, Obſtretrix, Chirurgus &c. Nam tunc eſt obligatio naturalis ſervandi ſecreti: alioqui peccatores a conſilio petendo averterentur; unde deſperatio, & multa mala ſeqni poſſent. Nec tunc eſt intentio Judicis, ut reveles, cum bonum publicum, & conſervatio ſocietatis civilis exigat ſecretum ſervari. Excipe niſi teſtificatio neceſſaria ſit ad avertendum imminens grave damnum Communitatis, vel privati innocentis: tunc enim teneris aperire ſecretum etiam juratum, quod tunc non obligat, cum ſit de re illicita. Nam quiſque tenetur, ſaltem ex caritate, impedire grave damnum publicum, vel privatum innocentis, qui reo præferendus eſt. Ita communis cum S. Thoma. Alii autem, qui delictum viderunt, vel ab aliis audierunt, & poſtea jurant non revelaturos, tenentur obedire præcepto, etiamſi non agatur de damno aliorum avertendo: nam qui ſecluſo juramento, vel promiſſione tenentur revelare, adhuc tenentur non obſtante juramento, quod tunc non obligat, cum ſit de re illicita, & contra jus ſuperioris. 3. Qui rem accepit a viris non fide dignis, quia hæc teſtificatio nullam in judicio faceret fidem. 4. Si ſcias alterum non peccaſſe mortaliter: nam mens Judicis eſt inquirere de delicto graviter culpabili. 5. Si ex tua teſtificatione tibi, vel tuis immineat grave damnum, niſi bonum publicum eam exigat; vel niſi privatum bonum alienum impediendum tuo longe prævaleat, itaut ſecundum regulas prudentiæ, & caritatis tenearis illud ſubire. Nam leges humanæ ordinarie non obligant cum gravi nocumento, ſeu damno. 6. Pater, filius, maritus, uxor, fratres, ſorores, conſanguinei, vel affines delinquentis uſque ad ſecundum gradum juxta aliquos, & juxta plures uſque ad quartum, ex cap. *Si teſtes* 4. q. 3. referente legem Juliam 4. ff. *de teſtibus*: tum quia bonum commune requirit, ut conſervetur pax, & vitentur odia, ac diſſenſiones in familiis; tum quia ordinarie id fieri nequit ſine gravi damno revelantis ob conjunctionem. Excipe ſemper crimina læſæ majeſtatis, hæreſis, veneficii, aliave,

ve, quæ Communitati grave damnum afferrent, niſi revelarentur. An autem famuli, ac domeſtici eximantur a teſtimonio ferendo contra Dominum, controvertitur. Sed in hoc ſtandum eſt praxi fori contentioſi, in quo, ſi illorum exceptio non admittatur, teſtari tenentur. 7. Quando per mandatum intenditur ſolum emendatio rei, vel ſatisfactio partis læſæ: qui novit crimen, non debet illud aperire ante præmiſſam monitionem, niſi conſtet non profuturam..... 8. Monitorium non obligat ad revelationem ipſum Authorem criminis, nec cooperatores; poſſunt tamen per cenſuras compelli ad ſatiſfaciendum parti læſæ. 9. Si crimen per illatam injuriam, v. g. litteras aperiendo, cognoviſti: quia hæc injuria conventioni de ſecreto ſervando æquivalet, & nullum jus ex injuria oritur tibi —. Hactenus ille.

Optima eſt diſtinctio Authoris, quod aliud eſt indicare furem, aliud dicere teſtimonium contra furem; primum enim eſt revelare furem nondum cognitum, de quo nec præceſſit accuſatio, nec denunciatio, nec querela: ſecundum vero eſt eum furem dicere, qui de hoc jam accuſatus fuit, vel denunciatus. Jure igitur ait Author, quod teſtis ad inſtantiam partis non tenetur indicare furem; tenetur autem teſtimonium dicere contra furem. Et hoc idem repetit in Angelica ver. *Furtum* num. 28. inquiens — *Sed mihi videtur dicendum ſecundum Innocentium in dicto cap. DILECTUS, & dicto cap. QUI CUM FURE, & DE SIMONIA cap. NEMO, & Bartolum, Angelum, & Raphaelem in dict. L. CIVILE EST, quod tam de jure canonico, quam civili ad inſtantiam partis non tenetur niſi revelare furtum, non furem ad pœnam* —. Sed quid ſi Judex ex officio, vel procedens per inquiſitionem interroget teſtem? Tenetur is in hoc caſu indicare furem, ut expreſſe Author ipſe ibidem ſubdens — *Sed Judex vel ex officio implorato, vel dum procedet per inquiſitionem generalem poteſt compellere ad indicandum furem. Arg. L. 3., & L. CONGRUIT ff. DE OFFICIO PRÆSIDIS: & ſic recte Epiſcopi poſſunt admonere, & excommunicare non indicantes non ſolum furtum, ſed etiam fures, quia Superiores tenentur expurgare Provinciam malis hominibus* —. Accipe leges hic ab Authore indicatas — *In mandatis Principum eſt, ut curet is, qui Provinciæ præeſt, malis hominibus Provinciam purgare* — Ita L. 3. in fine. — *Congruit bono, & gravi Præſidi curare, ut pacata, atque quieta Provincia ſit, quam regit: quod non difficile obtinebit, ſi ſollicite agat, ut malis hominibus Provincia careat, eoſque conquirat; nam & ſacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere debet: & prout quiſque deliquerit, in eum animadvertere, receptoreſque eorum coercere, ſine quibus latro diutius latere non poteſt* —. Ita L. *Congruit*. Author tum hic, tum in Angelica, id limitat, quando non imminet periculum mortis in fure, & hanc limitationem eruit ex cap. *Dilectorum* Extra *de teſtibus cogendis*, in quo Honorius III. ſcribens Abbati S. Eugenii ita ſancivit. — *Dilectorum filiorum Vulterani Capituli ex parte una, & Epiſcopi Vulterani ex altera, Procuratoribus in noſtra præſentia conſtitutis. Teſtes, qui fuerunt nomi-*

*nominati, præterquam ſuper criminibus, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram Eccleſiaſticam cogatis veritati teſtimonium perhibere* -. Mirum, quanta ſcripſerit Gloſſa ſuper hoc Capite. Si tamen, ut par eſt, expendantur, deprehendetur arbitrari Gloſſam, quod Summus Pontifex legem non conſtituit generalem, teſtes ſcilicet numquam eſſe compellendos dum agitur de criminibus, ſed hoc duntaxat ſancivit in caſu particulari de quo agebatur, propter ſpeciales circumſtantias. Hoc ſemel poſito dico cum eadem Gloſſa, quod ex eo, quia certæ perſonæ hic non compelluntur, datur intelligi, quod aliæ compellantur. -- *Quod enim de uno negatur* (ſicuti, ſcriptum eſt diſt. 25. cap. *Qualis*) *conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam conceditur*. Et idcirco concludo cum eadem generatim loquendo -- *Sed magis æquum videretur, quod ſemper compellerentur, qualitercumque agatur, ne crimina remaneant impunita* --. Semel atque Judex agit ex officio, ad inquiſitionem veritatis, ad Provinciam malis hominibus expurgandam.

Tertius decimus Titulus qui eſt de emptione, & venditione, continet quæſtiones decem, ſeu decem Dubia.

Primum Dubium. Utrum ſcienter emens rem raptam, vel furatam, teneatur?

Reſpondeo, quod, ſive primus ipſe ſit, vel ſecundus, vel tertius, vel quicumque alius uſque in infinitum, idem enim juris eſt ac ſi eſſet primus ff. *de Minoribus* L. *Sed ubi*, & ff. *de hæreditatis petitione* L. *Sed & ſi lege* §. *Perinde*, tenetur ad quinque. Primo, reſtituere rem emptam ſecundum Petrum Caſuel tit. *de furtis*, & tenetur, licet habeatur ſtatutum, quod, quando emitur publice in mercatu, vel hujuſmodi ſit ementis: nec eam ſine mortali poteſt tenere, quando ſcitur Dominus ſecundum Hoſtienſem. Arguitur 12. q. 2. cap. *Vulteranæ*, & ff. *de furtis* L. 1. in fine. Secundo, tenetur reſtituere fructus perceptos, & qui percipi potuerunt intermedio tempore cap. *Gravis* Extra *de reſtitutione ſpoliatorum*: exceptis expenſis, de quibus in Regula poſita Dubio 31. tit. 4. Tertio, ſi rem non habet, quia eam vendidit, vel aliter quocumque modo alienavit, aut amiſit, vel quia res periit tam naturaliter, quam violenter quocumque caſu, tenetur reſtituere pretium rei ſecundum optimum ipſius ſtatum, & ſecundum quod plus valuit poſtquam ab ipſo fuit empta, dicto cap. *Gravis*, & L. *In re furtiva* ff. *de condictione furtiva*, & ff. *de rei vindicatione* L. *Si navis* §. *Generaliter*. Excipitur caſus, quando rem obtulit Domino loco, & tempore, & hic eam recipere recuſavit, tunc enim purgavit moram, dicta L. *In re furtiva*. Et ideo, ſi periret, vel deterior fieret ſine ſua cul-

culpa, non teneretur. Quarto, non poteſt petere pretium a Domino rei L. *Incivilem* C. *de furtis*, etiamſi ſtatutum eſſet, quod poſſet petere: quia illud ſtatutum eſſet contra bonos mores, 8. diſt. cap. *Quæ contra*. Item non poteſt pretium petere a venditore in foro contentioſo, niſi expreſſe caverit L. *Si Mancipium* C. *de rei vindicatione*. Secus tamen in conſcientia: quia bene poſſet a venditore pretium recipere, & rem eidem tradere, ſeu reſtituere; poteſt enim potius ſibi conſulere quam alteri ſecundum Alexandrum de Ales in 4. Quinto, perdit expenſas voluntarias factas in dicta re ſecundum forum contentioſum, exceptis illis de quibus in præfata Regula poſita Dubio 31., de quo jam. Secus tamen in foro conſcientiæ, nam in conſcientia poteſt eas & petere, & recipere, ſicuti dictum eſt de fure, & raptore Dubio 6. tit. 11.

(153) Quod idem ſit juris, ſive poſſeſſor primus ipſe ſit, ſive ſecundus &c; apertæ ſunt leges ab Authore laudatæ — *Sed ubi reſtitutio datur, poſterior emptor reverti ad auctorem ſuum poterit* — *Per plures quoque perſonas, ſi emtio ambulaverit, idem juris erit* — L. *Sed ubi* ff. *de Minoribus* — *Unde ſi ſit alius poſſeſſor, ab utroque hæreditas peti poſſit: & ſi per multos ambulaverit poſſeſſio, omnes tenebuntur* — §. *Perinde* L. *Sed & ſi lege* ff. *de hæreditatis petitione*.

Quod ſtatim atque quis in cognitionem venit Domini alicujus rei, teneatur eam ipſi reſtituere, notoria res eſt jure omni firmata, & ex ipſa colligitur definitione furti, quam legimus Inſtitut. *de obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur* §. 1. — *Furtum eſt contrectatio fraudoloſa, lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, poſſeſſioniſve, quod lege naturali prohibitum eſt admittere* —, quamque legere etiam eſt ſervato ipſo litterarum cortice §. *de furtis* L. 1. in fine.

Quod reſtitui debeant & fructus percepti, & qui a Domino percipi honeſte potuerunt, id aperte ſancivit Cœleſtinus III. cap. *Gravis* Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* — *Proviſuri, ut non tantum fructus a novo, & violento poſſeſſore perceptos, ſed quos (ſi eis poſſidere fuiſſet licitum) poſſeſſores veteres percepiſſent, reddi faciatis eiſdem* —.

Quod, dum res periit, vel abalienata eſt, reſtitui ipſa debeat ſecundum majorem valorem, quem habuit, perſpicue docetur L. *In re furtiva* §. 1. ff. *de condictione furtiva* — *Si ex cauſa furtiva res condicatur, cujus tem-*

*poris*

Digitized by Google

*poris æſtimatio fiat, quæritur. Placet tamen id tempus ſpectandum, quo res unquam plurimi fuit: maxime cum deteriorem rem factam fur dando non liberetur —*,

Quod excipi debeat caſus, in quo fur, vel emens ſcienter rem furatam, eam Domino obtulerat, & hoc habetur in ead. L. ſub initio — *Et, ſi quidem obtulit fur, ſine dubio nulla erit condictio: ſi non obtulit, durat condictio æſtimationis ejus —*.

Quod ſic emens non poſſit petere pretium a Domino rei, textu docetur aperto L. *Incivilem* C. *de furtis — Incivilem* (id eſt *contra jus* notat Gloſſa ibidem) *rem deſideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit ſolutum a Dominis. Curate igitur cautius negotiari, ne non tantum in damna hujuſmodi, ſed etiam in criminis ſuſpicionem incidatis —*.

Quod in jure civili nec poſſit pretium a venditore repetere, eruitur ex L. *Si mancipium* C. *de rei vindicatione — Si mancipium tuum per vim, vel furtum ablatum, alii ex nulla juſta cauſa diſtraxerunt, vindicanti tibi dominium ſolvendi pretii nulla neceſſitas irrogetur —*: quia, ut notat Salicetus eidem legi præfixus — *Emptori rei non reſtituitur pretium in utilitatem vindicantis non converſum —*.

Quod nihilominus poſſit repetere expenſas neceſſarias, quas fecit, & hoc expreſſum habemus ff. *de hæreditatis petitione* L. *Si a Domino* §. ult. — *Fructus intelliguntur deductis impenſis, quæ quærendorum, cogendorum, conſervandorumque eorum gratia fiunt. Quod non ſolum in bonæ fidei poſſeſſoribus naturalis ratio expoſtulat, verum etiam in prædonibus, ſicut Sabino quoque placuit —*: & L. *Fundus* ſub initio ff. *Familiæ erciſcundæ — Nullus caſus intervenire poteſt, qui hoc genus deductionis impediat —*.

Arbitratur Author, quod expenſæ utiles factæ a ſic emente reſtitui ei quidem debeant in foro conſcientiæ, non autem in jure civili. Sed relege quod ſcripſi Annotatione 119., & fortaſſis dices, quod etiam attento jure civili hujuſmodi expenſæ eidem ſunt reſtituendæ.

Placet nunc proferre S. Bernardinum, qui To. 1. ſerm. 34. cap. 5. Authori noſtro in omnibus præluxit ſcribens — Primo autem, ſi ſciebat, & probabiliter credebat eſſe rapinam, tunc ſex modis gravatur emptor. Primo, quia ſemper rem reſtituere obligatur, neque liberatur vendendo, vel qualitercumque alienando: neque amiſſione, vel morte rei: neque ſi auferatur violenter, aut inſcienter de uſu cadat, ſeu quocumque alio interveniente caſu, quin reſtituere teneatur, ſicut infra patebit. Unde emens furtum ſemper tenetur de caſu fortuito, niſi in uno caſu, puta ſi rem Domino tempore, & loco congruo obtuliſſet, & ille recipere noluiſſet: tunc ſiquidem emptor purgaſſet moram ff. *de condictione furtiva* L. *In re furtiva*. Secundo, quia tenetur reſtituere omnes fructus perceptos, & qui intermedio tempore percipi poterant Extra *de reſtitutione Spoliatorum* cap. *Gravis*. Et ſecundum Raymundum intellige fructus, qui ſuperſunt deductis expen-

fis

ſis illis, quæ ſiunt gratia fructuum quærendorum, congregandorum, & conſervandorum, quæ deducuntur tam a malæ, quam a bonæ fidei poſſeſſore ff. *de hæreditatis petitione* L. *Si a Patre*. Tertio, quia reſtituenda res eſt ſecundum optimum ejus ſtatum: puta ſi tempore ſuæ emptionis, vel venditionis, ſive intermedio tempore plus valuit, juxta illud pretium reſtitui debet Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* cap. *Gravis*, ubi de hoc, & ff. *de condictione furtiva* L. *In re furtiva*, & ff. *de rei vindicatione* L. *Si navis* §. *Generaliter*, & ff. *de furtis* L. *In re furtiva*. Hoc tamen intelligendum eſt ſecundum quoſdam, quando res non habetur. Sed ſi res habetur, dicunt ſufficere, quod reſtituat æque bonam, ſicut erat, quando fuit ablata. Item ſecundum Raymundum ſi res melior facta eſt poſtquam illam alteri vendidit, tenetur etiam ad reſtitutionem plurimi ff. *de condictione furtiva* L. *In re furtiva*. Et hoc intellige de ſecundo, tertio, ac ultimo emptore malæ fidei. Quarto, quia non poteſt a Domino rei repetere pretium, quod de re dedit, poſtquam deprehendit rem eſſe ipſius C. *de furtis* L. *Incivilem*. Neque poteſt ſe defendere ratione ſtatuti ſuper hoc editi, cum tale ſtatutum ſit contra Deum 8. diſt. cap. *Quæ contra*, 22. q. 7. cap. *Flagitia*. Quinto, quia non poteſt agere contra venditorem de pretio ſibi dato; obſtat enim ſibi turpitudo ſua; & hoc niſi expreſſe caverit 10. q. 2. cap. *Hoc jus* C. *de rei vindicatione* L. *Si mancipium*. Secundum tamen Alexandrum de Ales in 4. talis poteſt rem emptam reſtituere vendenti, ut recipiat pretium, quod de illa dedit. Magis enim poteſt ſibi providere, quam alii; debet tamen inducere furem ad hoc, ut reſtituat eam vero Domino rei. Sexto, quia perdit expenſas ſuas voluntarias: nam talis contrectando rem alienam furtum committit, & fur ſemper in mora eſt C. *de furtis* L. 2. & ff. *de condictione furtiva* L. *Si pro fure*. Et ſecundum hoc equus furto ſublatus, quantumcumque, & quantiſcumque expenſis a fure melioratus, reſtituendus eſt. Quibuſdam tamen, & ſatis diſcrete apparet, quod licet in forinſeco, judicio, & civili, ſicut dictum eſt, equus talis ſit taliter reſtituendus; tamen de quidditate naturalis juris, & conſcientiæ bonæ videtur dicendum, quod iſte reſtituere debet intereſſe rationabilium expenſarum, per quas equus melioratus eſt, niſi pro quanto civile judicium eſſet inflictum furi illi in pœnam. Idem quoque de conſimilibus dicendum eſſe videtur. Concordat Raymundus —. Hactenus S. Bernardinus.

Secundum Dubium. Utrum ſcienter emens rem raptam, vel furatam, ex ignorantia juris, quia nempe neſciebat eſſe prohibitum talia emere, teneatur ſicut ille, de quo dictum eſt in Dubio præcedenti?

Reſpondent communiter Tractatores, quod ſic: quia talis

lis ignorantia eum non excuſat. Et ſi dicatur, quod ignorantia juris excuſat minorem, mulierem, ruſticum, & militem L. *Cum de indebito* §. *Sin autem* ff. *de probationibus*; dico hoc eſſe verum in iis, quæ mere improbantur jure civili, vel canonico, nam in præceptis hominum, quacumque dignitate refulgeant, nullus contrafaciendo quoad Deum & conſcientiam mortaliter peccat, niſi qui ſcienter, & ex contemptu contra ipſa facit, ut docent Doctores. Sed prohibitio de non emendo rem raptam non ſolum a jure Canonico, & civili; verum etiam a jure naturali originem trahit; & ideo ignorantia juris in hoc neminem excuſat.

(154) Idem ſentiunt Roſella *Reſtitutio ſeptimo* num. 18., Hoſtienſis *de pœnitentiis, & remiſſionibus* ubi *Quid de prædam ementibus*, S. Bernardinus loco proxime laudato, & S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 16. ſcribens — *In hoc tamen non excuſat ignorantia juris, ſcilicet quia credebat eſſe licitum emere ea, quæ quis rapuit*, Extra *de Regulis juris lib. 6. cap. IGNORANTIA* —, Regula ſcilicet 13., quæ eſt hujuſmodi — *Ignorantia facti, non juris excuſat* —. Præſertim quum innitatur principio illi juris naturalis per ſe noto, de quo Gratianus diſt. 1. ſub initio — *Jus naturale eſt, quod in lege, & Evangelio continetur, quo quiſque jubetur alii facere, quod ſibi vult fieri, & prohibetur alii inferre, quod ſibi nolit fieri* —.

TERTIUM DUBIUM. Utrum ignorantia facti craſſa, vel ſupina excuſet ſic ementes: puta dum Epiſcopus excommunicat tales raptores, vel talia ementes: dum quis emit a ſtipendiario Calicem, vel Miſſale: dum omnes vicini credunt eam rem eſſe raptam, vel bellum, unde talia habita ſunt, eſſe injuſtum?

Reſpondet Hoſtienſis, quod ſic emens non excuſatur; & ideo tenetur ſicut ille, de quo dictum eſt in primo Dubio Arguitur L. *Latæ culpæ* ff. *de verborum ſignificatione*, & cap. *Apoſtolicæ* Extra *de Clerico excommunicato miniſtrante*, & 12. q. 2. cap. *Qui & divinis & humanis*, & 16. q. 1. cap. *Si cupis*, & *de ordinatis ab Epiſcopo, qui renun-*

*tiavit*

*tiavit Epiſcopatui* cap. 1. §. finali, & cap. 2. Idem ſimiliter tenet Hoſtienſis de illis, qui dubitant, nec tamen quæſierunt pro poſſe.

(155) En verba Hoſtienſis loco proxime laudato – Quid; ſi ſciebat factum emptor, ſed ignorabat jus, vel ignorantia facti ductus craſſa, & ſupina non probabili, rem raptam emerit? Tenetur in judicio animæ ad reſtitutionem. Ad hoc ſupra *de Clerico excommunicaro miniſtrante* cap. *Apoſtolicæ*. Dicitur autem craſſa, & ſupina ignorantia, quando communiter alii vicini dicebant, & credebant, quod res eſſet de præda, & bello injuſto, ff. *de verborum ſignificatione* L. *Latæ culpæ*, vel quando Eccleſia hoc prohibebat, & tales publice excommunicabat. Unde non excuſatur emptor tali ignorantia ductus, 12. q. 2. cap. *Qui & divinis & humanis*, 16. q. 1. cap. *Si cupis*, Extra *de ordinatis ab Epiſcopo*, *qui renuntiavit Epiſcopatui* cap. 1. §. finali, & cap. 2. Et patet in his, quæ notavi ſupra eo. Sub §. Proximo Verſic. *Quod ſi probabiliter*. Et ſi de hoc nihil cogitabat, quando emit, nec inquiſivit quantum potuit, in culpa eſt, ut ibidem notavi in conſimili caſu –. Hæc Hoſtienſis, qui ſupra eod. titulo, ubi Quid *de rapina*, loquens de bello dixerat – Quod ſi probabiliter dubitat, utrum juſtum ſit, vel injuſtum, ad hoc propter bonum obedientiæ excuſatur 23. q. 1. cap. *Quid culparur*. Secundum Raymundum hoc dicas verum, ſi inquiſivit quantum potuit, & peritiores conſuluit, & ſemper dubius remanſit; alioquin affectator ignorantiæ ſicut non expers ſcientiæ puniretur –. Ignorantia facti vera, & propria ea eſt, quæ excuſat, non craſſa, non ſupina, textu aperto *de ordinatis ab Epiſcopo*, *qui renunciavit* &c. cap. 1. – *Sane ſi ab eodem ſacros ordines ſcienter quis receperit, quia indignum ſe fecit, executionem officii non babebit. Vbi autem non ſcienter, poterit* ( *niſi craſſa, & ſupina fuerit ignorantia* ) *diſcretus Pontifex diſpenſare* –. Veriſſimum quippe eſt, quod ſcribitur ff. *de verborum ſignificatione* L. 223. – *Latæ culpæ finis eſt, non intelligere id, quod omnes intelligunt* –. In re nimium perſpicua aliis legibus producendis ſuperſedeo.

Quartum Dubium. Utrum emens rem raptam, vel ſurto habitam, ignoranter, & bona fide, neſciens quod eſſet res rapta, teneatur ſicuti ſupradicti?

Reſpondeo, quod non; bona enim fides quinque ipſi confert. Primum, quod bona fide durante numquam tenetur eam reſtituere L. 2. C. *de furtis*. Secundum, quod non tenetur reſtituere fructus conſumptos durante bona fi-

 de,

de, ſed ſolum extantes, quando ſcit rem fuiſſe raptam L. *Fructus*, & L. *Ex diverſo* §. finali ff. *de rei vindicatione*, vel in quo factus eſt locupletior, ut in Regula poſita Dubio *33*. tit. 4. Tertium, quod, ſi durante bona fide dictam rem alienavit vendendo, vel alio modo, non tenetur reddere pretium, ſed ſolum lucrum, ſi extat, vel illud, in quo factus eſt locupletior. Quod ſi nullum fuit lucrum, vel ſi fuit, per ipſum tamen non fuit factus locupletior, non tenetur ad aliquid L. *Nam hoc natura* ff. *de condictione indebiti*. Quartum, quod ſi res periit, non tenetur aliquid Domino reſtituere. Quintum, quod ſi Judice ſententiante reſtituerit eam, in foro contentioſo habebit actionem contra venditorem, ut ab hoc ſervetur indemnis cap. *Vulteranæ* 12. q. 2. Non autem ſi eam reſtitueret ad imperium Sacerdotis L. *Si rem* 1. ff, *de evictionibus*. Conſulendum iccirco eſt ei, ut faciat ſe citari in judicio a Domino rei, tunc enim poterit venditori annunciare, ut ipſum defendat, & ſervet indemnem. In conſcientia autem, qualitercumque rem Dominum reſtituerit, venditor tenetur ei cap. finali Extra *de emptione & venditione*.

(156) Et in hanc doctrinam conſentiunt Anthores omnes, quorum ſupra memini Annotatione 154. Unum profero S. Bernardinum eo loci, cap. ſcilicet 5. ſerm. 34. To. 1. ſcribentem -- Secundo autem modo rapinam emit, ſcilicet ut pro commodo ſuo haberet: & tunc, ſi probabiliter non credebat rem illam fuiſſe raptam, ut quia omnes vicini, vel major pars ita credebant, neque aliud veriſimiliter extimari debebat: tunc hæc bona fides quatuor ſibi confert. Primo, quia durante bona fide, & conſcientia non decepta, rem illam reſtituere non tenetur. Sed ſi poſtea noverit rem illam fuiſſe raptam, quia bellum credebat juſtum, & reperitur injuſtum: tunc reſtituere obligatur C. *de furtis* L. 2. Tenetur etiam exiſtentes ſatisfacere fructus. De conſumptis autem non tenetur propter bonam fidem, ut L. *Fructus*, & L. *Si ex diverſo* §. finali ff. *de rei vindicatione*. Secundo, quia poteſt rem vendere, & alienare bona fide durante. Sed ſi aliquod lucrum ex venditione rei conſecutus eſt, debet illud reſtituere Domino venienti ff. *de condictione indebiti* [illegible] *Nam & hoc natura*. Tertio, quia non tenetur reſtituere in fortuit[illegible] durante ſcilicet bona fide; ſi enim interim pereat ſine

ſine culpa ſua, in nullo tenebitur Domino reſpondere. Quarto, quia poſt reſtitutionem rei, ſi eam fecerit Judice ſententiante, de pretio, quod dedit, contra venditorem agere poteſt, ut ipſum ſervet indemnem 12. q. 2. cap. *Vulteranæ*. Aliter enim minime poſſet. Unde dicat emptor Domino rei, quod ipſum ad judicium trahat, & poſtquam citatus fuerit, denuntiet venditori, quod compareat, atque defendat rem ipſam: & ſi res tunc ab eo evincitur, venditor tenebitur de evictione, niſi tempore dandæ ſententiæ emptor per contumaciam fuiſſet abſens; vel niſi per injuriam Judicis fuiſſet ſententia lata, Extra *de emptione & venditione* cap. finali. Si autem ad Sacerdotis præceptum hoc fecerit in conſcientiæ foro, in eodem quoque foro venditor inducendus eſt, ut ipſum conſervet indemnem. Arguitur Extra de emptione & venditione cap. finali — Hactenus S. Bernardinus. En cap. ult. *de emptione & venditione*, quod eſt Gregorii IX. — *Si venditori poſt inſtitutum contra ſe judicium quis omiſerit, ut rem venditam ſibi defenderet, nunciare, vel contumaciter abſuit tempore ſententiæ promulgatæ, ſeu per injuriam ſententia lata fuit, de evictione juxta legitimas functiones agere non valebit* — Cave interim, ſi legis editionem S. Antonini Lugduni factam a Vincentio de Portonariis an. 1542. In ea part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 16. de hoc eodem caſu ſcriptum eſt — *Si vero emit bona fide, & diligentia adhibita, non tenetur reſtituere durante bona fide, & emendo ut pro commodo ſuo haberet: tamen peccat* —. Non ita ſentit eximius ille Doctor: probe ſciens, peccatum non eſſe niſi ſit volitum, & non eſſe volitum niſi præcognitum. Jure quapropter Inno. III. Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* cap. 13. — *Quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam* — Lege igitur cum poſtrema ejuſdem editione Veronenſi an. 1740. — *Si vero emit bona fide ...., & emendo ut pro commodo ſuo haberet, non peccat*.

Quid autem, ſi iſte, quando emit erat in bona fide, nec habebat cauſam dubitandi: tamen poſt emptionem illius rei incipit dubitare, quia dicitur in Civitate, quod talis res fuit furto ſubtracta: an ſi vendat talem rem tali dubitatione durante teneatur poſtea Domino venienti reſtituere pretium? Quæſtio eſt quotidiana. Et dici poteſt, quod ſi illam rem vendidit durante illa dubitatione, & non habebat certitudinem, vel probabilitatem, quod eſſet furto ſubtracta, non tenetur ad reſtitutionem pretii: quia adhuc non erat in mala fide. De hoc eſt textus optimus in cap. *Si virgo* 34. q. 2., ubi dicitur quod — *Quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſime dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum: cum vero ſcierit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei poſſeſſor perbibebitur* —. Hæc omnia Roſella ver. *Reſtitutio primo* num. 19., cujus deciſio fundatur ſuper communi illa Theologorum doctrina, quod aliud eſt loqui de initio bonæ fidei, aliud vero de ejuſdem bonæ fidei proſecutione. Ad primum requiritur moralis certitudo, & cujuſcumque dubitationis excluſio: quoniam ſi tunc dubitas, an res illa tua ſit, vel aliena, non es poſſeſſor bonæ fidei, nec bonam fidem inchoa-

re potes; non eſt enim potior ratio, cur tu rem potius poſſideas quam alter, & iccirco eam tibi ipſi vindicans alteri facis injuriam. Ad ſecundum ſatis eſt, quod non habeas conſcientiam rei alienæ, ſeu ignores te poſſidere alienum; purum enim putumque dubium ſuperveniens non tollit bonam fidem juſte inchoatam, quia in pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis juxta Regulam 65. de Regulis juris in Sexto. Verum quidem eſt, quod ſic dubitans etiam bona fide inchoata tenetur dubium expendere, ejuſque momenta. Sed caſus ſupponit dubitantem id peregiſſe, nec inveniſſe motivum ſufficiens judicandi rem vere eſſe alienam, & furto ſublatam. Quod ſi examinando deprehenderit rem vere eſſe alienam, & furatam, eamque apud ſe adhuc habeat, extemplo tenetur eam ex integro vero Domino reſtituere cum fructibus extantibus: ſecus ſtatim incipit eſſe poſſeſſor malæ fidei, iiſque omnibus obnoxius, quæ Dubio 1. hujus tit. declarata ſunt. Et quod pluris facio, non poteſt quicquam vel minimum petere a Domino rei præter expenſas, de quibus dictum eſt eodem Dubio 1.; hunc quippe ſpecialem caſum reſpicit L. *Incivilem* C. *de furtis*, quæ jam ſupra fuit producta, & quam iterum recitare non erit abs re — *Incivilem rem deſideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit ſolutum a Dominis* —. Rationem adfert Gennetus de contractibus in particulari cap. 4. q. 2. —. Quia ille, qui a latrone emit, nullum jus in re empta habet, cum illius dominium nulliter in eum fuerit translatum a non Domino, qui idcirco nullum jus ſuper ea re conferre poterat: quia ut dicitur in Regula Juris Canonici (Regula 79. Juris in Sexto) — *Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur* — Hæc ille.

Sed quid ſi dum rem illam emit, dubitabat eam eſſe furto ſublatam? Reſpondet Sylvius in 2. 2. q. 62. art. 6. quæſito 3. concluſ. 7. ſcribens — Qui dubitans rem eſſe furtivam, nihilominus illam ſibi emit, peccat mortaliter & tenetur diligenter inquirere, an vere furtiva ſit: quo comperto debet eam cum fructibus etiam conſumptis reſtituere illi, ad quem pertinet, neque poteſt eam venditori reddere —. Quod hic mortaliter peccet, perſpicuum eſt; exponit enim ſe evidenti periculo retinendi rem alienam cum alterius injuria. Quod teneatur reſtituere etiam fructus conſumptos, & hoc manifeſtum eſt: quia non eſt bonæ, ſed malæ fidei poſſeſſor, & hac de cauſa tenetur ad reſtitutionem, etiamſi illam gratuito, ac liberali dono alteri dediſſet: aut alteri vendidiſſet: aut caſu periiſſet: aut ipſi per rapinam fuiſſet ablata. Quid interim aget, ſi debita indagine facta Dominum invenire nequeat? Dubio procul rem ſibi retinere nequit, quia nec eſt, nec unquam fuit bonæ fidei poſſeſſor. Pro rata igitur dubii eam pauperibus diſtribuat.

Quintum Dubium. Utrum emens rapta, vel furata,

non

non ut ea retineat, ſed ut ea Domino reſtituat, quia alias non poſſet ea habere, aut non adeo facile, aut ſaltem non pro tam parvo pretio, poſſit pretium, quo ea emit, a vero Domino repetere?

Reſpondeo quod ſic: quia utiliter geſſit negotium Domini, cujus res erat: nec ſolum pretium, quod dedit, poteſt repetere, ſed etiam intereſſe expenſarum moderatarum; niſi habuiſſet utilitatem ex ipſa re, quia tunc debet compenſare fructus rei cum expenſis & pretio. Arguitur ff. *de negotiis geſtis* L. *Sed an ultro* §. 1., & cap. *Cum dilecti* Extra de accuſationibus §. finali. Nec committit furtum taliter contrahendo de re alterius L. *Falſus* §. 2. ff. *de furtis* immo ſi res periret ſine ſua culpa, aut eam amitteret, non teneretur ad aliquid. Concordant Hoſtienſis, & Monaldus tit. *Reſtitutio ſeptimo*. Nota tamen, quod in foro contentioſo non creditur tali emptori, niſi publice proteſtatus fuerit, quod hac intentione emerit. Arguitur ff. *de negotiis geſtis* L. Neſennius, & C. *de furtis* L. 2., & cap. unico Extra *Ut Eccleſiaſtica beneficia*. Secus tamen eſt in conſcientia.

(157) Brevibus S. Raymundus lib. 2. tit. de raptoribus §. 22. ſcribens — *Si vero emit aliquis bona fide a raptore, vel ab alio rem de rapina, vel furto, bona ſcilicet intentione, non ut ſibi lucraretur, ſed ut ſpoliato reſtitueret: poteſt a ſpoliato repetere illud, quod dedit pro ipſa re bona fide, & etiam quidquid expendit poſtea ad conſervationem illius rei: niſi forte cum ipſa re lucratus eſſet aliqua, unde facere poſſet dictas expenſas. Et breviter quidquid ſibi adeſt ex illa re reſtituere tenetur: quidquid ſibi abeſt poteſt repetere. Ratio autem, quia iſte poteſt repetere, eſt quia geſſit utiliter negotium abſentis ſpoliati* —. Idem uno ore docent, & conſtituunt S. Antoninus, S. Bernardinus, Hoſtienſis, & Roſella locis ſupra laudatis. Adjicit nihilominus Roſella — *Hoc quidam dicunt verum, & bene, quando res redempta fuit parvo pretio. Alias ceſſat ratio hujus redemptionis, & conſequenter effectus* —. Animadverſio iſthæc mihi non diſplicet; immo ſummopere placet: quia emens rem furatam, tametſi bona intentione, animoque eam reddendi Domino, pretio ſummo, vel quaſi ſummo, utiliter non gerit negotium Domini, ſed Dominum potius gravat, qui decurſu temporis

forte

forte eam poterat minori pretio recipere. Hoc idem ſupponere videtur Author noſter, qui icc irco conſulto in ipſa interrogatione poſuit — *aut ſultem non pro tam parvo pretio* —.

Quid interim juris, ſi res iſthæc caſu pereat Domino nondum invento? Anne ſic emens adhuc poterit repetere & pretium, & expenſas, ſi poſtmodum reperiat Dominum? Ita profecto reſpondit Hoſtienſis ſcribens — *Et ideo totum poterit recuperare pretium, & intereſſe ſuum, etiamſi res ſine culpa ſua perimatur, vel amittatur, ut tamen quicquid percepit ex tali re, vel occaſione ipſius totum compenſet uſque ad quantitatem concurrentem* —. Idem poſt Hoſtienſem conſtituit Aſteſanus lib. 1. tit. 32. art. 9. ubi *Sed numquid ſatisfaciens*. Ratio poteſt eſſe: quia utiliter geſſit negotium Domini: quia rem retinuit nomine Domini, non proprio; & icc irco ſi periit, Domino periit: quia damnum ſentire non debet ex eo quod ſola pietate ductus utilitatem alterius procuravit: quia demum per accidens eſt, quod utilitas Domini non ſit ſecuta. Id perſpicuum eſt in L. *Sed an ultro* ff. *de negotiis geſtis* — *Juxta hoc eſt & quod Julianus ſcribit, eum, qui inſulam fulſit, vel ſervum ægrotum curavit, habere negotiorum geſtorum actionem, ſi utiliter hoc faceret, licet eventus non ſit ſecutus* —.

SEXTUM DUBIUM. Utrum emens, de quo ſupra, ad aliquid teneatur, ſi non poſſit invenire Dominum?

Reſpondeo, quod ſic: nam, poſtquam diligentem fecit inquiſitionem, nec invenit cujus erat, tenetur dare pauperibus quidquid res ipſa valet, deducto tamen pretio ab eodem erogato, deductis pariter expenſis neceſſariis. Et hoc publice faciat ſecundum conſilium Raynerii pro anima illius, cujus res erat, ut ſic omnis ſuſpicio vitetur, & tunc erit liberatus. Arguitur 12. q. 2. cap. *Quatuor*. Concordant Hoſtienſis, & Monaldus ubi ſupra.

(158) En verba Hoſtienſis de pœnitentiis & remiſſionibus, ubi *Quid de prædam ementibus* in fine — Quid ſi non poteſt reperiri Dominus rei, vel neſcitur ubi ſit? Erogetur pauperibus de conſilio Diœceſani, & hoc etiam publice fiat præmiſſo banno in Eccleſia, & diligenti inquiſitione facta, ut omnis ſuſpicio evitetur. Arguitur in proxime ſupra inductis juribus, & ſupra *de clandeſtina deſponſatione* cap. Cum *inhibitio*, & *qui matrimonium accuſare poſſunt* cap. *Cum in tua*. Et ſi hoc facto non inveniatur, cujus ſit res, liberabitur dando pauperibus ut ſupra pro anima illius, cujus res eſt: quia in hoc utiliter geritur negotium ſuum, Arguitur 12. q. 2. cap. *Quatuor* cir-

ca

Digitized by Google

ea finem –. Hactenus Hoſtienſis. Non adſerit quidem Hoſtienſis, quod de-deducere prius poſſit & pretium erogatum, & expenſas neceſſarias ab ipſo factas. Sed hoc expreſſe ſcripſerunt S. Bernardinus, & S. Antoninus – *Si autem talis emptor, poſtquam fecit diligenter inquiri, non potuit reperire, cujus res erat: tunc quicquid res illa valet, ultro id quod emptori ipſi debetur, pro anima illius, cujus extiterat, res pauperibus eroganda eſt* –. Ita S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 34. cap. 5. – *Si autem talis emptor poſtquam fecit diligenter inquirere, & non potuit invenire, cujus eſſet illa res: quidquid valet, ultra id quod expendit pro ipſa re, dandum eſt pro anima illius, cujus fuit, & ſic liberatus eſt* –. Ita S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 16. Ratio eſt manifeſta: quia ſi hæc omnia ipſi debentur etiam invento Domino, ut ſupra fuit oſtenſum, potiori jure eidem non ſunt deneganda, dum loco Domini ſuccedunt pauperes. Immo addit S. Antoninus – *Si eſſet pauper, poſſet a Prælato etiam ei ut pauperi relinqui illud plus pretio ſoluto* –. Eadem lege penes Aſteſanum articulo proxime laudato.

Septimum Dubium. Utrum emens res Eccleſiæ, teneatur eas reſtituere?

Reſpondet Petrus Caſuel tit. *de rebus Eccleſiæ non alienandis*, quod ſic, ſi male emit, ſcilicet non ſervata forma, quæ ponitur 12. q. 2. cap. *Sine exceptione*, & Extra *de probationibus* cap. *Tertio*, & *de rebus Eccleſiæ non alienandis* cap. *Dudum* Lib. 6. Et non ſolum res ipſas, ſed etiam fructus reſtituere tenetur: nec poteſt pretium, quod dedit ab Eccleſia repetere, niſi converſum fuerit in utilitatem Eccleſiæ cap. *Quod quibuſdam* Extra *de Fidejuſſoribus*, & 12. q. 2. cap. *Vulteranæ*, & Extra *de rebus Eccleſiæ alienandis* cap. *Ad audientiam*. Poterit tamen contra alienantem habere regreſſum, ſi hic habet aliquid, quod non ſit de Eccleſia, & ipſe emit bona fide: quoniam, ſi emit mala fide, id ipſi non licet, niſi res verſa ſit in utilitatem Eccleſiæ, in Authentica *de non alienandis, aut permutandis rebus Eccleſiaſticis* cap. *Quia vero* §. *Si quis*. Concordant Bartholomæus Brixienſis 10. q. 2. Goffredus, & Hoſtienſis.

(159) Eccleſiaſtici rerum non ſunt Eccleſiaſticarum Domini, ſed rebus Eccleſiæ utuntur tamquam iiſdem unice commendatis, ſicuti loquitur

Leo

Leo Summus Pontifex 12. q. 2. cap. *Sine exceptione* §. 1. inquiens — *Epiſcopus rebus Eccleſiæ tamquam commendatis, non tamquam propriis utatur* —. Non poſſunt igitur ea vendere, & abalienare, niſi ſervata forma, ſeu ſervatis ſolemnitatibus ab Eccleſia præſtitutis, quæ ſunt quatuor, & recenſentur a Lucio Ferraris ver. *Alienare* art. 2. num. 5. & ſeq. hiſce verbis — Prima, quod præcedat tractatus capitularis, ideſt Prælatus cum Capitulo, vel Conventu conſultet, an expediat talem rem alienare, nec ne cap. *Sine exceptione*, cap. *Tua Nuper* 8. *de his quæ ſiunt a Prælato*, cap. 1. hoc tit. in Sexto. Secunda, quod adſit conſenſus totius Capituli, vel ſaltem majoris, aut ſanioris partis ipſius cap. *Sine exceptione* 12. q. 2., & cap. *Ut ſuper* 8. §. finali hoc tit., ubi habentur præciſa verba — *De fratrum ſuorum, & ſenioris partis conſilio, & conſenſu* —. Tertia, quod fiat ſubſcriptio a Capitularibus cap. 1. *de his quæ ſiunt a Prælato*, ubi expreſſe dicitur — *Irrita erit Epiſcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Eccleſiaſticæ abſque collaudatione, & ſubſcriptione Clericorum* —. Quarta, quod interveniat conſenſus Superioris talis Eccleſiæ, & conſenſus Summi Pontificis cap. 2. hoc tit. in Sexto, & citat. Extravag. *Ambitioſæ*. Conſenſus autem Patroni non requiritur ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum, ſi accedat auctoritas, & Beneplacitum Summi Pontificis, cum ipſi Patroni in rebus, quas Eccleſiis conferunt, nullam habeant poteſtatem, ut expreſſe habetur cap. *Noverint* 10. q. 1. ex Concil. Toletano IV. his verbis — *Noverint Conditores Baſilicarum in rebus, quas eiſdem Eccleſiis conferunt, nullam ſe poteſtatem habere, ſed juxta Canonum inſtituta ſicut Eccleſiam, ita & dotem ejus ad ordinationem Epiſcopi pertinere* —, & cap. *de rebus* 12. q. 1., & ſic Rota Romana part. 9. To. 1. deciſ. 144. num. 9., Anaclet., Pirhing. hoc tit. num. 61., cum aliis paſſim — Hæc ille, ſuper quibus hæc invenio addita ex aliena manu — *Solemnitatibus requiſitis in alienatione rerum Eccleſiæ, de quibus agit Author a num. 5. ad fin., aliqui addunt ſubhaſtationem, moti Authent. HOC IUS PORRECTUM C. DE SACROSONCTIS ECCLESIIS. Nulla vero hujus requiſiti occurrit mentio in Jure Canonico, ſecundum quod hodie in alienandis rebus Eccleſiæ proceditur. Quocirca neceſſaria haud eſt ſubhaſtatio in alienatione rerum Eccleſiæ. Brunemann. in d. Authen. HOC IUS PORRECTUM num. 14. & ſeq., Bohemer. in Decretal. lib. 3. tit. 13. §. 46.* —.

Accipe quod pro conſenſu Romani Pontificis ſancitum fuit a Gregorio X. *de rebus Eccleſiæ non alienandis* cap. 2. in Sexto *Hoc conſultiſſimo prohibemus Edicto, univerſos, & ſingulos Prælatos Eccleſias ſibi commiſſas, bona immobilia, ſeu jura ipſarum Laicis ſubmittere, ſubjicere, ſeu ſupponere abſque Capituli ſui conſenſu, & Apoſtolicæ Sedis licentia ſpeciali* —: & quod Paulus II. Venetus Extravag. *Ambitioſæ*. cap. unico præſtituit ſuper eadem re — *Alienanti vero bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconſulto Romano Pontifice, aut contra præſentis Conſtitutionis tenorem, ſi Pontificali, ſeu Abbatiali præfulgeat dignitate, ingreſſus Eccleſiæ ſit penitus interdictus* —.

Quod

Digitized by Google

Quod non ſervatis recitatis hiſce ſolemnitatibus alienatio ſit ipſo facto nulla, & irrita, firmatur id tum jure Canonico, tum Civili. Canonico quidem: quoniam Gregorius X. cap. nunc memorato decrevit — *Contractus autem omnes etiam juramenti, pœnæ, vel alterius cujuslibet firmitatis adjectione vallatos (quos de talibus alienationibus ſine hujuſmodi licentia, & conſenſu contigerit celebrari) & quicquid ex eis ſecutum fuerit, decernimus adeo viribus omnino carere, ut nec jus aliquod tribuant, nec præſcribendi etiam cauſam parent* —: & Paulus II. cap. itidem laudato — *Si quis autem contra hujus noſtræ prohibitionis ſeriem de bonis, & rebus eiſdem quicquam alienare præſumpſerit, alienatio, hypotheca, conceſſio, locatio, conductio, & infeudatio hujuſmodi, nullius omnino ſint roboris, vel momenti. Et tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, ſententiam excommunicationis incurrat* —. Civili item jure; Juſtianus enim Imperator in Authentica *de non alienandis, aut permutandis rebus Eccleſiaſticis* cap. *Quia vero Leonis*, tum ante §. primum, tum ipſo §. 1. hæc ſancivit egregia — *Si quis igitur emere præſumpſerit rem Eccleſiaſticam, aut ptochicam: cadat quidem mox pretio: exigatur autem res, quam accepit, cum omni medii temporis incremento: & contra ſanctiſſimam quidem Eccleſiam, aut venerabilem domum, nullam omnino habeat actionem: contra venerabiles vero Oeconomos, aut qui omnino vendiderunt, in propriis eorum ſubſtantiis ex contractu habeat actionem: ut metu ſuæ ſubſtantiæ, etſi non propter Dei timorem, tamen ſegniores circa venditionem fiant. Si quis autem per donationem accipere præſumpſerit rem Eccleſiaſticam, aut ptochicam: & ipſo, quod datum eſt, omnino cadat; & aliud tantundem ex ſua ſubſtantia repenſet Sanctiſſimæ Eccleſiæ, aut venerabili domui, ex qua hoc ſuſcepit: ut quam niſus eſt agere contra eam novitatem, hanc ſibimet in propriis exhibens, ſuam ſentiat malignitatem* —.

Excipiuntur illa, de quibus Agathenſe Concilium in cap. *Terrulas* 12. q. 2. quæ ſola Epiſcopi facultate alienari poſſunt — *Terrulas, aut vineolas exiguas, & Eccleſiæ minus utiles, aut longe poſitas, & parvas, Epiſcopus ſine conſilio Fratrum (ſi neceſſitas fuerit), diſtrahendi habeat poteſtatem* —. Huic enim Canoni derogatum non eſt a Paulo II. in Extravag. *Ambitioſæ*, neque a Concilio Trident. Seſſ. 25. cap. 11., prout declaravit S. Congregatio Concilii 11. Januarii 1596., & animadvertit Ferraris ver. *Alienare* art. 3. num. 2. — Terrulæ autem (proſequitur Ferraris ibidem) & res modici valoris ſunt, quæ non æſtimantur ultra viginti ſolidos ſecundum Gloſſam in dict. cap. *Terrulas*, & ut cenſuit S. Congregatio Epiſcop. & Regular. in una Faventina 22. Maji 1611., in qua viginti ſolidos ad ſcuta viginti quinque aurea aſcendere declaravit: & in una Meſſanenſi 29. Novembris 1613., ubi aſſeruit ſic etiam declaraſſe Paulum V. & in Barenſi in reſponſione Archiepiſcopo viſitanti ſacra Limina die 12. Aprilis 1698. dixit — *Non poſſe Epiſcopum concedere facultatem ultra vigintiquinque ſcuta aurea* —, Et ſcutum aureum conſtituitur ex Paulis ſexdecim, & ſecundum hanc computa-

# Tertius decimus Titulus qui eſt de emptione, & venditione, continet quæſtiones decem, ſeu decem Dubia.

Primum Dubium. Utrum ſcienter emens rem raptam, vel furatam, teneatur?

Reſpondeo, quod, ſive primus ipſe ſit, vel ſecundus, vel tertius, vel quicumque alius uſque in infinitum, idem enim juris eſt ac ſi eſſet primus ff. *de Minoribus* L. *Sed ubi*, & ff. *de hæreditatis petitione* L. *Sed & ſi lege* §. *Perinde*, tenetur ad quinque. Primo, reſtituere rem emptam ſecundum Petrum Caſuel tit. *de furtis*, & tenetur, licet habeatur ſtatutum, quod, quando emitur publice in mercatu, vel hujuſmodi ſit ementis: nec eam ſine mortali poteſt tenere, quando ſcitur Dominus ſecundum Hoſtienſem. Arguitur 12. q. 2. cap. *Vulteranæ*, & ff. *de furtis* L. 1. in fine. Secundo, tenetur reſtituere fructus perceptos, & qui percipi potuerunt intermedio tempore cap. *Gravis* Extra *de reſtitutione ſpoliatorum*: exceptis expenſis, de quibus in Regula poſita Dubio 31. tit. 4. Tertio, ſi rem non habet, quia eam vendidit, vel aliter quocumque modo alienavit, aut amiſit, vel quia res periit tam naturaliter, quam violenter quocumque caſu, tenetur reſtituere pretium rei ſecundum optimum ipſius ſtatum, & ſecundum quod plus valuit poſtquam ab ipſo fuit empta, dicto cap. *Gravis*, & L. *In re furtiva* ff. *de condictione furtiva*, & ff. *de rei vindicatione* L. *Si navis* §. *Generaliter*. Excipitur caſus, quando rem obtulit Domino loco, & tempore, & hic eam recipere recuſavit, tunc enim purgavit moram, dicta L. *In re furtiva*. Et ideo, ſi periret, vel deterior fieret ſine ſua cul-

culpa, non teneretur. Quarto, non poteſt petere pretium a Domino rei L. *Incivilem* C. *de furtis*, etiamſi ſtatutum eſſet, quod poſſet petere: quia illud ſtatutum eſſet contra bonos mores, 8. diſt. cap. *Quæ contra*. Item non poteſt pretium petere a venditore in foro contentioſo, niſi expreſſe caverit L. *Si Mancipium* C. *de rei vindicatione*. Secus tamen in conſcientia: quia bene poſſet a venditore pretium recipere, & rem eidem tradere, ſeu reſtituere; poteſt enim potius ſibi conſulere quam alteri ſecundum Alexandrum de Ales in 4. Quinto, perdit expenſas voluntarias factas in dicta re ſecundum forum contentioſum, exceptis illis de quibus in præfata Regula poſita Dubio 31., de quo jam. Secus tamen in foro conſcientiæ, nam in conſcientia poteſt eas & petere, & recipere, ſicuti dictum eſt de fure, & raptore Dubio 6. tit. 11.

(153) Quod idem ſit juris, ſive poſſeſſor primus ipſe ſit, ſive ſecundus &c; apertæ ſunt leges ab Authore laudatæ — *Sed ubi reſtitutio datur, poſterior emptor reverti ad auctorem ſuum poterit — Per plures quoque perſonas, ſi emtio ambulaverit, idem juris erit* — L. *Sed ubi* ff. *de Minoribus* — *Unde ſi ſit alius poſſeſſor, ab utroque hæreditas peti poſſit: & ſi per multos ambulaverit poſſeſſio, omnes tenebuntur* — §. *Perinde* L. *Sed & ſi lege* ff. *de hæreditatis petitione*.

Quod ſtatim atque quis in cognitionem venit Domini alicujus rei, teneatur eam ipſi reſtituere, notoria res eſt jure omni firmata, & ex ipſa colligitur definitione furti, quam legimus Inſtitut. *de obligationibus, quæ ex delicto naſcuntur* §. 1. — *Furtum eſt contrectatio fraudoloſa, lucri faciendi gratia, vel ipſius rei, vel etiam uſus ejus, poſſeſſioniſve, quod lege naturali prohibitum eſt admittere* —, quamque legere etiam eſt ſervato ipſo litterarum cortice §. *de furtis* L. 1. in fine.

Quod reſtitui debeant & fructus percepti, & qui a Domino percipi honeſte potuerunt, id aperte ſancivit Cœleſtinus III. cap. *Gravis* Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* — *Proviſuri, ut non tantum fructus a novo, & violento poſſeſſore perceptos, ſed quos (ſi eis poſſidere fuiſſet licitum) poſſeſſores veteres percepiſſent, reddi faciatis eiſdem* —.

Quod, dum res periit, vel abalienata eſt, reſtitui ipſa debeat ſecundum majorem valorem, quem habuit, perſpicue docetur L. *In re furtiva* §. 1. ff. *de condictione furtiva* — *Si ex cauſa furtiva res condicatur, cujus temporis*

Digitized by Google

*poris æſtimatio fiat, quæritur. Placet tamen id tempus ſpectandum, quo res unquam plurimi fuit: maxime cum deteriorem rem factam fur dando non liberetur* —,

Quod excipi debeat caſus, in quo fur, vel emens ſcienter rem furatam, eam Domino obtulerat, & hoc habetur in ead. L. ſub initio — *Et, ſi quidem obtulit fur, ſine dubio nulla erit condictio: ſi non obtulit, durat condictio æſtimationis ejus* —.

Quod ſic emens non poſſit petere pretium a Domino rei, textu docetur aperto L. *Incivilem* C. *de furtis* — *Incivilem* ( id eſt *contra jus* notat Gloſſa ibidem ) *rem deſideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit ſolutum a Dominis. Curate igitur cautius negotiari, ne non tantum in damna hujuſmodi, ſed etiam in criminis ſuſpicionem incidatis* —.

Quod in jure civili nec poſſit pretium a venditore repetere, eruitur ex L. *Si mancipium* C. *de rei vindicatione* — *Si mancipium tuum per vim, vel furtum ablatum, alii ex nulla juſta cauſa diſtraxerunt, vindicanti tibi dominium ſolvendi pretii nulla neceſſitas irrogetur* —: quia, ut notat Salicetus eidem legi præfixus — *Emptori rei non reſtituitur pretium in utilitatem vindicantis non converſum* —.

Quod nihilominus poſſit repetere expenſas neceſſarias, quas fecit, & hoc expreſſum habemus ff. *de hæreditatis petitione* L. *Si a Domino* §. ult. — *Fructus intelliguntur deductis impenſis, quæ quærendorum, cogendorum, conſervandorumque eorum gratia fiunt. Quod non ſolum in bonæ fidei poſſeſſoribus naturalis ratio expoſtulat, verum etiam in prædonibus, ſicut Sabino quoque placuit* —: & L. *Fundus* ſub initio ff. *Familiæ erciſcundæ* — *Nullus caſus intervenire poteſt, qui hoc genus deductionis impediat* —.

Arbitratur Author, quod expenſæ utiles factæ a ſic emente reſtitui ei quidem debeant in foro conſcientiæ, non autem in jure civili. Sed relege quod ſcripſi Annotatione 119., & fortaſſis dices, quod etiam attento jure civili hujuſmodi expenſæ eidem ſunt reſtituendæ.

Placet nunc proferre S. Bernardinum, qui To. 1. ſerm. 34. cap. 5. Authori noſtro in omnibus præluxit ſcribens — Primo autem, ſi ſciebat, & probabiliter credebat eſſe rapinam, tunc ſex modis gravatur emptor. Primo, quia ſemper rem reſtituere obligatur, neque liberatur vendendo, vel qualitercumque alienando: neque amiſſione, vel morte rei: neque ſi auferatur violenter, aut inſcienter de uſu cadat, ſeu quocumque alio interveniente caſu, quin reſtituere teneatur, ſicut infra patebit. Unde emens furtum ſemper tenetur de caſu fortuito, niſi in uno caſu, puta ſi rem Domino tempore, & loco congruo obtuliſſet, & ille recipere noluiſſet: tunc ſiquidem emptor purgaſſet moram ff. *de condictione furtiva* L. *In re furtiva*. Secundo, quia tenetur reſtituere omnes fructus perceptos, & qui intermedio tempore percipi poterant Extra *de reſtitutione Spoliatorum* cap. *Gravis*. Et ſecundum Raymundum intellige fructus, qui ſuperſunt deductis expen-

ſis

Digitized by Google

fis illis, quæ ſunt gratia fructuum quærendorum, congregandorum, & conſervandorum, quæ deducuntur tam a malæ, quam a bonæ fidei poſſeſſore ff. *de hæreditatis petitione* L. *Si a Patre*. Tertio, quia reſtituenda res eſt ſecundum optimum ejus ſtatum: puta ſi tempore ſuæ emptionis, vel venditionis, ſive intermedio tempore plus valuit, juxta illud pretium reſtitui debet Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* cap. *Gravis*, ubi de hoc, & ff. *de condictione furtiva* L. *In re furtiva*, & ff. *de rei vindicatione* L. *Si navis* §. *Generaliter*, & ff. *de furtis* L. *In re furtiva*. Hoc tamen intelligendum eſt ſecundum quoſdam, quando res non habetur. Sed ſi res habetur, dicunt ſufficere, quod reſtituat æque bonam, ſicut erat, quando fuit ablata. Item ſecundum Raymundum ſi res melior facta eſt poſtquam illam alteri vendidit, tenetur etiam ad reſtitutionem plurimi ff. *de condictione furtiva* L. *In re furtiva*. Et hoc intellige de ſecundo, tertio, ac ultimo emptore malæ fidei. Quarto, quia non poteſt a Domino rei repetere pretium, quod de re dedit, poſtquam deprehendit rem eſſe ipſius C. *de furtis* L. *Incivilem*. Neque poteſt ſe defendere ratione ſtatuti ſuper hoc editi, cum tale ſtatutum ſit contra Deum 8. diſt. cap. *Quæ contra*, 22. q. 7. cap. *Flagitia*. Quinto, quia non poteſt agere contra venditorem de pretio ſibi dato; obſtat enim ſibi turpitudo ſua; & hoc niſi expreſſe caverit 10. q. 2. cap. *Hoc jus* C. *de rei vindicatione* L. *Si mancipium*. Secundum tamen Alexandrum de Ales in 4. talis poteſt rem emptam reſtituere vendenti, ut recipiat pretium, quod de illa dedit. Magis enim poteſt ſibi providere, quam alii; debet tamen inducere furem ad hoc, ut reſtituat eam vero Domino rei. Sexto, quia perdit expenſas ſuas voluntarias: nam talis contrectando rem alienam furtum committit, & fur ſemper in mora eſt C. *de furtis* L. 2. & ff. *de condictione furtiva* L. *Si pro fure*. Et ſecundum hoc equus furto ſublatus, quantumcumque, & quantiſcumque expenſis a fure melioratus, reſtituendus eſt. Quibuſdam tamen, & ſatis diſcrete apparet, quod licet in forinſeco, judicio, & civili, ſicut dictum eſt, equus talis ſit taliter reſtituendus; tamen de quidditate naturalis juris, & conſcientiæ bonæ videtur dicendum, quod iſte reſtituere debet intereſſe rationabilium expenſarum, per quas equus melioratus eſt, niſi pro quanto civile judicium eſſet inflictum furi illi in pœnam. Idem quoque de conſimilibus dicendum eſſe videtur. Concordat Raymundus —. Hactenus S. Bernardinus.

Secundum Dubium. Utrum ſcienter emens rem raptam, vel furatam, ex ignorantia juris, quia nempe neſciebat eſſe prohibitum talia emere, teneatur ſicut ille, de quo dictum eſt in Dubio præcedenti?

Reſpondent communiter Tractatores, quod ſic: quia talis

lis ignorantia eum non excuſat. Et ſi dicatur, quod ignorantia juris excuſat minorem, mulierem, ruſticum, & militem L. *Cum de indebito* §. *Sin autem* ff. *de probationibus*; dico hoc eſſe verum in iis, quæ mere improbantur jure civili, vel canonico, nam in præceptis hominum, quacumque dignitate refulgeant, nullus contrafaciendo quoad Deum & conſcientiam mortaliter peccat, niſi qui ſcienter, & ex contemptu contra ipſa facit, ut docent Doctores. Sed prohibitio de non emendo rem raptam non ſolum a jure Canonico, & civili; verum etiam a jure naturali originem trahit; & ideo ignorantia juris in hoc neminem excuſat.

(154) Idem ſentiunt Roſella *Reſtitutio ſeptimo* num. 18., Hoſtienſis *de pœnitentiis, & remiſſionibus* ubi *Quid de prædam ementibus*, S. Bernardinus loco proxime laudato, & S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 16. ſcribens — *In hoc tamen non excuſat ignorantia juris, ſcilicet quia credebat eſſe licitum emere ea, quæ quis rapuit*, Extra *de Regulis juris lib. 6. cap. IGNORANTIA* —, Regula ſcilicet 13., quæ eſt hujuſmodi — *Ignorantia facti, non juris excuſat* —. Præſertim quum innitatur principio illi juris naturalis per ſe noto, de quo Gratianus diſt. 1. ſub initio — *Jus naturale eſt, quod in lege, & Evangelio continetur, quo quiſque jubetur alii facere, quod ſibi vult fieri, & prohibetur alii inferre, quod ſibi nolit fieri* —.

Tertium Dubium. Utrum ignorantia facti craſſa, vel ſupina excuſet ſic ementes: puta dum Epiſcopus excommunicat tales raptores, vel talia ementes: dum quis emit a ſtipendiario Calicem, vel Miſſale: dum omnes vicini credunt eam rem eſſe raptam, vel bellum, unde talia habita ſunt, eſſe injuſtum?

Reſpondet Hoſtienſis, quod ſic emens non excuſatur; & ideo tenetur ſicut ille, de quo dictum eſt in primo Dubio Arguitur L. *Latæ culpæ* ff. *de verborum ſignificatione*, & cap. *Apoſtolicæ* Extra *de Clerico excommunicato miniſtrante*, & 12. q. 2. cap. *Qui & divinis & humanis*, & 16. q. 1. cap. *Si cupis*, & *de ordinatis ab Epiſcopo, qui renun-*

*tiavit*

*tiavit Epiſcopatui* cap. 1. §. finali, & cap. 2. Idem ſimiliter tenet Hoſtienſis de illis, qui dubitant, nec tamen quæſierunt pro poſſe.

(155) En verba Hoſtienſis loco proxime laudato — Quid, ſi ſciebat factum emptor, ſed ignorabat jus, vel ignorantia facti ductus craſſa, & ſupina non probabili, rem raptam emerit? Tenetur in judicio animæ ad reſtitutionem. Ad hoc ſupra *de Clerico excommunicato miniſtrante* cap. *Apoſtolicæ*. Dicitur autem craſſa, & ſupina ignorantia, quando communiter alii vicini dicebant, & credebant, quod res eſſet de præda, & bello injuſto, ff. *de verborum ſignificatione* L. *Latæ culpæ*, vel quando Eccleſia hoc prohibebat, & tales publice excommunicabat. Unde non excuſatur emptor tali ignorantia ductus, 12. q. 2. cap. *Qui & divinis & humanis*, 16. q. 1. cap. *Si cupis*, Extra *de ordinatis ab Epiſcopo*, *qui renuntiavit Epiſcopatui* cap. 1. §. finali, & cap. 2. Et patet in his, quæ notavi ſupra eo. Sub §. Proximo Verſic. *Quod ſi probabiliter*. Et ſi de hoc nihil cogitabat, quando emit, nec inquiſivit quantum potuit, in culpa eſt, ut ibidem notavi in conſimili caſu —. Hæc Hoſtienſis, qui ſupra eod. titulo, ubi Quid *de rapina*, loquens de bello dixerat — Quod ſi probabiliter dubitat, utrum juſtum ſit, vel injuſtum, ad hoc propter bonum obedientiæ excuſatur 23. q. 1. cap. *Quid culpatur*. Secundum Raymundum hoc dicas verum, ſi inquiſivit quantum potuit, & peritiores conſuluit, & ſemper dubius remanſit; alioquin affectator ignorantiæ ſicut non expers ſcientiæ punitur —. Ignorantia facti vera, & propria ea eſt, quæ excuſat, non craſſa, non ſupina, textu aperto *de ordinatis ab Epiſcopo, qui renunciavit* &c. cap. 1. — *Sane ſi ab eodem ſacros ordines ſcienter quis receperit, quia indignum ſe fecit, executionem officii non habebit. Ubi autem non ſcienter, poterit ( niſi craſſa, & ſupina fuerit ignorantia ) diſcretus Pontifex diſpenſare* —. Veriſſimum quippe eſt, quod ſcribitur ff. *de verborum ſignificatione* L. 223. — *Latæ culpæ finis eſt, non intelligere id, quod omnes intelligunt* —. In re nimium perſpicua aliis legibus producendis ſuperſedeo.

Quartum Dubium. Utrum emens rem raptam, vel furto habitam, ignoranter, & bona fide, neſciens quod eſſet res rapta, teneatur ſicuti ſupradicti?

Reſpondeo, quod non; bona enim fides quinque ipſi confert. Primum, quod bona fide durante numquam tenetur eam reſtituere L. 2. C. *de furtis*. Secundum, quod non tenetur reſtituere fructus conſumptos durante bona fi-

 de,

de, ſed ſolum extantes, quando ſcit rem fuiſſe raptam L. *Fructus*, & L. *Ex diverſo* §. finali. ff. *de rei vindicatione*, vel in quo factus eſt locupletior, ut in Regula poſita Dubio 33. tit. 4. Tertium, quod, ſi durante bona fide dictam rem alienavit vendendo, vel alio modo, non tenetur reddere pretium, ſed ſolum lucrum, ſi extat, vel illud, in quo factus eſt locupletior. Quod ſi nullum fuit lucrum, vel ſi fuit, per ipſum tamen non fuit factus locupletior, non tenetur ad aliquid L. *Nam hoc natura* ff. *de condictione indebiti*. Quartum, quod ſi res periit, non tenetur aliquid Domino reſtituere. Quintum, quod ſi Judice ſententiante reſtituerit eam, in foro contentioſo habebit actionem contra venditorem, ut ab hoc ſervetur indemnis cap. *Vulteranæ* 12. q. 2. Non autem ſi eam reſtitueret ad imperium Sacerdotis L. *Si rem* 1. ff. *de evictionibus*. Conſulendum iccirco eſt ei, ut faciat ſe citari in judicio a Domino rei, tunc enim poterit venditori annunciare, ut ipſum defendat, & ſervet indemnem. In conſcientia autem, qualitercumque rem Dominum reſtituerit, venditor tenetur ei cap. finali Extra *de emptione & venditione*.

(156) Et in hanc doctrinam conſentiunt Authores omnes, quorum ſupra memini Annotatione 154. Unum profero S. Bernardinum eo loci, cap. ſcilicet 5. ſerm. 34. To. 1. ſcribentem -- Secundo autem modo rapinam emit, ſcilicet ut pro commodo ſuo haberet: & tunc, ſi probabiliter non credebat rem illam fuiſſe raptam, ut quia omnes vicini, vel major pars ita credebant, neque aliud veriſimiliter extimari debebat: tunc hæc bona fides quatuor ſibi confert. Primo, quia durante bona fide, & conſcientia non decepta, rem illam reſtituere non tenetur. Sed ſi poſtea noverit rem illam fuiſſe raptam, quia bellum credebat juſtum, & reperitur injuſtum: tunc reſtituere obligatur C. *de furtis* L. 2. Tenetur etiam exiſtentes ſatisfacere fructus. De conſumptis autem non tenetur propter bonam fidem, ut L. *Fructus*, & L. *Si ex diverſo* §. finali ff. *de rei vindicatione*. Secundo, quia poteſt rem vendere, & alienare bona fide durante. Sed ſi aliquod lucrum ex venditione rei conſecutus eſt, debet illud reſtituere Domino venienti ff. *de condictione indebiti* L. *Nam & hoc natura*. Tertio, quia non tenetur reſtituere in fortuito caſu, durante ſcilicet bona fide; ſi enim interim pereat

ſine

ſine culpa ſua, in nullo tenebitur Domino reſpondere. Quarto, quia poſt reſtitutionem rei, ſi eam fecerit Judice ſententiante, de pretio, quod dedit, contra venditorem agere poteſt, ut ipſum ſervet indemnem 12. q. 2. cap. *Vulteranæ*. Aliter enim minime poſſet. Unde dicat emptor Domino rei, quod ipſum ad judicium trahat, & poſtquam citatus fuerit, denuntiet venditori, quod compareat, atque defendat rem ipſam: & ſi res tunc ab eo evincitur, venditor tenebitur de evictione, niſi tempore dandæ ſententiæ emptor per contumaciam fuiſſet abſens; vel niſi per injuriam Judicis fuiſſet ſententia lata, Extra *de emptione & venditione* cap. finali. Si autem ad Sacerdotis præceptum hoc fecerit in conſcientiæ foro, in eodem quoque foro venditor inducendus eſt, ut ipſum conſervet indemnem. Arguitur Extra de emptione & venditione cap. finali — Hactenus S. Bernardinus. En cap. ult. *de emptione & venditione*, quod eſt Gregorii IX. — *Si venditori poſt inſtitutum contra ſe judicium quis emiſerit, ut rem venditam ſibi defenderet, nunciare, vel contumaciter abfuit tempore ſententiæ promulgatæ, ſeu per injuriam ſententia lata fuit, de evictione juxta legitimas ſanctiones agere non valebit* — Cave interim, ſi legis editionem S. Antonini Lugduni factam a Vincentio de Portonariis an. 1542. In ea part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 16. de hoc eodem caſu ſcriptum eſt — *Si vero emit bona fide, & diligentia adhibita, non tenetur reſtituere durante bona fide, & emendo ut pro commodo ſuo haberet: tamen peccat* —. Non ita ſentit eximius ille Doctor: probe ſciens, peccatum non eſſe niſi ſit volitum, & non eſſe volitum niſi præcognitum. Jure quapropter Inno. III. Extra *de reſtitutione ſpoliatorum* cap. 13. — *Quidquid fit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam* — Lege igitur cum poſtrema ejuſdem editione Veronenſi an. 1740. — *Si vero emit bona fide ...., & emendo ut pro commodo ſuo haberet, non peccat*.

Quid autem, ſi iſte, quando emit erat in bona fide, nec habebat cauſam dubitandi: tamen poſt emptionem illius rei incipit dubitare, quia dicitur in Civitate, quod talis res fuit furto ſubtracta: an ſi vendat talem rem tali dubitatione durante teneatur poſtea Domino venienti reſtituere pretium? Quæſtio eſt quotidiana. Et dici poteſt, quod ſi illam rem vendidit durante illa dubitatione, & non habebat certitudinem, vel probabilitatem, quod eſſet furto ſubtracta, non tenetur ad reſtitutionem pretii: quia adhuc non erat in mala fide. De hoc eſt textus optimus in cap. *Si virgo* 34. q. 2., ubi dicitur quod — *Quiſque bonæ fidei poſſeſſor rectiſſime dicitur, quamdiu ſe poſſidere ignorat alienum: cum vero ſcierit, nec ab aliena poſſeſſione receſſerit, tunc malæ fidei poſſeſſor perhibebitur* —. Hæc omnia Roſella ver. *Reſtitutio primo* num. 19., cujus deciſio fundatur ſuper communi illa Theologorum doctrina, quod aliud eſt loqui de initio bonæ fidei, aliud vero de ejuſdem bonæ fidei proſecutione. Ad primum requiritur moralis certitudo, & cujuſcumque dubitationis excluſio: quoniam ſi tunc dubitas, an res illa tua ſit, vel aliena, non es poſſeſſor bonæ fidei, nec bonam fidem inchoa-

re potes; non eſt enim potior ratio, cur tu rem potius poſſideas quam alter, & iccirco eam tibi ipſi vindicans alteri facis injuriam. Ad ſecundum ſatis eſt, quod non habeas conſcientiam rei alienæ, ſeu ignores te poſſidere alienum; purum enim putumque dubium ſuperveniens non tollit bonam fidem juſte inchoatam, quia in pari cauſa potior eſt conditio poſſidentis juxta Regulam 65. de Regulis juris in Sexto. Verum quidem eſt, quod ſic dubitans etiam bona fide inchoata tenetur dubium expendere, ejuſque momenta. Sed caſus ſupponit dubitantem id peregiſſe, nec inveniſſe motivum ſufficiens judicandi rem vere eſſe alienam, & furto ſublatam. Quod ſi examinando deprehenderit rem vere eſſe alienam, & furatam, eamque apud ſe adhuc habeat, extemplo tenetur eam ex integro vero Domino reſtituere cum fructibus extantibus: ſecus ſtatim incipit eſſe poſſeſſor malæ fidei, iiſque omnibus obnoxius, quæ Dubio 1. hujus tit. declarata ſunt. Et quod pluris facio, non poteſt quicquam vel minimum petere a Domino rei præter expenſas, de quibus dictum eſt eodem Dubio 1.; hunc quippe ſpecialem caſum reſpicit L. *Incivilem* C. *de furtis*, quæ jam ſupra fuit producta, & quam iterum recitare non erit abs re — *Incivilem rem deſideratis, ut agnitas res furtivas non prius reddatis, quam pretium fuerit ſolutum a Dominis* —. Rationem affert Gennetus de contractibus in particulari cap. 4. q. 2. —. Quia ille, qui a latrone emit, nullum jus in re empta habet, cum illius dominium nulliter in eum fuerit translatum a non Domino, qui idcirco nullum jus ſuper ea re conferre poterat: quia ut dicitur in Regula Juris Canonici (Regula 79. Juris in Sexto) — *Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quam ſibi competere dignoſcatur* — Hæc ille.

Sed quid ſi dum rem illam emit, dubitabat eam eſſe furto ſublatam? Reſpondet Sylvius in 2. 2. q. 62. art. 6. quæſito 3. concluſ. 7. ſcribens — Qui dubitans rem eſſe furtivam, nihilominus illam ſibi emit, peccat mortali- & tenetur diligenter inquirere, an vere furtiva ſit: quo comperto debet eam cum fructibus etiam conſumptis reſtituere illi, ad quem pertinet, neque poteſt eam venditori reddere —. Quod hic mortaliter peccet, perſpicuum eſt; exponit enim ſe evidenti periculo retinendi rem alienam cum alterius injuria. Quod teneatur reſtituere etiam fructus conſumptos, & hoc manifeſtum eſt: quia non eſt bonæ, ſed malæ fidei poſſeſſor, & hac de cauſa tenetur ad reſtitutionem, etiamſi illam gratuito, ac liberali dono alteri dediſſet: aut alteri vendidiſſet: aut caſu periiſſet: aut ipſi per rapinam fuiſſet ablata. Quid interim aget, ſi debita indagine facta Dominum invenire nequeat? Dubio procul rem ſibi retinere nequit, quia nec eſt, nec unquam fuit bonæ fidei poſſeſſor. Pro rata igitur dubii eam pauperibus diſtribuat.

Quintum Dubium. Utrum emens rapta, vel furata,

non

Digitized by Google

non ut ea retineat, ſed ut ea Domino reſtituat, quia alias non poſſet ea habere, aut non adeo facile, aut ſaltem non pro tam parvo pretio, poſſit pretium, quo ea emit, a vero Domino repetere?

Reſpondeo quod ſic: quia utiliter geſſit negotium Domini, cujus res erat: nec ſolum pretium, quod dedit, poteſt repetere, ſed etiam intereſſe expenſarum moderatarum; niſi habuiſſet utilitatem ex ipſa re, quia tunc debet compenſare fructus rei cum expenſis & pretio. Arguitur ff. *de negotiis geſtis* L. *Sed an ultro* §. 1., & cap. *Cum dilecti* Extra de accuſationibus §. finali. Nec committit furtum taliter contrahendo de re alterius L. *Falſus* §. 2. ff. *de furtis* immo ſi res periret ſine ſua culpa, aut eam amitteret, non teneretur ad aliquid. Concordant Hoſtienſis, & Monaldus tit. *Reſtitutio ſeptimo*. Nota tamen, quod in foro contentioſo non creditur tali emptori, niſi publice proteſtatus fuerit, quod hac intentione emerit. Arguitur ff. *de negotiis geſtis* L. Neſennius, & C. *de furtis* L. 2., & cap. unico Extra *Ut Eccleſiaſtica beneficia*. Secus tamen eſt in conſcientia.

(157) Brevibus S. Raymundus lib. 2. tit. de raptoribus §. 22. ſcribens — *Si vero emit aliquis bona fide a raptore, vel ab alio rem de rapina, vel furto, bona ſcilicet intentione, non ut ſibi lucraretur, ſed ut ſpoliato reſtitueret: poteſt a ſpoliato repetere illud, quod dedit pro ipſa re bona fide, & etiam quidquid expendit poſtea ad conſervationem illius rei: niſi forte cum ipſa re lucratus eſſet aliqua, unde facere poſſet dictas expenſas. Et breviter quidquid ſibi adeſt ex illa re reſtituere tenetur: quidquid ſibi abeſt poteſt repetere. Ratio autem, quia iſte poteſt repetere, eſt quia geſſit utiliter negotium abſentis ſpoliati* —. Idem uno ore docent, & conſtituunt S. Antoninus, S. Bernardinus, Hoſtienſis, & Roſella locis ſupra laudatis. Adjicit nihilominus Roſella — *Hoc quidam dicunt verum, & bene, quando res redempta fuit parvo pretio. Alias ceſſat ratio hujus redemptionis, & conſequenter effectus* —. Animadverſio iſthæc mihi non diſplicet; immo ſummopere placet: quia emens rem ſuratam, tametſi bona intentione, animoque eam reddendi Domino, pretio ſummo, vel quaſi ſummo, utiliter non gerit negotium Domini, ſed Dominum potius gravat, qui decurſu temporis

forte

Digitized by Google

forte eam poterat minori pretio recipere. Hoc idem ſupponere videtur Author noſter, qui iccirco conſulto in ipſa interrogatione poſuit — *aut ſaltem non pro tam parvo pretio* —.

Quid interim juris, ſi res iſthæc caſu pereat Domino nondum invento? Anne ſic emens adhuc poterit repetere & pretium, & expenſas, ſi poſtmodum reperiat Dominum? Ita profecto reſpondit Hoſtienſis ſcribens — *Et ideo totum poterit recuperare pretium, & intereſſe ſuum, etiamſi res ſine culpa ſua perimatur, vel amittatur, ut tamen quicquid percepit ex tali re, vel occaſione ipſius totum compenſet uſque ad quantitatem concurrentem* —. Idem poſt Hoſtienſem conſtituit Aſteſanus lib. 1. tit. 32. art. 9. ubi *Sed numquid ſatisfaciens*. Ratio poteſt eſſe: quia utiliter geſſit negotium Domini: quia rem retinuit nomine Domini, non proprio; & iccirco ſi periit, Domino periit: quia damnum ſentire non debet ex eo quod ſola pietate ductus utilitatem alterius procuravit: quia demum per accidens eſt, quod utilitas Domini non ſit ſecuta. Id perſpicuum eſt in L. *Sed an ultro* ff. *de negotiis geſtis* — *Juxta hoc eſt & quod Julianus ſcribit, eum, qui inſulam fulſit, vel ſervum ægrotum euravit, habere negotiorum geſtorum actionem, ſi utiliter hoc faceret, licet eventus non ſit ſecutus* —.

Sextum Dubium. Utrum emens, de quo ſupra, ad aliquid teneatur, ſi non poſſit invenire Dominum?

Reſpondeo, quod ſic: nam, poſtquam diligentem fecit inquiſitionem, nec invenit cujus erat, tenetur dare pauperibus quidquid res ipſa valet, deducto tamen pretio ab eodem erogato, deductis pariter expenſis neceſſariis. Et hoc publice faciat ſecundum conſilium Raynerii pro anima illius, cujus res erat, ut ſic omnis ſuſpicio vitetur, & tunc erit liberatus. Arguitur 12. q. 2. cap. *Quatuor*. Concordant Hoſtienſis, & Monaldus ubi ſupra.

(158) En verba Hoſtienſis de pœnitentiis & remiſſionibus, ubi *Quid de prædam ementibus* in fine — Quid ſi non poteſt reperiri Dominus rei, vel neſcitur ubi ſit? Erogetur pauperibus de conſilio Diœceſani, & hoc etiam publice fiat præmiſſo banno in Eccleſia, & diligenti inquiſitione facta, ut omnis ſuſpicio evitetur. Arguitur in proxime ſupra inductis juribus, & ſupra *de clandeſtina deſponſatione* cap. Cum *inhibitio*, & *qui matrimonium accuſare poſſunt* cap. *Cum in tua*. Et ſi hoc facto non inveniatur, cujus ſit res, liberabitur dando pauperibus ut ſupra pro anima illius, cujus res eſt: quia in hoc utiliter geritur negotium ſuum, Arguitur 12. q. 2. cap. *Quatuor* circa

ea finem—. Hactenus Hoſtienſis. Non adſerit quidem Hoſtienſis, quod dededucere prius poſſit & pretium erogatum, & expenſas neceſſarias ab ipſo factas. Sed hoc expreſſe ſcripſerunt S. Bernardinus, & S. Antoninus — *Si autem talis emptor, poſtquam fecit diligenter inquiri, non potuit reperire, cujus res erat: tunc quicquid res illa valet, ultro id quod emptori ipſi debetur, pro anima illius, cujus extiterat, res pauperibus eroganda eſt* —. Ita S. Bernardinus Tom. 1. ſerm. 34. cap. 5. — *Si autem talis emptor poſtquam fecit diligenter inquirere, & non potuit invenire, cujus eſſet illa res: quidquid valet, ultra id quod expendit pro ipſa re, dandum eſt pro anima illius, cujus fuit, & ſic liberatus eſt* —. Ita S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 12. §. 16. Ratio eſt manifeſta: quia ſi hæc omnia ipſi debentur etiam invento Domino, ut ſupra fuit oſtenſum, potiori jure eidem non ſunt deneganda, dum loco Domini ſuccedunt pauperes. Immo addit S. Antoninus — *Si eſſet pauper, poſſet a Prælato etiam ei ut pauperi relinqui illud plus pretio ſoluto* —. Eadem lege penes Aſteſanum articulo proxime laudato.

Septimum Dubium. Utrum emens res Eccleſiæ, teneatur eas reſtituere?

Reſpondet Petrus Caſuel tit. *de rebus Eccleſiæ non alienandis*, quod ſic, ſi male emit, ſcilicet non ſervata forma, quæ ponitur 12. q. 2. cap. *Sine exceptione*, & Extra *de probationibus* cap. *Tertio*, & *de rebus Eccleſiæ non alienandis* cap. *Dudum* Lib. 6. Et non ſolum res ipſas, ſed etiam fructus reſtituere tenetur: nec poteſt pretium, quod dedit ab Eccleſia repetere, niſi converſum fuerit in utilitatem Eccleſiæ cap. *Quod quibuſdam* Extra *de Fidejuſſoribus*, & 12. q. 2. cap. *Vulteranæ*, & Extra *de rebus Eccleſiæ alienandis* cap. *Ad audientiam*. Poterit tamen contra alienantem habere regreſſum, ſi hic habet aliquid, quod non ſit de Eccleſia, & ipſe emit bona fide: quoniam, ſi emit mala fide, id ipſi non licet, niſi res verſa ſit in utilitatem Eccleſiæ, in Authentica *de non alienandis*, *aut permutandis rebus Eccleſiaſticis* cap. *Quia vero* §. *Si quis*. Concordant Bartholomæus Brixienſis 10. q. 2. Goffredus, & Hoſtienſis.

(159) Eccleſiaſtici rerum non ſunt Eccleſiaſticarum Domini, ſed rebus Eccleſiæ utuntur tamquam iiſdem unice commendatis, ſicuti loquitur Leo

Leo Summus Pontifex 12. q. 2. cap. *Sine exceptione* §. 1. inquiens — *Epiſcopus rebus Eccleſiæ tamquam commendatis, non tamquam propriis utatur* —. Non poſſunt igitur ea vendere, & abalienare, niſi ſervata forma, ſeu ſervatis ſolemnitatibus ab Eccleſia præſtitutis, quæ ſunt quatuor, & recenſentur a Lucio Ferraris ver. *Alienare* art. 2. num. 5. & ſeq. hiſce verbis — Prima, quod præcedat tractatus capitularis, ideſt Prælatus cum Capitulo, vel Conventu conſultet, an expediat talem rem alienare, nec ne cap. *Sine exceptione*, cap. *Tua Nuper* 8. *de his quæ ſiunt a Prælato*, cap. 1. hoc tit. in Sexto. Secunda, quod adſit conſenſus totius Capituli, vel ſaltem majoris, aut ſanioris partis ipſius cap. *Sine exceptione* 12. q. 2., & cap. *Ut ſuper* 8. §. finali hoc tit., ubi habentur præciſa verba — *De fratrum tuorum, & ſenioris partis conſilio, & conſenſu* —. Tertia, quod fiat ſubſcriptio a Capitularibus cap. 1. *de his quæ ſiunt a Prælato*, ubi expreſſe dicitur — *Irrita erit Epiſcoporum donatio, vel venditio, vel commutatio rei Eccleſiaſticæ abſque collaudatione, & ſubſcriptione Clericorum* —. Quarta, quod interveniat conſenſus Superioris talis Eccleſiæ, & conſenſus Summi Pontificis cap. 2. hoc tit. in Sexto, & citat. Extravag. *Ambitioſæ*. Conſenſus autem Patroni non requiritur ad alienationem rerum Eccleſiaſticarum, ſi accedat auctoritas, & Beneplacitum Summi Pontificis, cum ipſi Patroni in rebus, quas Eccleſiis conferunt, nullam habeant poteſtatem, ut expreſſe habetur cap. *Noverint* 10. q. 1. ex Concil. Toletano IV. his verbis — *Noverint Conditores Baſilicarum in rebus, quas eiſdem Eccleſiis conferunt, nullam ſe poteſtatem habere, ſed juxta Canonum inſtituta ſicut Eccleſiam, ita & dotem ejus ad ordinationem Epiſcopi pertinere* —, & cap. *de rebus* 12. q. 1., & ſic Rota Romana part. 9. To. 1. deciſ. 144. num. 9., Anaclet., Pirhing. hoc tit. num. 61., cum aliis paſſim — Hæc ille, ſuper quibus hæc invenio addita ex aliena manu — *Solemnitatibus requiſitis in alienatione rerum Eccleſiæ, de quibus agit Author a num. 5. ad fin., aliqui addunt ſubhaſtationem, moti Authent. HOC IUS PORRECTUM C. DE SACROSONCTIS ECCLESIIS. Nulla vero hujus requiſiti occurrit mentio in Jure Canonico, ſecundum quod hodie in alienandis rebus Eccleſiæ proceditur. Quocirca neceſſaria haud eſt ſubhaſtatio in alienatione rerum Eccleſiæ. Brunemann. in d. Authen. HOC IUS PORRECTUM num. 14. & ſeq., Bohemer. in Decretal. lib. 3. tit. 13. §. 46.* —.

Accipe quod pro conſenſu Romani Pontificis ſancitum fuit a Gregorio X. *de rebus Eccleſiæ non alienandis* cap. 2. in Sexto *Hoc conſultiſſimo prohibemus Edicto, univerſos, & ſingulos Prælatos Eccleſias ſibi commiſſas, bona immobilia, ſeu jura ipſarum Laicis ſubmittere, ſubjicere, ſeu ſupponere abſque Capituli ſui conſenſu, & Apoſtolicæ Sedis licentia ſpeciali* —: & quod Paulus II. Venetus Extravag. *Ambitioſæ*. cap. unico præſtituit ſuper eadem re — *Alienanti vero bona Eccleſiarum, Monaſteriorum, locorumque piorum quorumlibet inconſulto Romano Pontifice, aut contra præſentis Conſtitutionis tenorem, ſi Pontificali, ſeu Abbatiali præfulgeat dignitate, ingreſſus Eccleſiæ ſit penitus interdictus* —.

Quod

Quod non ſervatis recitatis hiſce ſolemnitatibus alienatio ſit ipſo facto nulla, & irrita, firmatur id tum jure Canonico, tum Civili. Canonico quidem: quoniam Gregorius X. cap. nunc memorato decrevit — *Contractus autem omnes etiam juramenti, pœnæ, vel alterius cujuslibet firmitatis adjectione vallatos (quos de talibus alienationibus ſine hujuſmodi licentia, & conſenſu contigerit celebrari) & quicquid ex eis ſecutum fuerit, decernimus adeo viribus omnino carere, ut nec jus aliquod tribuant, nec præſcribendi etiam cauſam parent* —: & Paulus II. cap. itidem laudato — *Si quis autem contra hujus noſtræ prohibitionis ſeriem de bonis, & rebus eiſdem quicquam alienare præſumpſerit, alienatio, hypotheca, conceſſio, locatio, conductio, & infeudatio hujuſmodi, nullius omnino ſint roboris, vel momenti. Et tam qui alienat, quam is, qui alienatas res, & bona prædicta receperit, ſententiam excommunicationis incurrat* —. Civili item jure; Juſtianus enim Imperator in Authentica *de non alienandis, aut permutandis rebus Eccleſiaſticis* cap. *Quia vero Leonis*, tum ante §. primum, tum ipſo §.1. hæc ſancivit egregia — *Si quis igitur emere præſumpſerit rem Eccleſiaſticam, aut ptochicam: cadat quidem mox pretio: exigatur autem res, quam accepit, cum omni medii temporis incremento: & contra ſanctiſſimam quidem Eccleſiam, aut venerabilem domum, nullam omnino habeat actionem: contra venerabiles vero Oeconomos, aut qui omnino vendiderunt, in propriis eorum ſubſtantiis ex contractu habeat actionem: ut metu ſuæ ſubſtantiæ, etſi non propter Dei timorem, tamen ſegniores circa venditionem fiant. Si quis autem per donationem accipere præſumpſerit rem Eccleſiaſticam, aut ptochicam: & ipſo, quod datum eſt, omnino cadat; & aliud tantundem ex ſua ſubſtantia repenſet Sanctiſſimæ Eccleſiæ, aut venerabili domui, ex qua hoc ſuſcepit: ut quam niſus eſt agere contra eam novitatem, hanc ſibimet in propriis exhibens, ſuam ſentiat malignitatem* —.

Excipiuntur illa, de quibus Agathenſe Concilium in cap. *Terrulas* 12. q. 2. quæ ſola Epiſcopi facultate alienari poſſunt — *Terrulas, aut vineolas exiguas, & Eccleſiæ minus utiles, aut longe poſitas, & parvas, Epiſcopus ſine conſilio Fratrum (ſi neceſſitas fuerit), diſtrahendi habeat poteſtatem* —. Huic enim Canoni derogatum non eſt a Paulo II. in Extravag. *Ambitioſæ*, neque a Concilio Trident. Seſſ. 25. cap. 11., prout declaravit S. Congregatio Concilii 11. Januarii 1596., & animadvertit Ferraris ver. *Alienare* art. 3. num. 2. — Terrulæ autem (proſequitur Ferraris ibidem) & res modici valoris ſunt, quæ non æſtimantur ultra viginti ſolidos ſecundum Gloſſam in dict. cap. *Terrulas*, & ut cenſuit S. Congregatio Epiſcop. & Regular. in una Faventina 22. Maji 1611., in qua viginti ſolidos ad ſcuta viginti quinque aurea aſcendere declaravit: & in una Meſſanenſi 29. Novembris 1613., ubi aſſeruit ſic etiam declaraſſe Paulum V. & in Barenſi in reſponſione Archiepiſcopo viſitanti ſacra Limina die 12. Aprilis 1698. dixit — *Non poſſe Epiſcopum concedere facultatem ultra vigintiquinque ſcuta aurea* —, Et ſcutum aureum conſtituitur ex Paulis ſexdecim, & ſecundum hanc computa-

putationem vigintiquinque ſcuta aurea conſtituunt ſcuta quadraginta monetæ Romanæ. Unde in una Papienſi 15. Maii 1710. cenſuit licentiam conceſſam per Ordinarium pro inciſione arborum Eccleſiæ in ſumma ſcutorum ſexaginta non ſuſtineri. Nec valet conſuetudo in contrarium, quæ non eſt toleranda, ut reſpondit S. Congregatio in Amalphitana 8. Auguſti 1665. in reſponſione ad primum —. Hactenus ille.

Excipiuntur pariter immobilia, ſi quæ relinquantur illis Religioſis, qui ex inſtituto ea nequeunt retinere, quemadmodum ſunt Fratres Minores S. Franciſci de Obſervantia, Reformati, & Capucini, nec non Clerici Regulares Theatini; hæc enim ſine juris ſolemnitate vendi tunc poſſunt, & pretium eorum expendendum eſt in utilitatem Eccleſiæ, aut Monaſterii, quemadmodum pro Fratribus Minoribus de Obſervantia perſpicue loquitur Clemens VII. Conſtitut. lata die 23. Novembris 1526., & incip. *Nuper*: & pro Theatinis declaravit S. Congregatio in hæc verba, quæ referuntur a Donato To. 1. part. 2. tract. 14. q. 67. — *Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum cenſuit Religionem Clericorum Regularium Theatinorum, quamdiu Inſtitutum ſuperius prepoſitum retineat, quoad bona immobilia non comprehendi in prohibitione nuper edita de rebus Eccleſiæ non alienandis* —. Penes nos Fratres Minores de Obſervantia hæc alienatio, ſi fieri contingat, executioni mandari debet per Syndicos Apoſtolicos, ſeu Procuratores Conventuum. Et quia hi abutebantur Apoſtolica auctoritate, & ſæpenumero ſimilia Fratribus relicta viliſſimo vendebant pretio conſanguineis, & affinibus: Fratres exquiſierunt remedium a S. Congregatione Concilii, in qua die 18. Martii 1719. fuit propoſitum quæſitum — *An & quale temperamentum ſit capiendum*? cui eadem S. Congregatio reſpondit — *Quoad mobilia pretioſa Eccleſiæ incorporata eſſe neceſſarium Beneplacitum Apoſtolicum. Quo vero ad omnes alias res in futurum non poſſe Syndicos procedere ad venditionem, niſi prævia affixione Edictorum, ut venditio fiat majori Oblatori* —. Ita referunt Urſaya To. 3. part. 1. diſcept. 30. in fine, Card. Petra Tom. 5. Commentar. in Conſtitut. 5. Pauli II. ſect. 5. num. 5., & Ferraris ver. *Syndicus* num. 34. Ex hac declaratione planum fit, penes nos mobilia Eccleſiæ pretioſa alienari non poſſe ſine ſolemnitatibus, Beneplacito ſcilicet Apoſtolico; cætera autem, ſi contingat, alienari poſſe ſola Syndici auctoritate, dummodo ſervet ea, quæ in prædicta declaratione præſtituta ſunt.

Excipiuntur demum locationes ad triennium, & non amplius; Conſtitutio ſiquidem Pauli II. *Ambitioſæ* inter ea, quæ ſine Beneplacito Apoſtolico nequeunt fieri, adnumerat duntaxat locationem ultra triennium — *Omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, hypothecam, locationem, & conductionem ultra triennium* —. Quod triennium intelligi debet non de triennio temporis, ſed de triennio fructuum, ſeu de ſpatio, intra quod fit terna fructuum collectio. Quo fit, ut ſi fundus aliquis non ſingulis annis, ſed biennio, vel triennio integros fructus reddat, fieri poſſit

ſit locatio bonorum Eccleſiæ ad ſex, vel novem annos, ſicuti deciſum novimus a Rota Romana 19. Junii 1648. in una Tiburtina affictus part. 10. deciſ. 219. num. 7., docentque Auctores illi benemulti, quos recenſet Auctor Additionum ad Bibliothecam Ferraris ſuper ver. *Alienare* art. 3. Cum de locatione ſermo eſt, juvat ſcire quod ſancitum tuit L. *Item quæritur* §. ult. ff. *Locati conducti* — *Qui impleto tempore conductionis remanſit in conductione, non ſolum reconduxiſſe videbitur, ſed etiam pignora videntur durare obligata. Sed hoc ita verum eſt, ſi non alius pro eo in priore conductione res obligaverat: hujus enim novus conſenſus erit neceſſarius. Eadem cauſa erit, & ſi Reipublicæ prædia locata fuerint. Quod autem diximus, taciturnitate utriuſque partis colonum reconduxiſſe videri, ita accipiendum eſt, ut in ipſo anno, quo tacuerunt, videantur eandem locationem renovaſſe, non etiam in ſequentibus annis: & ſi luſtrum forte ab initio fuerat conductioni præſtitutum. Sed & ſi ſecundo quoque anno poſt finitum luſtrum nihil fuerit contrarium actum, eandem videri locationem in illo anno permanſiſſe: hoc enim ipſo, quo tacuerunt, conſenſiſſe videntur: & hoc deinceps in unoquoque anno obſervandum eſt. In urbanis autem prædiis alio jure utimur: ut, prout quiſque habitaverit, ita & obligetur, niſi in ſcriptis certum tempus conductioni comprehenſum eſt* —.

Octavum Dubium. Utrum emens de pecunia alterius aliquid nomine ſuo, teneatur?

Reſpondeo, quod non: quia res empta eſt ſua. Secus autem ſi emiſſet nomine illius, cujus eſt pecunia, quia tunc res empta eſſet illius, ad quem ſpectat pecunia L. *Si patruus* C. *Communia utriuſque judicii*, & C. *de rei vindicatione* L. *Si ex ea*, & C. *de probationibus* L. *Ad probationem*. Fallit hoc in re empta de pecunia Eccleſiæ, Extra *de peculio Clericorum* cap. 2, & penult., & 12. q. 3. cap. 1. Item de pecunia pupilli L. 3. C. *arbitrium tutelæ*. Item de pecunia data conjugi, quando res emitur a marito ff. *de donationibus inter virum & uxorem* L. *Uxori*. Item de pecunia militis C. *de rei vindicatione* L. *Si ut proponis*. Item de pecunia uſuraria ſecundum aliquos cap. *Cum tu* Extra *de uſuris*. Sed hoc ultimum communiter non tenetur. In iſtis caſibus ſive ematur nomine illius, cujus eſt pecunia, ſive non, emptum ſemper efficitur illius, qui eſt Dominus

pecuniæ, ſeu cujus erat pecunia. In conſcientia tamen credo, quod ſic emens præter ſcientiam illius, cujus eſt pecunia, etiamſi emptum de jure acquiratur Domino pecuniæ, teneatur rem ſibi retinere, & reddere pretium Domino pecuniæ, & præſertim ſi res empta minoris valet quam pretium erogatum.

(160) Emptum ex pecunia alterius nomine proprio eſſe ementis, generatim loquendo adeo perſpicuum in jure eſt, nihil ut magis — *Si ex ea pecunia, quam depoſueras, is, apud quem collocata fuerat, ſibi poſſeſſiones comparavit, ipſique traditæ ſunt, tibi vel omnes tradi, vel quaſdam ex his compenſationis cauſa ab invito eo in te transferri, injurioſum eſt* — C. *de rei vindicatione* L. 6. — *Si patruus tuus ex communibus bonis res comparavit, ſibi negotium gerens, non omnium bonorum ſocius conſtitutus, pro competentium portionum modo indemnitati tuæ conſuli oportet: & ideo rem emptam communicare eum contra juris formam poſtulas* — C. *Communia utriuſque judicii* L. 4. — *Si pecunia patris fundus, mancipiaque comparata ſunt: tamen cum emptiones matris tuæ nomine factas eſſe proponas, ignorare non debes, traditione matrem tuam Dominam fuiſſe conſtitutam* — C. *Si quis alteri, vel ſibi* L. 1. Impie quidem agit emptor, & præſertim ſi contra bonam fidem, omniaque jura abutatur pecunia apud ipſum depoſita. Hac de cauſa Dominus pecuniæ etiam in jure civili actionem habet adverſus eundem, ut perſpicue Lex poſtremo citata inquiens — *Plane, ſi pecuniæ petitionem competere tibi propter numerationem pretii exiſtimas, civiliter contende* —. Sed quoad dominium rei emptæ dubio procul in emptorem translatum hoc eſt, ſicuti oſtendi. Jus excipit caſus ab Authore recenſitos, in quibus dominium non transfertur in emptorem, & apertiſſimæ ſunt leges ab eodem productæ. Unum exhibeo caput primum 12. q. 3., quod eſt Concilii Carthaginenſis III. — *Placuit, ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicumque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, & tempore Epiſcopatus, vel Clericatus ſui agros, vel quæcumque prædia nomine ſuo comparant, tamquam rerum Dominicarum invaſionis crimine teneantur, niſi admoniti Eccleſiæ eadem ipſa contulerint. Si autem ipſis proprie aliquid liberalitate alicujus, vel ſucceſſione cognationis obvenerit, faciant inde, quod eorum propoſito congruit* —. Super poſtremis hiſce verbis ad rem Gloſſa caſum exponens — *Poſſunt de hoc facere quidquid volunt, dummodo a ſuo propoſito non recedant, ſcilicet tali pecunia abutendo, ut negotiando, vel fænerando: quod ſi fecerint, indigni honore Eccleſiaſtico judicentur in ævum* —. Quod emptum ex pecunia Eccleſiæ non ſit ementis, *adeo verum eſt* (ſcribit Author in Angelica ver. *Emptio* num. 12.) *quia ſi Clericus habens pecuniam de præbenda emerit prædium, am-*

*plius*

Digitized by Google

*plius non poterit illud dare intuitu pietatis, licet pecuniam potuiſſet dare: quia ſtatim prædium fit Eccleſiæ, ſive emerit nomine Eccleſiæ, ſive ſuo, ſive alieno* –. Ita ſancitum lego a Concilio Arelatenſi Extra *de peculio Clericorum* cap. 1. – *Inveſtigandum eſt, ſi nihil patrimonii habens Presbyter, quando promotus eſt ad Eccleſiaſticum Ordinem, poſtea emerit prædia, cujus juris ſint: quoniam Eccleſiæ, ad quam nihil habens promotus eſt, eſſe debent juxta Canonicam auctoritatem* –. Ita in Concilio Rhemenſi eod. titulo cap. 4. – *Inquirendum eſt, ſi quis Presbyterorum de reditibus Eccleſiæ, vel oblationibus, vel votis fidelium, alieno nomine res comparavit: quia ſicut nec ſuo, ita nec alieno nomine Presbyter fraudem facere de facultatibus Eccleſiaſticis debet: quoniam hoc ſacrilegium eſt, & par crimini Judæ furis, qui ſacras oblationes aſportabat, & furabatur* –. Hæc legant, & relegant, qui Beneficiis Eccleſiaſticis truuntur: caveantque, ne caro, & ſanguis ipſos decipiat in re tanti momenti. Quod perſonæ Eccleſiaſticæ habent de proprio, ipſorum ſit, ipſiſque fructificet. Id Eccleſia non vetat. Sed quod habent de Eccleſia, Eccleſiæ eſſe debet, & Eccleſiæ fructificare. Quid magis æquum, magis rationi conſentaneum? Jure igitur cap. *Sint manifeſtæ* 12. q. 1. conſtitutum eſt – *Sint manifeſtæ res propriæ Epiſcopi (ſi tamen habet proprias), & manifeſtæ Dominicæ: ut poteſtatem habeat de propriis moriens Epiſcopus, ſicut voluerit, & quibus voluerit, derelinquere: nec ſub occaſione Eccleſiaſticarum rerum ea, quæ Epiſcopi eſſe probantur, intercidant. Fortaſſis enim aut uxorem habet, aut filios, aut propinquos, aut ſervos. Et juſtum eſt hoc apud Deum, & homines, ut nec Eccleſia detrimentum patiatur ignoratione rerum Pontificis, nec Epiſcopus, vel ejus propinqui ſub obtentu Eccleſiæ proſcribantur, & in cauſas incidant, qui ad eum pertinent, morſque ejus injuriis malæ famæ ſubjiciatur* –.

Nonum Dubium. Utrum emens rem a furioſo, prodigo, minore, & hujuſmodi, quibus per Jus, vel per Judicem interdicta eſt poteſtas vendendi teneatur eam reſtituere?

Reſpondeo, quod ſic: quia malæ fidei poſſeſſor eſt; mercatur enim contra interdicta legum L. *Quemadmodum* C. *de agricolis, & cenſitis, & colonis*.

(161) *Malæ fidei namque poſſeſſorem eſſe nullus ambigit, qui aliquid contra legum interdicta mercatur* – L. *Quemadmodum* C. *de agricolis, & cenſitis, & colonis*. Porro lege vetatur contrahere cum viro furioſo Inſtitut. *de inutilibus ſtipulationibus* §. 8. – *Furioſus nullum negotium gerere poteſt: quia non intelligit quod agit* –: & ff. *de Fidejuſſoribus* L. 70. §. 4. – *Si a*

*fur-*

Digitized by Google

*furioſo ſtipulatus fueris , non poſſe te fidejuſſorem accipere certum eſt : quia non ſolum ipſa ſtipulatio nulla interceſſiſſet , ſed ne negotium quidem ullum geſtum intelligitur* — : & ff. *de obligationibus , & actionibus* L. 1. §. 12. — *Furioſum , ſive ſtipuletur , ſive promittat , nihil agere , natura manifeſtum eſt* — : & ff. *de diverſis regulis juris antiqui* Regula 5. — *In negotiis contrahendis alia cauſa habita eſt furioſorum , alia eorum , qui fari poſſunt , quamvis actum rei non intelligerent : nam furioſus nullum negotium contrahere poteſt : pupillus omnia , tutore auctore , agere poteſt* — . Ratio adſignatur ibidem Regula 40. — *Furioſi , vel ejus , cui bonis interdictum ſit , nulla voluntas eſt* — . Lege vetatur contrahere cum viro prodigo ff. *de Curatoribus furioſo , & aliis extra minores dandis* L. 1. — *Lege duodecim tabularum prodigo interdicitur bonorum ſuorum adminiſtratio , quod moribus quidem ab initio introductum eſt . Sed ſolent hodie Prætores , vel Præſides , ſi talem hominem invenerint , qui neque tempus , neque finem expenſarum habet , ſed bona ſua dilacerando , & diſſipando profudit , curatorem ei dare exemplo furioſi : & tamdiu erunt ambo in curatione , quamdiu vel furioſus ſanitatem , vel ille ſanos mores receperit : quod ſi evenerit , ipſo jure deſinunt eſſe in poteſtate curatorum* — . Lege vetatur contrahere cum muto , vel ſurdo Inſtitut. *de inutilibus ſtipulationibus* §. 7. — *Mutum neque ſtipulari , neque promittere poſſe , palam eſt , quod & in ſurdo receptum eſt : quia & is , qui ſtipulatur , verba promittentis , & is , qui promittit , verba ſtipulantis audire debet . Unde apparet non de eo nos loqui , qui tardius exaudit , ſed de eo , qui omnino non audit* — : & ff. *de obligationibus & actionibus* L. 1. §. 14. 15. — *Mutum nihil pertinere ad obligationem verborum , natura manifeſtum eſt . Sed & de ſurdo idem dicitur , quia etiamſi loqui poſſit , ſive promittit , verba ſtipulantis exaudire debet ; ſive ſtipuletur , debet exaudire verba promittentis . Unde apparet non de eo nos loqui , qui tardius exaudit , ſed qui omnino non exaudit* — . Lege demum vetatur contrahere cum pupillo , vel minore ſine tutoris , aut curatoris auctoritate . Scias hic oportet , infantem dici illum , qui nondum ſeptennium complevit . A ſeptennio uſque ad decimum cum dimidio dicitur infantiæ proximus , ſi ſit mas , & uſque ad nonum cum dimidio , ſi ſit fœmina . Pubes ille eſt , qui habet annum quartumdecimum completum , ſi ſit mas , & duodecimum , ſi ſit fœmina . Ante hanc ætatem dicuntur *impuberes* . Pubertati proximus cenſetur maſculus a decimo anno cum dimidio uſque ad annum quartumdecimum completum , & femina a nono cum dimidio uſque ad duodecimum completum . Vir a nativitate ſua uſque ad ſeptennium dicitur infans : a ſeptennio uſque ad annum quartumdecimum vocatur impubes , ſeu pupillus : ab anno quartodecimo uſque ad annum viceſimum quintum completum dicitur minor , ſeu Minorennis : ( etiam in fœminis pubertas , quæ in iiſdem anno incipit ætatis ipſarum duodecimo , durat uſque ad complementum anni viceſimi quinti ) : completo demum anno viceſimo quinto vocatur , & eſt major , perfecti ſcilicet ſui juris . Qui

aſſigna-

aſſignatur infanti, & pupillo ad negotia ſua gerenda, appellatur tutor, & qui aſſignatur minori; vocatur curator. Hactenus ſecundum jus commune; ſcio enim pene in unaquaque natione ſuper hac re aliquid eſſe ſancitum, & juxta leges patrias, ubi ſunt, in caſibus particularibus eſſe judicandum. Pro ſtatu Regis Sardiniæ ita conſtitutum lego in legibus, ſeu Conſtitutionibus Victorii Amedei lib. 5. tit. x. num. 1. — *La minorità nella materia civile terminerà negli anni venti, e così ſaranno d'or' in avvenire riputati come Maggiori quelli, che gli avranno compiti* —. Ubi non ſunt leges patriæ, quiſque minor ſive mas is ſit, ſive fœmina, veniam ætatis impetrare poteſt a Principe, & fieri major annum agens viceſimum, ſi maſculus, & decimum octavum, ſi fœmina, textu expreſſo C. *de his qui veniam ætatis impetraverunt* L. *Omnes adoleſcentes*, nempe ſecunda, quam potes conſulere. Hiſce præhabitis, repeto, quod, generatim loquendo, vetitum eſt pupillis, & minoribus contrahere ſine auctoritate tutoris, & curatoris — *Nunc admonendi ſumus, neque pupillum, neque pupillam rem ullam ſine tutoris auctoritate alienare poſſe. Ideoque ſi mutuam pecuniam ſine tutoris auctoritate alicui dederit, non contrahit obligationem, quia pecuniam non facit accipientis: ideoque vindicari nummi poſſunt, ſicubi extant* —. Inſtitut. *Quibus alienare licet* §. 2. — *Pupillus omne negotium recte gerit, ita tamen ut, ubi tutoris auctoritas neceſſaria ſit, adhibeatur tutor, veluti ſi ipſe obligetur: nam alium ſibi obligare etiam ſine tutoris auctoritate poteſt. Sed quod diximus de pupillis, utique de iis verum eſt, qui jam habent aliquem intellectum, nam infans, & qui infantiæ proximus eſt, non multum a furioſo diſtant: quia hujuſmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum* — Inſtitut. *de inutilibus ſtipulationibus* §. 9. & 10. — *Contra juris regulas pacta conventa rata non habentur: veluti ſi pupillus ſine tutoris auctoritate pactus ſit, ne a debitore ſuo peteret, aut ne intra certum tempus (veluti quinquennium) peteret: nam nec ſolvi ei ſine tutoris auctoritate poteſt* — ff. *de pactis* L. 28. in principio. Dixi generatim loquendo, quoniam in jure ipſo excipiuntur nonnulli caſus, in quibus poteſt pupillus ſine tutoris auctoritate contrahere, vel in quibus contractus ſic peractus validus eſt; & obligationem inducens. Præcipuus ille eſt, quando contractus cedit in commodum pupilli, & meliorem efficit ipſius conditionem; ſapienter enim lege cautum fuit, ut ætas in damnis ſubveniat, & non obſit in lucro. En leges apertiſſimas — *Ex diverſo autem ſi pupillus paciſcatur, ne quod debeat a ſe peteretur, ratum habetur conventum: quia meliorem conditionem ſuam facere ei etiam ſine tutoris auctoritate conceſſum eſt* — ff. *de pactis* L. 28. ſub initio — *Auctoritas autem tutoris in quibuſdam cauſis neceſſaria pupillis eſt, in quibuſdam non neceſſaria: ut ecce, ſi quid dari ſibi ſtipulentur, non eſt neceſſaria tutoris auctoritas: quod ſi aliis promittant pupilli, neceſſaria eſt tutoris auctoritas. Namque placuit, meliorem quidem conditionem licere eis facere, etiam ſine tutoris auctoritate: deteriorem vero non aliter, quam cum tutoris auctoritate. Unde in his cauſis,*

Digitized by Google

*ſis, ex quibus obligationes mutuæ naſcuntur, ut in emptionibus, venditionibus, locationibus, conductionibus, mandatis, depoſitis, ſi tutoris auctoritas non interveniat, ipſi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur, at invicem pupilli non obligantur* — Inſtitut. *de auctoritate tutorum* in principio. Et hoc privilegium pupillis competit etiam in iis annis pupillaribus, in quibus adhuc ſunt infantiæ proximi, ut perſpicue Inſtitut. *de inutilibus ſtipulationibus* §. 10. -- *Sed in proximis infantiæ propter utilitatem eorum, benignior juris interpretatio facta eſt: ut idem juris habeant, quod pubertati proximi* — .

Hactenus in jure, ſecundum quod præſertim locutus eſt Author. Naturaliter enim, & in conſcientia, tametſi pupilli infantiæ proximi non obligentur etiam in caſu, in quo locupletiores facti eſſent — *quia hujuſmodi ætatis pupilli nullum habent intellectum*, uti ſcriptum eſt Inſtitut. *Quibus alienare licet* §. 2., vel ſaltem non caret periculo, quod ſufficienti ad contrahendum judicio ſint deſtituti: iidem tamen pubertati proximi, & a fortiori jam puberes facti obligantur, dum locupletiores ex contractu facti ſunt. Scriptum quidem eſt ff. *de obligationibus & actionibus* L. 59. — *Pupillus mutuam pecuniam accipiendo, ne quidem jure naturali obligatur*. Sed hujuſmodi lex intelligenda eſt cum Gloſſa ibidem de ſolis infantibus, vel quando pupillus contrahit cum tutore, quod omnino vetatur ff. *de auctoritate & conſenſu tutorum* L. 5. — *Pupillus obligari tutori eo auctore non poteſt* — . Cæterum dum cum aliis contraxit, & ex contractu factus eſt locupletior, ipſum naturaliter tunc obligari, & in conſcientia ſancitum eſt ff. *de condictione indebiti* L. 13. §. 1. — *Item quod pupillus ſine tutoris auctoritate mutuum accepit, & locupletior factus eſt, ſi pubes factus ſolvat, non repetit* —: & ff. *Commodati* L. 3. in principio — *Sed mihi videtur, ſi locupletior pupillus factus ſit, dandam utilem commodati actionem, ſecundum D. Pii reſcriptum* —: & ff. *de inſtitoria actione* L. 9. & 10. — *Verum ſi ipſe pupillus præpoſuerit, ſi quidem tutoris auctoritate, obligabitur: ſi minus, non. Eatenus tamen dabitur in eum actio, quatenus ex ea re locupletior eſt* —: & ff. *de auctoritate & conſenſu tutorum* L. 1. — *Divus Pius Antoninus reſcripſit, jure pupillam non teneri: ſed in quantum locupletior facta eſt, dandam actionem* — . Et quidem jure: quoniam obligatio naturalis oritur ex libero conſenſu; & pupillus, de quo ſermo, ſufficiens jam habet judicium ad libere conſentiendum: & aliunde certum eſt, neminem ſcientem, & volentem locupletiorem poſſe fieri cum alterius injuria.

DECIMUM DUBIUM. Utrum vendens rem plus juſto pretio teneatur?

Reſpondeo ſecundum Joannem Calderinum in cap. *Naviganti* Extra *de uſuris*, quem ſequitur Panormitanus in cap.

cap. *In Civitate* ibidem, quod licet jura videantur permittere contrahentibus deceptionem citra dimidium juſti pretii, ea tamen intelligenda ſunt, quando reipſa intervenit deceptio. Secus autem dici debet, quando dolus dat cauſam contractui, vel incidit in contractu: quia tunc tenetur reſtituere, licet ſit citra dimidium; non enim veriſimile eſt, quod Jus Canonicum conditum inſtinctu Spiritus Sancti cap. *Si quis Diaconus* diſt. 50. approbaverit, & approbet hujuſmodi deceptionem doloſam. Hoc bene nota. Hoc tene: nec cures doctrinam Gloſſæ in dict. cap. *In Civitate*. Nota interim, quod tunc dolus dat cauſam contractui, quando doloſe te induco ad aliquid faciendum, quod alias non eras facturus. Immo tunc contractus etiam non tenet L. *Et eleganter* ff. *de dolo malo*, & 12. q. 2. cap. *Quiſquis Epiſcopus* in fine, & Extra *de rerum permutatione* cap. *Cum univerſorum*. Et hoc, ſcilicet quod non tenet contractus, verum intellige de contractibus bonæ fidei, qui nominantur Inſtitut. *de actionibus* §. *Actionum*. Dolus poſtmodum tunc incidit in contractu, quando eras quidem facturus contractum, ſed in contractu ipſo te decipio.

(162) Revera Gloſſa in cap. *In Civitate* Extra *de uſuris*, & ſingillatim in ver. *Comparant* tenuit, docuitque licere contrahentibus ſe ſe invicem decipere uſque ad dimidium juſti pretii, & quod pluris facio id probare contendit ex jure tum civili, tum canonico ſcribens – *Quia licet contrahentibus ſe ſe ad invicem decipere ff. DE MINORIBUS L. IN CAUSÆ* §. *IN PRETIO* (ideſt 4. incip. *Idem Pomponius*) *uſque ad dimidium juſti pretii, ſupra DE EMPTIONE ET VENDITIONE cap. CUM DILECTI, & cap. penultimo, & C. DE RESCINDENDA VENDITIONE L.* 2. –. Sed allucinata eſt, ut appoſite adnotatum invenio ibidem in margine – *Hoc lege civili permittitur, ſed lege divina non licet* – Dum audis *permittitur* intellige pœnam non induci, & contractum non reſcindi, ſicuti exponit S. Thomas, de quo infra, & loquitur etiam S. Bernardinus To. 2. ſerm. 33. art. 2. cap. 8. inquiens – *quia decipere non liceat etiam citra dimidium juſti pretii. Circa hoc tamen notandum eſt, quod licet civili jure cautum ſit, quod ſi emptor, ſeu venditor ultra medietatem juſti pretii defraudetur, contractus ſit*

*nullus, & ſit per Judicem irritandus* .... Ita & non aliter expone L. *In cauſæ* §.4. ff. *de minoribus* in ſpecie durinſculam — . *Idem Pomponius ait, in pretio emptionis, & venditionis naturaliter licere contrahentibus ſe circumvenire*. Rem hanc jam expendi in Anecdoto *de contractibus*. Placet igitur ea exſcribere, quæ ibidem dixi pag. 12. 13. —

Ne quæſo credas jure civili permitti, ut ementes, & vendentes ſe invicem fraudent intra dimidium juſti pretii; id enim non patitur Regula 206. ff. *de diverſis Regulis juris* — *Jure naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento, & injuria fieri locupletiorem* — . Jure civili duntaxat ſancitur, ut decepto non competat actio contra deceptorem, niſi fuerit deceptus ultra dimidium L. 2. C. *de reſcindenda venditione* — *Rem majoris pretii ſi tu, vel pater tuus minoris diſtraxerit, humanum eſt, ut, vel pretium te reſtituente emtoribus fundum venundatum recipias auctoritate Judicis intercedente: vel, ſi emtor elegerit, quod deeſt juſto pretio recipias. Minus autem pretium eſſe videtur, ſi nec dimidia pars veri pretii ſoluta ſit* — . Idem prorſus ſancitum legimus in Jure Canonico quoad forum externum Extra *de emtione & venditione* cap. *Cum dilecti*, & cap. *Cum cauſa*, in quorum poſtremo hæc habentur — *Cum conſtitiſſet nobis Monaſterium in venditione ultra dimidium juſti pretii fuiſſe deceptum, ſententiando decrevimus, ut præfati cives aut recepto pretio poſſeſſiones reſtituerent memoratas, aut ſupplerent quantum conſtaret legitimæ venditionis tempore juſto pretio defuiſſe* — ; hiſce enim in caſibus — *In arbitrio emtoris eſt, ſi velit, ſupplere juſtum pretium, aut venditionem reſcindere* — , ſicuti legitur in primo horum capite, nempe *Cum dilecti*. Id, ut puto, conſtitutum eſt, ad vitandam litium multitudinem, quum quaſi connaturale homini ſit vili emere, & caro vendere. Cæterum in foro conſcientiæ omnis fraus condemnatur, ſicuti jure docet Author; & iccirco dummodo pretium fuerit vel infra, vel ultra juſtum, ſemper decipiens tenetur ad reſtitutionem, etiamſi in minimo deceperit: quia, ut habet Regula 48. Juris in Sexto — *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria, vel jactura* — , & merito Apoſtolus prima ad Theſſalon. cap. 4. v. 6. — *Ne quis ſupergrediatur, neque circumveniat in negotio fratrem ſuum, quoniam vindex eſt Dominus de his omnibus* — . Appoſite igitur S. Thomas 2. 2. q. 77. art. 1. ad primum — *Lex humana populo datur, in quo ſunt multi a virtute deficientes; non autem datur ſolis vitioſis. Et ideo lex humana non potuit prohibere quidquid eſt contra virtutem: ſed ei ſufficit, ut prohibeat ea, quæ deſtruunt humanum convictum; alia vero habeat quaſi licita, non quia ea approbet, ſed quia ea non punit. Sic ergo habet quaſi licitum, pœnam non inducens, ſi abſque fraude venditor rem ſuam ſupervendat, aut emtor vilius emat, niſi ſit nimius exceſſus: quia tunc etiam lex humana cogit ad reſtituendum, puta ſi aliquis deceptus ultra dimidiam juſti pretii quantitatem. Sed lex divina nihil impunitum relinquit, quod ſit virtuti contrarium; unde ſecundum divinam legem illicitum reputatur, ſi in emtione & venditione non ſit*

*æqua-*

Digitized by Google

*æqualitas juſtitiæ obſervata: & tenetur ille, qui plus habet, recompenſare ei, qui damnificatus eſt —.*

Subdit Author, quod, quando intervenit dolus, contractus tunc non tenet. Et reipſa id probant jura ab eodem producta; ſcriptum eſt enim ff. *de dolo malo* L. *Et eleganter* ſub initio -- *Nullam eſſe venditionem ſi in hoc ipſo, ut venderet, circumſcriptus eſt* —, & 12. q. 2. cap. *Quiſquis Epiſcopus* §. 2. — *Quod ſi calliditate uſus fuerit, & a colono, vel a Clerico emerit Princeps agrum, irrita ſit venditio* —. Ratio poteſt eſſe, non ſolum quia Extra *de emptione & venditione* cap. 5. ſcriptum eſt — *Fraus, & dolus cuiquam patrocinari non debent* —, ſed præſertim quia deeſt liber conſenſus contrahentis, qui certe non contraheret, ſi ſciret callidum, & fallentem animum alterius. Hæc tamen generatim intellige; optima eſt enim communis Theologorum diſtinctio, loquendo de errore & dolo circa contractus, quod ſi error, & dolus ſint circa ſubſtantiam rei, vel naturam contractus, vel motivum intrinſecum, & ſubſtantiale, tunc contractus, jure naturæ eſt invalidus ob defectum conſenſus — *Cum (ut Julianus ſcribit) non conſentiant qui errent. Quid enim tam contrarium conſenſui eſt, quam error, qui imperitiam detegit?* — ff. *de juriſdictione* L. 15. — *Non videntur qui errant conſentire* -- ff. de diverſis *regulis juris antiqui* Regula 116. §. 2. -- *Cum nullus ſit errantis conſenſus* — C. *de juris & facti ignorantia* L. 9. Si vero error & dolus duntaxat ſint circa rei qualitatem, nec dent cauſam contractui, non redditur contractus irritus, quia ſupponitur adhuc conſenſus circa ſubſtantialia, ſed fallens tenetur compenſare deceptum, puta ſolvendo illud pretium, quo, dolo ſublato, res fuiſſet vendita. Immo etſi dent cauſam contractui, dum tamen unice ſint circa rei qualitatem, contractus non redditur irritus, ſed duntaxat dicitur non firmus; quia in arbitrio decepti tunc eſt vel contractum reſcindere, vel ſtare contractui, & cogere deceptorem ad ſolvendam eam partem pretii, in qua ipſum decepit.

Accipe §. *Actionum* ab Authore ultimo loco laudatum — *Actionum autem quædam bonæ fidei ſunt, quædam ſtricti juris. Bonæ fidei ſunt hæ: ex empto, vendito, locato, conducto, negotiorum geſtorum, mandati, depoſiti, pro ſocio, tutelæ, commodati, pignoratitia, familiæ erciſcundæ, communi dividundo, præſcriptis verbis, quæ de æſtimato proponitur, & ea, quæ ex permutatione competit, & hæreditatis petitio. Quamvis enim uſque adhuc incertum erat, inter bonæ fidei judicia connumeranda hæreditatis petitio eſſet, an non: noſtra tamen Conſtitutio aperte eam eſſe bonæ fidei diſpoſuit* —. Cæteræ hic non recenſitæ vocantur ſtricti juris, ut optime Gloſſa ſuper hoc §.

Poſtulabis hic: quo in ſenſu hujuſmodi actiones vocentur bonæ fidei? Huic poſtulato reſpondet Gloſſa ibidem inquiens — *Notare autem debes in principio, quod duplex eſt bona fides. Una, quæ eſt contraria dolo, & fraudi: & hoc modo omnes contractus bonæ fidei ſunt; in omnibus enim debet abeſſe dolus, & fraus. Eſt & alia bona fides, quæ antonomaſtice vocatur bona*

*na fides propter exuberantem fidem, quæ eſt in ea. Ab iſta bona fide dicuntur contractus in iſto paragrapho enumerati bonæ fidei. Sed Domine: quæ eſt exuberantia fidei, quæ eſt in iſta, ſive in iſtis actionibus? Reſpondeo: Frater, ex hoc quod in eis multa conveniunt ex bono & æquo, de quibus non fuit actum inter partes. In contractibus autem ſtricti juris ſolum veniunt ea, de quibus actum eſt inter partes, ut venirent*—. Huc confert quod ſcriptum eſt Inſtitut. itidem *de actionibus* §. 30. *In bonæ fidei judiciis libera poteſtas permitti videtur Judici ex bono & æquo æſtimandi, quantum actori reſtitui debeat*—.

Quar-

Digitized by Google

QUartus decimus Titulus qui eſt de Commodato, continet quæſtiones quinque, ſeu quinque Dubia.

Primum Dubium. Utrum commodatarius teneatur, ſi res commodata periit?

Reſpondeo, quod ſic, ſi culpa ſua etiam leviſſima periit, dummodo commodatum gratia ſui acceperit, ſicuti communiter fit: nam commodatum eſt alicujus rei ad aliquem ſpecialem uſum gratuita conceſſio, ut dicit Gloſſa Extra *de Commodato*. Et quod teneatur, textus eſt apertus ibidem cap. unico, & L. *Si ut certo* §. 2. ver. *Commodatum* ff. *Commodati*: quia ſi in ſuis eſt diligens, in commodatis debet eſſe diligentior. Si contingat, quod defendere non poſſit inſimul & res ſuas, & res commodatas, poteſt ſalvare quas vult, ut dicit Gloſſa in §. 4. dictæ legis. Tenetur pariter de caſu fortuito in duobus caſibus. Primus eſt, ſi fuit in mora reſtituendi, etiamſi res eodem modo periiſſet apud commodantem. Arguitur L. *Cum res* ff. *de legatis primo* §. ult., & Extra *de commodato* cap. unico, & in Authentica *de depoſito & denunciationibus*. In conſcientia tamen credo, quod, quando eodem modo apud Dominum erat peritura, non teneatur niſi ad aliquod intereſſe; quod Dominus paſſus eſſet propter moram. Secundus caſus eſt, ſi intervenit pactum, dicto cap. unico. Poteſt addi & tertius, ſcilicet quando eſt in culpa, puta quia rem commodatam remiſit per miniſtrum minus idoneum, ff. *Commodati* L. *Eum qui*, & dicto cap. unico, & Gloſſa ibidem. Si commodatum ſit tantum gratia dantis, puta dum quis commodat uxori ſuæ jocalia, ut ad eum veniat compta, cul-

culta, & hujuſmodi, tenetur tunc ſolum de dolo, & culpa lata, ff. *Commodati* L. *Si ut certo* §. *Interdum*. Si vero ſit gratia utriuſque, puta commodo tibi vaſa, ut convoces ad prandium communes amicos, tunc unice tenetur de dolo, culpa lata, & levi, ff. *Commodati* L. *In rebus*, & dicta L. *Si ut certo*. De hoc vide Gloſſam in dicto cap. unico.

(165) Quid ſint culpa lata, levis, & leviſſima, jam explicui Annotatione 129.: ubi etiam expoſui doctrinam penes Juriſtas, & Theologos probatiſſimam, & communem: videlicet quod ſi contractus cedat in utilitatem ſolius tradentis, accipiens tenetur ſolum de dolo, & culpa lata: ſi cedat in utilitatem utriuſque, tenetur de dolo, de culpa lata, & levi: ſi demum cedat in utilitatem ſolius accipientis, tenetur is de dolo, de culpa lata, de levi, & de leviſſima. Doctrina iſthæc pene tota perſpicua legitur ff. *Commodati* L. *Si ut certo* §. 2., ubi ſcriptum eſt — *Nunc videndum eſt, quid veniat in commodati actionem: utrum dolus an & culpa? An vero & omne periculum? Et quidem in contractibus interdum dolum ſolum, interdum & culpam præſtamus: dolum in depoſito, nam quia nulla utilitas ejus verſatur, apud quem deponitur, merito dolus præſtatur ſolus: niſi forte & merces acceſſit; tunc enim (ut eſt conſtitutum) etiam culpa exhibetur: aut ſi hoc ab initio convenit, ut & culpam, & periculum præſtet is, penes quem deponitur. Sed ubi utriuſque utilitas vertitur, ut in empto, ut in locato; ut in dote, ut in pignore, ut in ſocietate, & dolus, & culpa præſtatur* —. Commodatum recte ab Authore definitum, ſubintelligendo tamen *ad aliquod tempus*, quod in illa particula *ad aliquem ſpecialem uſum* continetur, plerumque ſit in gratiam ſolius accipientis, textu aperto in L. nunc citata — *Commodatum autem plerumque ſolam utilitatem continet ejus, cui commodatur* —; & iccirco commodatarius tenetur de culpa etiam leviſſima, ut ibidem ſubditur — *Et ideo verior eſt Quinti Mucii ſententia exiſtimantis & culpam præſtandam, & diligentiam* —, & clarius eod. tit. L. 18. in principio — *In rebus commodatis talis diligentia præſtanda eſt, qualem quiſque diligentiſſimus Paterfamilias ſuis rebus adhibet: ita ut tantum eos caſus non præſtet, quibus reſiſti non poſſit: veluti mortis ſervorum, quæ ſine dolo, & culpa ejus accidunt, latronum, hoſtiumve incurſus, piratarum inſidias, naufragium, incendium, fugas ſervorum, qui cuſtodiri non ſolent* —. Nedum quæ huc uſque dixi, ſed pene omnia, de quibus Author in hoc titulo, expreſſim leguntur cap. unico, quod eſt Gregorii IX., Extra *de commodato* tenoris, ut ſequitur — *Cum gratia ſui tantum quis commodatum accepit, de leviſſima etiam culpa tenetur: licet caſus fortuitus (niſi acciderit culpa ſua, vel intervenerit pactum, ſeu in mora fuiſſet) ſibi non debeat imputari. Contra eum quoque recte commo-*

*dari*

Digitized by Google

*dari non agitur, niſi poſt uſum expletum, cujus gratia res fuerat commodata: cum non decipi beneficio nos oporteat, ſed juvari* —: & Inſtitut. *Quibus modis re contrahitur obligatio* §. 2. — *Item is, cui res aliqua utenda datur, id eſt commodatur, re obligatur, & tenetur commodati actione. Sed is ab eo, qui mutuum accepit, longe diſtat: namque non ita res datur, ut ejus fiat: & ob id de ea re ipſa reſtituenda tenetur. Et is quidem, qui mutuum accepit, ſi quolibet fortuito caſu amiſerit, quod accepit: veluti incendio, ruina, naufragio, aut latronum, beſtiumve incurſu: nihilominus obligatus manet. At is, qui utendum accepit, ſane quidem exactam diligentiam cuſtodiendæ rei præſtare tenetur: nec ſufficit ei tantam diligentiam adhibuiſſe, quantam ſuis rebus adhibere ſolitus eſt, ſi modo alius diligentior poterat eam rem cuſtodire: ſed propter majorem vim, majoreſve caſus non tenetur, ſi modo non ipſius culpa is caſus intervenit: alioqui ſi id, quod tibi commodatum eſt domi, peregre tecum ferre malueris, & vel incurſu hoſtium prædonumve, vel naufragio amiſeris: dubium non eſt, quin de reſtituenda ea re tenearis. Commodata autem res tunc proprie intelligitur, ſi nulla mercede accepta, vel conſtituta, res tibi utenda data eſt: alioqui mercede interveniente locatus tibi uſus rei videtur. Gratuitum enim debet eſſe commodatum* —.

Dixi plerumque; falluntur enim, qui arbitrantur, commodatum, ſi gratia ſolius tradentis fiat, ſemper tranſire in depoſitum, &, ſi fiat gratia utriuſque, verum ſemper eſſe locatum. Secus enim oſtendunt exempla ab Authore producta, quæ & ipſa ex lege fuere depromta: quoniam ff. *Commodati* L. *Si ut certo* §. 10. ſcriptum eſt — *Vel ſi ſua duntaxat cauſa commodavit ſponſæ forte ſuæ, vel uxori, quo honeſtius culta ad ſe duceretur* —, & eod. tit. L. 18. ſub initio — *At ſi utriuſque, veluti ſi communem amicum ad cœnam invitaverimus, tuque ejus rei curam ſuſcepiſſes, & ego tibi argentum commodaverim* —. Gratuita conceſſio ad uſum ea eſt, quæ commodatum a locato diſtinguit; non vero quod ſit gratia ſolius accipientis, quum ſecus contingere poſſit, ut oſtendi, quin commodatum tranſeat in locatum.

*Mora ſua cuilibet eſt nociva* — Regula 25. Juris in Sexto. Recte igitur poſt Gregorium IX. in dicto cap. unico docet Author, quod moroſus tenetur etiam de caſu fortuito: quia propter moram cenſetur eſſe in culpa. Non diſplicet tamen, ſi de foro conſcientiæ ſermo ſit, ejuſdem limitatio ad intereſſe, ſeu damnum, ſi quod propter moram commodans paſſus eſt: quoniam ſi res, ut ponitur, eodem modo peritura erat apud Dominum, mora nullum habuit influxum in interitum rei, & æquitas non patitur, quod commodatarius damnetur in eo, in quo non fuit in culpa: æquitas non patitur, quod commodans locupletetur ſine alterius culpa, & cum alterius jactura.

*Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur* — Regula 85. Juris in Sexto. Jure ergo cum Gregorio IX. in dicto cap. unico Author conſtituit, quod commodatarius tenetur de caſu fortuito, ſtatim atque inter

con-

Digitized by Google

contrahentes ita fuit conventum. Definitum id eſt C. *de Commodato* L. 1. — *Ea quidem, quæ vi majore auferuntur, detrimento eorum, quibus res commodantur, imputari non ſolent. Sed cum is, qui a te commodari ſibi bovem poſtulabat, hoſtilis incurſionis contemplatione periculum amiſſionis, ac fortunam futuri damni in ſe ſuſcepiſſe proponatur. Præſes Provinciæ, ſi probaveris, eum indemnitatem tibi promiſiſſe, placitum conventionis implere eum compelles* —.

Simul ac commodatarius reſtitutionem faciendam committit nuncio minus idoneo, in culpa ipſe eſt. Ergo merito cum Gregorio IX. in dicto cap. unico Author ſcribit, quod commodatarius in hoc caſu etiam de caſu fortuito teneatur. Id exhibet L. *Eum qui* in fine ff. *Commodati* — *Sed & ſi, dum refertur, periit: ſi quidem ego mandaveram per quem remitteret, periculum meum erit: ſi vero ipſe, cui voluit, commiſit, æque mihi culpam præſtabit, ſi ſui cauſa accepit* —. Ex hac lege palam etiam fit, quod ſi Dominus ipſe, ſeu commodator, mittat ad me nuntium minus idoneum, ut eidem tradam rem commodatam per eundem ipſi remittendam, ipſi Domino perit, ſi pereat. Et quidem æquiſſime; in hoc enim caſu res non mea, ſed culpa Domini perit. Sed quoniam poteſt Dominus ad me mittere nuntium, vel ut ipſi tradam commodatum, vel ut unice me moneat de commodato reſtituendo: cave, ne idem dicas in hoc ſecundo caſu, ſi eo nuntio ipſe utor ad reſtitutionem faciendam. Secus certe conſtituendum eſt textu aperto ff. eod. tit. L. *Si mei cauſa* §. 1. — *Commodatam rem miſſus, qui repeteret, cum recepiſſet, aufugit. Si Dominus ei dari juſſerat, Domino perit: ſi commonendi cauſa miſerat, ut referretur res commodata, ei, cui commodata eſt* — (In editione Taurinenſi Juris Civilis anno 1757. ſcriptum eſt — *qui commodatus eſt*. Sed ſenſus poſtulat — *cui commodata eſt*, (ut legitur in Editione Veneta cum Commentariis Accurſii &c. an. 1591.).

Sed quid juris, ſi commodatum remittendum trado nuntio, ſeu miniſtro meo idoneo, de cujus fide nullus unquam dubitavit: adhuc ne teneor de caſu fortuito, ſi contingat? Minime gentium. Textus eſt apertiſſimus ff. eod. tit. L. *Argentum*, quæ eſt hujuſmodi — *Argentum commodatum ſi tam idoneo ſervo meo tradidiſſem ad te perferendum, ut non debuerit quis æſtimare futurum, ut a quibuſdam malis hominibus deciperetur: tuum, non meum, detrimentum erit, ſi id mali homines intercepiſſent* —. Ratio in promtu eſt. Commodator ſemper eſt Dominus rei commodatæ, quum per commodatum ad differentiam mutui dominium non transferatur in commodatarium —. *Nemo enim commodando, rem facit ejus, cui commodat* —, ait L. 9. ff. *Commodati*, & idem jam dixerat L. immediate præcedens, ſcilicet 8. — *Rei commodatæ & poſſeſſionem, & proprietatem retinemus* — Si ergo ſine culpa commodatarii res perit, ut in caſu, ſoli Domino perit.

Inquiebat Author, quod dum commodatarius non poteſt ſimul & ſemel ob naufragium, ruinam, incendium, & hujuſmodi, & res ſuas, & res

tes commodatas ſervare incolumes, in arbitrio, & poteſtate ipſius eſt, ſalvare quas vult aliiſque præferre. Reipſa Gloſſa ab eodem producta id aſſerit, non tamen generatim, ſed in eo duntaxat caſu, in quo res commodatarii ſunt pretioſiores. Doctrina iſthæc indiget expoſitione, & præclara ea eſt, quam Author ipſe tradit in Angelica ver. *Commodatum* num. 16. ſcribens — Reſpondeo, quod ſi ſuæ erant viliores, non poteſt. Facit L. *Quod Nerva* in fine ff. *Depoſiti*. Si vero erant ejuſdem pretioſitatis, ſimiliter non poteſt, ſi commodatum eſt factum gratia commodatarii. Facit L. *In rebus* poſt principium ff. *Commodati*. Si vero eſt factum gratia commodantis tantum, etiam ſuas viliores poteſt præponere. Facit dict. §. *Interdum*. Si autem gratia utriuſque, tunc ſolum poteſt præponere res ſuas, ſi ſunt æque pretioſæ. Quando autem ſuæ erunt pretioſiores, poteſt eas præponere rebus commodatis, quamvis commodatum ſit factum gratia recipientis tantum: quia quilibet diligens hoc faceret, & non tenetur facere, niſi quod diligentiſſimus feciſſet, dicta L. *In rebus*. Et ſic intellige dict. L. *Si ut certo* §. *Quod vero ſenectute*. Quod nota, quia facit ad multa: ut qui tenetur de dolo, poſſit præponere viliores ſuas: qui vero de levi, æquales: qui de leviſſima, pretioſiores ſolum — Hæc ille. Similia ſcripſit Sylveſter de Prierio ver. *Commodatum* q. 12. — 1. *Si res ſuæ erant viles, præferre eas poteſt ſolum, ſi commodatum fuit cauſa commodantis..... Aliter non.* 2. *Sed ſi erant ejuſdem pretioſitatis, ſi commodatum factum eſt cauſa ſui, non poteſt præferre ſuas. Si vero ſunt digniores, poteſt eas præponere, etiamſi commodatum factum eſſet cauſa recipientis: tum quia quilibet diligens hoc faceret, & non tenetur facere niſi quod diligentiſſimus feciſſet.* 3. *Si vero gratia utriuſque, ſimiliter poteſt præponere ſuas: quia cæteris paribus, debet plus ſe, & ſua diligere, quam alium, & aliena* —. Doctrinam hanc tanti fecit Joannes Pontaſius, ut ver. *Commodatum* caſu 9. eandem in omnibus adprobarit.

Secundum Dubium. Utrum commodatarius utens commodato ad alium uſum præter eum, pro quo res fuit commodata, teneatur?

Reſpondeo, quod ſic, & committit furtum, ut Inſtitut. *de obligationibus quæ ex delicto naſcuntur* §. *Placuit*. Hoc credo verum, niſi arbitretur Dominum ſibi permiſſurum talem uſum.

(164) Non eſt opus hic Auctores, aut rationum momenta producere; leges enim habemus expreſſas, & perſpicuas —. *Sed interdum & mortis damnum ad eum, qui commodatum rogavit, pertinet: nam ſi tibi equum commodavero, ut ad villam adduceres, tu ad bellum duxeris, commodati teneberis* —

*ris* -- ff. *Commodati L. Si ut certo* §. 7. -- *Quod autem de latronibus , & piratis , & naufragio diximus , ita ſcilicet accipiemus , ſi in hoc commodata ſit alicui res , ut eam rem peregre ſecum ferat : alioquin ſi cui ideo argentum commodaverim , quod is amicos ad cœnam invitaturum ſe diceret , & id peregre ſecum portaverit , ſine ulla dubitatione etiam piratarum , & latronum , & naufragii caſum præſtare debet* --. Clarius in §. *Placuit* ab Authore indicato, & ſervatis ipſis reſponſionis verbis -- *Placuit tamen eos , qui rebus commodatis aliter uterentur , quam utendas acceperint , ita furtum committere , ſi ſe intelligant id invito Domino facere , eumque , ſi intellexiſſet , non permiſſurum . At ſi permiſſurum credant , extra crimen videri . Optima ſane diſtinctione : quia furtum ſine affectu furandi non committatur* --.

Tertium Dubium . Utrum revocans commodatum ante tempus teneatur de damno , quod patitur commodatarius ex tali revocatione ?

Reſpondeo , quod ſic : quia revocari non poteſt , niſi poſt expletum uſum , cujus gratia fuerat commodatum , dicto cap. unico , & L. *In commodato* §. *Sicut autem* ff. *Commodati* . Hoc in conſcientia credo verum dempto caſu , in quo qui commodavit paſſurus fuiſſet ſimiliter damnum , niſi revocaſſet , tametſi commodatarius alias ſibi providere non potuiſſet . Ratio eſt : quia ex re mea potius mihi conſulere debeo quam alteri : nec commodatarius poteſt dici deceptus , quamvis & ipſe alias ſibi non poſſet providere .

(165) Commodans , ſeu commodator , pro ſuo arbitrio poteſt tempus , finemque præſcribere . At , hoc ſemel conſtituto , generatim loquendo in ipſius poteſtate amplius non eſt aliud brevius adſignare tempus , aliumque minus utilem præſcribere finem . Ratio eſt manifeſta : quia commodatarius vi pacti acquiſivit jus utendi re commodata uſque ad tempus adſignatum , & pro fine inter contrahentes convento . *Si* enim ſecus ſuſpicatus eſſet , aliter ſibi providiſſet . Id omne perſpicuum eſt in lege ab Authore producta, quæ eſt hujuſmodi -- *Sicut autem voluntatis , & officii magis , quam neceſſitatis , eſt , commodare , ita modum commodati , finemque præſcribere , ejus eſt , qui beneficium tribuit* . Cum autem id fecit ( *ideſt poſtquam commodavit* ), *tunc finem præſcribere , & retro agere , atque intempeſtive uſum commodatæ rei auferre , non officium tantum impedit , ſed & ſuſcepta obligatio inter dandum , accipiendumque : geritur enim negotium invicem ; & ideo invicem propoſitæ ſunt actiones , ut appareat , quod principio bene-*

*beneficii, ac nudæ voluntatis fuerat, converti in mutuas præſtationes actioneſque civiles ..... Igitur ſi pugillares mihi commodaſti, ut debitor mihi caveres, non recte facies importune repetendo: nam ſi negaſſes, vel emiſſem, vel teſtes adhibuiſſem ..... adjuvari quippe nos, non decipi beneficio oportet —*; & Extra *de commodato* cap. unico — *Contra eum quoque recte commodati non agitur, niſi poſt uſum expletum, cujus gratia res fuerat commodata: cum non decipi beneficio nos oporteat, ſed juvari —*. Quum res ita ſe habeat, ſponte fluit commodantem, qui ante tempus repetit commodatum, teneri ad damnum, ſi quod ex tali intempeſtiva revocatione patitur commodatarius; injuriam enim ipſi facit, quia violat jus, quod ex pacto inito, & ex hoc contractu bonæ fidei commodatarius acquiſierat. Huc confert celeberrimum caput ult., quod eſt Gregor. IX. Extra *de injuriis & damno dato — Si culpa tua datum eſt damnum, vel injuria irrogata ..... jure ſuper his ſatisfacere te oportet —*.

Excipit Author caſum, in quo ex inopinato eventu commodans ex carentia rei ſuæ vel æquale damnum, vel majus damnum pateretur. Et hanc eandem exceptionem probant communiter Theologi cum Gabriele Antoine de contractibus part. 2. cap. 4. q. 4. reſp. 1. ſcribente — Excipe, niſi commodanti damnum ſimile ex carentia rei ſuæ inopinato immineret: tunc enim juxta multos ei licet ante tempus finitum repetere, etiam cum alterius damno. Quia non cenſetur uſum rei ſuæ gratis conceſſiſſe, niſi ſub hac tacita conditione, ut in tali eventu poſſit repetere; neque enim in gratuita promiſſione, & conceſſione uſus rei, quis cenſetur velle ſe ad tantum obligare, quantum in onerosa —. Hæc ille.

Secus certe conſtituendum eſt, ſi res commodata non fuit, ſed precario conceſſa. *Precarium* (ita L. 1. ff. *de precario*) *eſt, quod precibus petenti utendum conceditur tandiu, quandiu is, qui conceſſit, patitur —*; & iccirco hæc eſt differentia commodatum inter & precarium, quod in commodato res utenda aliquo modo, & tempore determinato conceditur; in precario autem omnia beneplacito Domini reſervantur, qui quocumque tempore rem precario conceſſam ſumere, & exigere juſte poteſt. Huc confert quod ſcriptum eſt eadem L. 1. §. 2. — *At qui precario concedit, ſic dat, quaſi tunc recepturus, cum ſibi libuerit precarium ſolvere —*, & eod. tit. L. 12. — *Cum precario aliquid datur, ſi convenit, ut in Calendas Julias precario poſſideat, nunquid exceptione adjuvandus eſt, ne ante ei poſſeſſio auferatur? Sed nulla vis eſt hujus conventionis, ut rem alienam Domino invito poſſidere liceat —*. Super hac ult. lege, & ſigillatim ſuper ver. *Conventionis*, opportune Gloſſa — *Hoc ideo, quia ad certum uſum non eſt data —*.

Quartum Dubium. Utrum commodatarius reſtituere teneatur rem ſecundum priſtinum ſuum ſtatum?



Digitized by Google

Reſpondeo, quod ſic. Alias quanti ejus intereſt condemnabitur, ff. *Commodati* L. *Sed mihi* §. 1.; res enim deterior facta non videtur reddita, ead. L.

(166) Reipſa id ſcriptum eſt lege ab Authore citata, quæ eſt hujuſmodi — *Si reddita quidem ſit res commodata ſed deterior reddita, non videbitur reddita, quæ deterior facta redditur, niſi quod intereſt præſtetur; proprie enim dicitur res non reddita, quæ deterior redditur* —. Id tamen intellige, dum commodatum deterius redditur culpa commodatarii, ut exponit Author ipſe in Angelica ver. *Commodatum* num. 13., & evidenter colligitur ex L. *Eum qui* in principio ff. eod. tit. — *Eum qui rem commodatam accepit, ſi in eam rem uſus eſt, in quam accepit, nihil præſtare, ſi in eam in nulla parte culpa ſua deteriorem fecit, verum eſt: nam ſi culpa ejus fecit deteriorem, tenebitur* —. Super commodato deteriore facto idem omnino ſtatuendum eſt, quod pro re commodata caſu fortuito pereunte ſupra fuit ſancitum: videlicet quod ſi pereat, vel deterior fiat ſine culpa commodatarii, pereat, & deterior fiat Domino; ſi autem culpa commodatarii, commodatario pereat; fiatque deterior. Quis enim adſerat, me teneri ad compenſandum damnum, ſi equus mihi commodatus pro itinere trium, aut quatuor dierum peragendo ob ſolam itineris defatigationem aliquid patiatur, & fiat aliquanto deterior? Tenerer profecto, ſi hoc mea culpa etiam leviſſima contingeret: puta quia eidem non præbui ſufficiens pabulum, vel congruis temporibus; aut quia in itinere peragendo nimis præceps fui, & iter, quod erat trium dierum, ut impenſis parcerem, duobus duntaxat abſolvi. At ſimul atque omnem omnino adhibui diligentiam, & eo unice uſus ſum, ſicuti uſus fuiſſet quiſque diligentiſſimus: ſi equus nihilominus aliquid patiatur, quam nulla mei intervenerit culpa, nullam pariter tenebor ſuſtinere pœnam, — *quod vero ſenectute contigit, vel morbo, vel vi latronum ereptum eſt, aut quid ſimile accidit, dicendum eſt, nihil eorum eſſe imputandum ei, qui commodatum accepit, niſi aliqua culpa interveniat* — ff. *Commodati* L. *Si ut certo* §. 4.: & clarius ff. eod. tit. L. ult. — *Si commodavero tibi equum, quo utereris uſque ad certum locum, ſi nulla culpa tua interveniente in ipſo itinere deterior equus factus ſit, non teneris commodati: nam ego in culpa ero, qui in tam longum iter commodavi, qui eum laborem ſuſtinere non potuit* —.

Quintum Dubium. Utrum commodans vaſa vitioſa teneatur?

Reſpondeo, quod ſic, puta de vino effuſo, vel corrupto, ſi ſcienter hoc facit. Secus, ſi ignoranter, ff. *Commoda-*

*modati* L. *In commodato* § *Sicut autem*, & L. penult., & Gloſſa in dict. cap. unicum. Idem dic de ſimilibus.

(167) Caſus eſt expreſſus ff. *Commodati* L. *In rebus* §. 3. — *Item qui ſciens vaſa vitioſa commodavit, ſi ibi infuſum vinum, vel oleum corruptum, effuſumve eſt, condemnandus eo nomine eſt* —. Conſulto ait lex *Sciens*: quoniam ſi ignorans quis commodaſſet vaſa ſimilia, damnum, quod inde ſequeretur, tribui potius deberet commodatario, qui iis uti non debebat, niſi prius experimento probaret, an vitio carerent nec ne.



Digitized by Google

**Q**uintus decimus Titulus qui eſt de Depoſito continet quatuor quæſtiones, ſeu quatuor Dubia.

Primum Dubium. Utrum depoſitarius teneatur?

Reſpondeo, quod tenetur de dolo, & culpa lata ff. *Depoſiti* L. 1. §. ult., & ff. *Commodati* L. *Si ut certo*, & Gloſſa in cap.. 2., ſeu ultimum, Extra *de depoſito*. Tenetur etiam de levi, ſi mercedem accipit pro cuſtodia, dict. cap. ultimo, & dict. L. 1. §. *Si quis ſervum*. Tenetur demum de leviſſima. Primo, quando ſe obtulit deponenti, dict. cap. ultimo, & dicta L. 1. §. *Sæpe evenit*. Secundo, ſi ita conventum eſt inter eos, dict. L. 1. §. *Si convenit*. Tertio, ſi cauſa depoſitarii res apud eum depoſita eſt, dict. L. 1. Quarto, ſi depoſitarius ſit in mora ff. *Depoſiti* L. *Si in Aſia* §. ultimo. Caſus fortuitus non imputatur depoſitario, niſi ſecundum quod diximus in Commodato, titulo præcedenti, Dubio primo. Et de hoc vide Gloſſam in dict. cap. ultimum. Similiter res depoſita reddi debet non deterior facta, ut dictum eſt ſupra de commodato Dubio quarto.

(168) *Depoſitum eſt, quod cuſtodiendum alicui datum eſt. Dictum ex eo, quod ponitur: præpoſitio enim DE auget depoſitum, ut oſtendat, totum fidei ejus commiſſum, quod ad cuſtodiam rei pertinet* — Ita L. 1. in principio ff. *Depoſiti*. Definitur iccirco — Contractus, quo aliquid traditur alicui ſine mercede cuſtodiendum, ut integrum ipſum reſtituat. Depoſitum plerumque fit in gratiam, & utilitatem ſolius deponentis. Contingere tamen poteſt, quod quandoque fiat in gratiam utriuſque, & etiam quandoque in gratiam ſolius depoſitarii. Si fiat in gratiam ſolius deponentis, jure dicit Author, quod tenetur duntaxat de dolo, & culpa lata: & id jam probatum fuit Annotatione 129. Huc reſpiciunt L. 1. §. ult. ff. *Depoſiti* — *Dolus duntaxat in hanc actionem venit* —: & ff. *Commodati* L. *Si ut certo* §. 2. — *In contractibus interdum dolum ſolum, interdum & culpam præſtamus: dolum in de-*

*poſ-*

*poſito : nam, quia nulla utilitas ejus verſatur, apud quem deponitur, merito præſtatur dolus ſolus* — : & Gloſſa in cap. 2. Extra *de depoſito* — Nota, quod depoſitarius tenetur de ſolo dolo, ſi doloſe verſatus eſt in depoſito ff. eo. L. 1. §. *In conducto* & §. ultimo, & ff. *Commodati* L. *Si ut certo* §. 2., & ff. *de Regulis juris* L. *Contractus* : & de lata culpa, quam Nerva dixit eſſe dolum ff. eo. L. *Quod Nerva*, quam Azo intelligit dolum præſumptum ff. *Mandati* L. *Si Fidejuſſor* 1. reſp. Ideo ſic expone : quia in ea lege dicitur ipſam latam culpam prope dolum eſſe ff. *de legatis* 1, L. *Cum res* §. ult., & ff. *de obligationibus, & actionibus* L. 1. §. *Is quoque, apud quem* : & alibi dicitur latam culpam dolo comparari ff. *Si menſor falſum modum dixerit* L. 1. §. *Lata eſt* : & ita non dolus eſt : quia nihil eſt id, cui ipſum eſt ſimile — . Hactenus Gloſſa. Memineris animadverſionis, quam tradidi eadem Annotatione 129. : videlicet in jure civili latam culpam perſæpe vocari dolum, culpam levem vocari culpam, & culpam leviſſimam vocari diligentiam, ſeu omiſſionem diligentiæ. Si autem fiat gratia utriuſque, puta cum depoſitarius accipit mercedem : Author merito ſubdit, quod tunc tenetur etiam de levi ; ita enim ſcriptum eſt ff. *Commodati* L. *Si ut certo* §. 2. — *Niſi forte & merces acceſſit ; tunc enim, ut eſt conſtitutum, etiam culpa exhibetur* — : & ff. *Locati* L. 1. §. 9. — *Si quis ſervum cuſtodiendum conjecerit forte in piſtrinum, ſi quidem merces intervenit cuſtodiæ, puto eſſe actionem adverſus piſtrinarium ex conducto* — : & Extra *de Depoſito* cap. 2. — *De culpa quoque teneris, ſi te ipſum depoſito obtuliſti, vel ſi aliquid pro cuſtodia recepiſſes* — . Non deſunt opinantes, depoſitarium in hoc caſu etiam teneri de culpa leviſſima. Ita reipſa Gloſſa in dict. cap. 2. *de Depoſito*. Ita S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 15. §. 5. inquiens — *De leviſſima culpa tenetur, ſi ſit in mora, vel aliquid accepit pro cuſtodia* — Ita Aſteſanus lib. 3. tit. 17. art. 4. Ita videtur poſſe colligi ex cap. 2. *de Depoſito* per verba nunc recitata. Sed re ut par eſt penſitata, doctrina Authoris, quam repetit in Angelica ver. *Depoſitum* num. 3. præferenda videtur. Vere etenim ſcripſit Roſella ver. *Depoſitum* num. 4. — *Secundus caſus, quando depoſitarius aliquid recepit pro cuſtodia ; hoc etenim caſu communiter tenetur, ut veniat levis, & non leviſſima, quia contractus ille fit gratia utriuſque* — . Merces quippe, quam recipit depoſitarius, non efficit, quin & deponens ipſe utilitatem ſentiat, quum ad hanc ſibi tutius comparandam conſulto mercedem perſolvat. Etiam de leviſſima tenetur certe in quatuor caſibus ab Authore memoratis. Tenetur in primo, dum ſe ipſum obtulit deponenti, ff. *Depoſiti* L. 1. §. 35. — *Sæpe evenit, ut res depoſita, vel nummi, periculo ſint ejus, apud quem deponuntur : ut puta ſi hoc nominatim convenit. Sed & ſi ſe quis depoſito obtulit, idem Julianus ſcribit, periculo ſe depoſiti illigaſſe : ita tamen ut non ſolum dolum, ſed etiam culpam, & cuſtodiam præſtet, non tamen caſus fortuitos* — . Rationem affert Roſella ibidem — *Cum videatur depoſitum factum gratia depoſitarii* — . Ita tamen limitat Gennettus To. 1.

Tract. 5.

Tract. 5. cap. 8. q. 7., quando Dominus hominem quærit diligentiſſimum, & depoſitarius ſe ſe offert, uti talem ſuam diligentiam venditans; tunc enim juſtum eſt, ut eam diligentiam adhibeat, quam oſtentavit. Tenetur etiam in ſecundo, dum nempe ita inter partes fuit conventum, ff. *Commodati* L. *Si ut certo* §. 2. – *Aut ſi hoc ab initio convenit, ut & culpam, & periculum præſtet is, penes quem deponitur* –: & ff. *Locati*. L. 1. §. 6. – *Si convenit, ut in depoſito & culpa præſtetur, rata eſt conventio: contractus enim legem ex conventione accipiunt* –. Cave interim, ne ex hac Regula 85. *de Regulis Juris* in Sexto – *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur* – inferas, contrahentes convenire poſſe, quod depoſitarius non teneatur de dolo vero, proprioque. Id enim expreſſe vetatur eadem L. 1. §. 7. ff. *Locati* – *Illud non probabis, dolum non eſſe præſtandum, ſi convenerit: nam hæc conventio contra bonam fidem, contraque bonos mores eſt; & ideo nec ſequenda eſt* –. Tenetur itidem in tertio, dum videlicet ſit cauſa depoſitarii; hoc enim indicat depoſitarium id conquiſiviſſe, ut depoſito uteretur, quemadmodum animadvertit Aſteſanus loco proxime laudato; & idcirco vel ſolum, vel principalius gratia ſui depoſitum fuiſſe factum. In hoc caſu depoſitarius tenetur, etiam antequam utatur depoſito, textu aperto ff. *Depoſiti* L. 1. §. 34. – *Si pecunia apud te ab initio hac lege depoſita ſit, ut, ſi voluiſſes, utereris, priuſquam utaris, depoſiti teneberis* –. Tenetur demum in quarto, quando ſcilicet eſt in mora, ff. *Locati* L. *Si in Aſia* §. ultimo – *Quemadmodum quod ex ſtipulatu, vel ex teſtamento dari oporteat, poſt judicium acceptum cum detrimento rei periret: ſic depoſitum quoque eo die, quo depoſiti actum ſit, periculo ejus, apud quem depoſitum fuerit, eſt* –. Ratio eſt manifeſta: quia ex ea die depoſitum penes ipſum eſt in gratiam ſui ipſius, in ſolam ſui ipſius utilitatem.

Adjicit Authŏr, quod caſus fortuitus non imputatur depoſitario, niſi in quibuſdam caſibus. Et reipſa generatim loquendo ita eſt, ut L. 1. §. 35. ff. *Locati* jam producta – *Culpam & cuſtodiam præſtet, non tamen caſus fortuitos* –: & S. Thomas 2. 2. q. 62. art. 6. in corpore – *Tertio modo aliquis accipit rem alterius abſque injuria, non pro ſua utilitate, ſicut patet in depoſito. Et ideo ille, qui ſic accepit, in nullo tenetur ratione acceptionis: quinimmo accipiendo impendit obſequium. Tenetur autem ratione rei; & propter hoc, ſi ei ſubtrahatur res abſque ſua culpa, non tenetur ad reſtitutionem. Secus autem eſſet, ſi cum magna ſua culpa rem depoſitam amitteret* –. Rationem ſtatim profero. Per depoſitum dominium non transfertur in depoſitarium, ſed adhuc remanet ipſius deponentis. In caſibus fortuitis res Domino ſoli perit, generatim loquendo. Ergo in caſibus fortuitis generatim loquendo perit deponenti, non autem depoſitario. Caſus tamen nonnulli ſunt excipiendi, quos omnes comprehendit Gregorius IX., dum cap. 2. Extra *de Depoſito* inquit – *Pacto vero, culpa, vel mora præcedentibus, caſus etiam fortuitus imputatur* –.

Con-

Concludit Author, quod res depoſita reddi debet integra, non facta deterior. Et hoc ipſum ſancitum eſt ff. *Depoſiti* L. 1. §. 16. — *Si res depoſita deterior reddatur, quaſi non reddita, agi depoſiti poteſt: cum enim deterior redditur, poteſt dici, dolo malo redditam non eſſe* —. Hoc tamen intellige culpa depoſitarii: quoniam ſi abſque aliqua hujus culpa deterior redderetur, quod mille modis poteſt contingere, imputari hoc non deberet depoſitario, quum pœna ſequatur culpam, & non aliter.

Quæres hic: an depoſitarius ſemper teneatur reſtituere depoſitum deponenti?

R. Generatim loquendo, ita profecto eſt; hujuſmodi enim reſtitutio computatur inter ea, quæ ſunt juris naturalis diſt. 1. cap. 7. — *Item depoſitæ rei, vel commodatæ pecuniæ reſtitutio* —. Sed non deſunt caſus, in quibus ſecus eſt conſtituendum. Primus erit, ſi quis penes me gladium deponat, & furens ipſum repetat: ut perſpicue Auguſtinus 22. q. 2. cap. *Ne quis* §. 2. — *Si cui gladius commendetur, & promittat ſe redditurum, cum ille, qui commendavit, popoſcerit: ſi forte gladium ſuum repetat furens, manifeſtum eſt tunc non eſſe reddendum, ne vel ſe occidat, vel alios, donec ei ſanitas reſtituatur* —: & S. Thomas 2. 2. q. 57. art. 2. ad primum — *Eſt aliquis caſus, in quo depoſitum non eſt reddendum, ne homo perverſam voluntatem habens, male eo utatur, ut puta ſi furioſus, vel hoſtis Reipublicæ arma depoſita repoſcat* —. Secundus erit, ſi deponens fuerit deportatus; bona enim ipſius tunc in publicum deferenda ſunt, textu aperto ff. *Depoſiti* L. *Bona fides* in principio — *Reus capitalis judicii depoſuit apud te centum, is deportatus eſt, bona ejus publicata ſunt: utrum ne ipſi hæc reddenda, an in publicum deferenda ſint? Si tantum naturale jus, & gentium intuemur, ei, qui dedit, reſtituenda ſunt: ſi civile jus, & legum ordinem, magis in publicum deferenda ſunt. Nam male meritus publice, ut exemplo aliis ad deterrenda maleficia ſit, etiam egeſtate laborare debet* —. Sed videtur (ita Gennettus To. 1. Tract. 5. cap. 8. q. 11.) quod in hujuſmodi caſu poteſt depoſitarius Juris Canonici clementiam rigori legis civilis præferre, & ita rem deponenti, quantumcumque reo, reſtituere, cujus conditio pejor eſſe non debet, quam conditio furis, cui depoſitum etiam juxta legem civilem reddi debet, ut mox dicam. Tertius erit, ſi res furtiva fuerit depoſita, eamque inſimul petant Dominus & latro; nam tunc potior eſt cauſa Domini, ead. L. §. 1. — *Latro ſpolia, quæ mihi abſtulit, poſuit apud Sejum inſcium de malitia deponentis: utrum latroni, an mihi reſtituere Sejus debeat? Si per ſe dantem, accipientemque intuemur, hæc eſt bona fides, ut commiſſam rem recipiat is, qui dedit. Si totius rei æquitatem, quæ ex omnibus perſonis, quæ negotio iſto contingunt, impletur, mihi reddenda ſunt, quæ facto ſceleſtiſſimo adempta ſunt: & probo hanc eſſe juſtitiam, quæ ſuum cuique ita tribuit, ut non diſtrahatur ab ullius perſonæ juſtiore repetitione. Quod ſi ego ad petenda ea non veniam, nihilominus ei reſtituenda*



Digitized by Google

*ſunt, qui depoſuit, quamvis male quæſita depoſuit. Quod & Marcellus in Prædone, & fure ſcribit —*. Ex poſtremis hiſce verbis liquido conſtat, quod ſi Dominus tunc eam non repetat, reſtitui debet ipſi furi, monendo tamen ipſum, ut eam vero Domino reſtituat, & inſuper monendo Dominum, ſi reſtitutio reipſa non ſequatur: ut appoſite Gabriel Antoine de contractibus part. 2. cap. 4. q. 2. num. 3. Placet nihilominus, quod ex Leſſio ſubdit idem Antoine, nempe in foro conſcientiæ ſemper eſſe reſtituendam vero Domino, niſi in caſu, in quo quis non ſine fundamento arbitraretur, furem eandem repetere, ut ipſam Domino reſtituat. Quartus erit, ſi fur rem deponat apud Dominum, ad quem pertinet, & cui fuit ablata; ſubditur enim ead. L. *Bona fides — Et ſi rem meam fur, quam me ignorante ſubripuit, apud me etiam nunc delictum ejus ignorantem depoſuerit, recte dicetur non contrahi depoſitum: quia non eſt ex fide bona, rem ſuam Dominum prædoni reſtituere compelli —*.

Quæres ſecundo: Utrum compenſatio locum habere poſſit in depoſito?

R. Nequaquam. Privilegium hoc eſt depoſiti utroque jure firmatum, ne contractus bonæ fidei ad perfidiam retrahatur —. *Si quis vel pecunias, vel res quaſdam per depoſitionis acceperit titulum, eas volenti ei, qui depoſuit, reddere illico modis omnibus compellatur: nullamque compenſationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponat: quaſi & ipſe quaſdam contra eum, qui depoſuit, actiones perſonales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens, cum non ſub hoc modo depoſitum acceperit, ut non conceſſa ei retentio generetur, & contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur —*. C. *Depoſiti* L. *Si quis vel pecunias — Sane depoſitori licet pro voluntate ſua depoſitum revocare, contra quod compenſationi, vel deductioni locus non fuit, ut contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam minime referatur, licet compenſatio admittatur in aliis, ſi cauſa, ex qua poſtulatur, ſit liquida, ita quod facilem exitum credatur habere* .- Gregorius IX. Extra *de depoſito* cap. 2.

Quæres tertio cum S. Antonino part. 2. tit. 1. cap. 15. §. 5., cujus erunt verba omnia tum poſtulati, tum reſponſi — Ex his videtur ſolvi poſſe quæſtio, qua quæritur: Quid, cum Officialis alicujus Communitatis, vel Domini, qui ſolet dici Camerarius, vel Theſaurarius, recipiens pecunias introitus ipſius Communitatis, vel Domini, gabellarum, pedagiorum, collectarum, & prædictas pecunias aſſignans congruo tempore aliis Officialibus, vel perſonis determinatis a Domino ipſo, vel a Communitate, puta ſtipendiariis, & aliis ſervientibus eis: Utrum ſi pecunia ſibi tradita per modum quaſi depoſiti, ſi cum ea negotietur, vel eam permutet, cambiendo florenos ad monetam, vel econverſo, vel mutuo tradens uſuram recipiat: utrum lucrum inde ſuſceptum fiat ſuum?

Ad hoc dicendum, quod ſi Communitas inde nil lædatur, ſeu Dominus illius pecuniæ: nec etiam perſonæ, quæ recipere debent ſua ſalaria,

quia

Digitized by Google

quia ſcilicet tempore ſtatuto eis ſolvitur integre : illud lucrum ſuum facit ratione ſuæ induſtriæ : & præcipue cum ſubſtet amiſſio ejus periculo ſui ; unde & fidejuſſorem tales ſolent dare : & Communitates hoc ſciunt , & tolerant : quia res eſt in numero conſiſtens , & pondere , non obſignata , & ſic non proprie depoſitum . Secus autem eſſet , ſi pecuniæ amiſſio ſubſtaret periculo Communitatis , vel Domini : quia tunc lucrum eſſet Communitatis , ſeu Domini , deducta tamen mercede laboris illius eam exercentis . Item ſi ex hoc exercitio ſequeretur damnum creditoribus Domini , vel Communitatis : quia eis non ſolvitur ſtatuto tempore ex eo quod Camerarius pecuniam Communitatis , vel Domini in aliis tenet occupatam : tunc tenetur illis de omni damno , & peccat graviter , contra voluntatem eorum differendo ſolutionem . Si autem in uſuris exercet talem pecuniam , peccant graviter talia permittentes , ad quos ſpectat , cum participes ſint peccati conſentiendo 11. q. 3. *Qui conſentit* : & tenetur ipſe ad reſtitutionem , & Communitas , ſeu Dominus , ſi inde aliquid lucri haberet , quoad illam partem — . Hæc ille .

SECUNDUM DUBIUM . Utrum nauta , in cujus navi aliquid deponitur , teneatur , dum amittitur ?

Reſpondet Gloſſa in cap. 1. Extra *de depoſito* , quod ſic : quia tenetur habere cuſtodiam eorum omnium , quæ in ipſa ponuntur ff. *Nautæ , caupones , ſtabularii* L. *Nauta* . Hoc verum credo quoad conſcientiam , quando in ipſius præſentia deponitur . Secus autem , ſi eo abſente , vel ignorante poſita ſint , & poſtmodum perdantur ſine ipſius dolo : quia tunc puto , quod in conſcientia non teneatur . Arguitur cap. 1. Extra *de Depoſito* , & pro hoc facit Gloſſa ibidem . Idem intellige de conſimilibus .

(169) Certiſſimum eſt , quod ſancitur ff. *Furti adverſus nautas* L. unica — *In eos , qui naves , cauponas , ſtabula exercebunt , ſi quid a quoque eorum , quæſve ibi habebunt , furtum factum eſſe dicetur , judicium datur : ſive furtum ope , conſilio exercitoris factum ſit : ſive eorum cujus , qui in ea navi navigandi cauſa eſſet . Navigandi autem cauſa accipere debemus eos , qui adhibentur , ut navis naviget , hoc eſt nautas . Et eſt in duplum actio* — : & ff. *Nautæ , caupones* L. 1. in principio — *Ait Prætor : Nautæ , caupones , ſtabularii , quod cujuſque ſalvum fore receperint , niſi reſtituent , in eos judicium dabo . Maxima utilitas eſt hujus Edicti : quia neceſſe eſt plerumque eorum fidem ſequi , & res cuſtodiæ eorum committere . Ne quiſquam putet gra-*

*vi ter hoc adverſus eos conſtitutum : nam eſt in ipſorum arbitrio, ne quem recipiant : & niſi hoc eſſet ſtatutum, materia daretur cum furibus adverſus eos, quos recipiunt, coeundi, cum ne nunc quidem abſtineant hujuſmodi fraudibus* — Dubium conſurgit : an ut nauta depoſiti teneatur, & cuſtodiæ, neceſſum ſit, quod res eidem, ſervisve ſuis fuerint traditæ, vel ſufficiat quod fuerint in navim receptæ. Si Juri civili inſiſtamus, ſatis eſt receptio rerum in navim, ſicuti ſancitum legimus ead. L. 1. §. ultimo — . *Recipit autem ſalvum fore, utrum ſi in navem res miſſæ ei adſignatæ ſunt, an, etſi non ſint adſignatæ, hoc tamen ipſo, quod in navem miſſæ ſunt, receptæ videntur? Et puto, omnium eum recipere cuſtodiam, quæ in navem illatæ ſunt : & factum non ſolum nautarum præſtare debere, ſed & vectorum* — . At, ſi Jus Canonicum conſulamus, quum pœna ſupponat culpam, ſi in nauta culpa non eſt, neque poterit eidem infligi pœna. Quapropter ſi nautis abſentibus, vel ignorantibus, quis in navim aliquid poſuerit quantumcumque pretioſum, & amittatur, arbitror cum Authore nautas in foro conſcientiæ ad nil teneri, dummodo ipſi nihil furati ſint, nec furibus conſilium dederint, vel auxilium. Veritatem hanc agnovit & ipſa Gloſſa civilis ſuper §. nunc recitatum, & iccirco ſcripſit — Sed an ita demum ſi ſciverit, an ſi ignoraverit? Reſpondeo, forte etiam ſi ignoraverit, ut infra *Furti adverſus nautas, caupones, ſtabularios* L. 1. §. *In duplum*, & infra *Depoſiti* L. 1. §. *Si ciſta* in fine. Sed melius eſt contrarium, ut C. *de ſervis fugitivis* L. *Quicumque* §. *Quod ſi ſervus*, & C. *de his, qui latrones, vel aliis criminibus reos occultaverint* L. 1. & 2., & infra *de uſucapionibus* L. *Sequitur* §. *Tunc*, & infra *de actionibus & obligationibus* L. 4. §. 1. — . Hactenus Gloſſa.

Quid ſi peregrinus intrat navem (Ita Roſella ver. *Depoſitum* num. 10.) vel tabernam, & non oſtendit res, quas habet : poſtea dicit ſe perdidiſſe certas res : an debeat ſtari ejus Sacramento? Matthæus in Clementina *Ne in agro, de ſtatu Monachorum*, prout recitat ibi Zeb., dicit, quod non per cap. final. *de jure jurando* : quia non defertur juramentum, niſi quando præcedit ſemiplena probatio —, Hæc ille.

TERTIUM DUBIUM. Utrum Eccleſia teneatur de depoſito facto Prælato ipſius Eccleſiæ, ſi pereat depoſitum?

Reſpondet Gloſſa prædicta, quod non, niſi tale depoſitum verſum ſit in utilitatem Eccleſiæ. Arguitur C. *Quod cum eo, qui aliena poteſtate* L. *Ei qui*, & 10. q. 2. cap. *Hoc jus*, & ff. *Depoſiti* L. 1. §. *An in pupillum*.

(170) Hoc ipſum definivit Alex. III. Extra *de Depoſito* cap. 1. reſpondens Epiſcopo Londonenſi ſuper pecunia ab eodem Epiſcopo depoſita penes quem-

quendam Canonicum nomine Belial – *Cum enim non conſtet pecuniam tuam, quam ille vir Belial furatus eſt, in Eccleſiæ utilitatem converſam: non debemus de jure contra Canonicos ejuſdem Eccleſiæ præciſe intentare juſſionis inſtantiam, ut tibi eamdem reddant pecuniam, perſonæ non Eccleſiæ, commendatam* –. Super quo egregie Gloſſa – *Nota, quod Eccleſia non tenetur, cum depoſitum non ſit Eccleſiæ, ſed perſonæ. Tamen ſi tale depoſitum factum alicui de Eccleſia verſum ſit in utilitatem Eccleſiæ, tenetur Eccleſia, non actione depoſiti, ſed de in rem verſo .... Sed qualiter dicitur commendata eſſe Eccleſiæ? Reſpondeo, ex eo quod defertur in theſaurum Eccleſiæ ..... Quod tamen non credo, niſi depoſitio facta ſit in præſentia Prælati, vel Capituli* –. Supponi certe debet, quod depoſitum perierit culpa depoſitarii, qui vel furatus ſit depoſitum, ut in caſu Alexandri III., vel fuerit in culpa, cur depoſitum furatum fuerit, vel amiſſum. Quoniam ſi periiſſet abſque aliqua ipſius culpa, certe non teneretur: quum jam ſupra fuerit oſtenſum, non teneri depoſitarium de caſibus omnino fortuitis.

Huc uſque dicta oſtendere videntur, Eccleſiam non teneri, quia depoſitum ſupponitur factum perſonæ, non Eccleſiæ, & aliunde converſum non fuit in utilitatem Eccleſiæ. Sed ponamus factum fuiſſe Eccleſiæ, Prælato videlicet in præſentia Capituli, cum conſenſu Capituli, & bona Capituli adminiſtranti: vel Prælato, aut Sacrarii Præfecto ſpecialiter deputato ad receptionem, & cuſtodiam depoſitorum. Teneretur ne tunc Eccleſia ad reſtitutionem depoſiti, quod periit culpa depoſitarii: tametſi non fuerit converſum in utilitatem Eccleſiæ? Affirmative reſpondet Author in Angelica ver. *Depoſitum* num. 4., ejuſque doctrina conſentanea videtur verbis Alexandri III. paullo antea recitatis. Idem opinatur Hoſtienſis tit. *de Depoſito* num 6. – *Sed numquid & contra Eccleſiam pro re depoſita agi poteſt? Sic ſecundum quoſdam, adeo quod ex quo res depoſita in theſaurariam vel Sacriſtiam infertur, Eccleſia obligatur ſicut nauta & caupo de rebus invectis, & illatis .... Dicat contrarium, ſcilicet quod numquam teneatur Eccleſia, niſi quando depoſitum ſit, Prælato & Conventu, ſive Capitulo præſentibus & recipientibus, aut niſi in quantum locupletior eſſet* –. Secus tamen firmiter tenuit Innocentius Summus Pontifex, & poſt ipſum alii non pauci. Certe Authores non conveniunt hac ſuper re. In medium iccirco proferam, quod ſcripſit Roſella ver. *Depoſitum* num. 5., & in arbitrio legentis erit eam præferre ſententiam, quæ ſibi videbitur rationi, & æquitati magis conſentanea. – Eccleſia non tenetur de depoſito etiam quando depoſitum fuit factum in præſentia Prælati, & Capituli, niſi aliquod lucrum ſit Eccleſia inde conſecuta, ſecundum Innocentium per L. *Licet ff. de Peculio*. Et miratur Panormitanus, quod Doctores non ponderaverint hoc dictum Innocentii, quod videtur ſatis notabile: nam quando Eccleſia recipit aliquod lucrum, poteſt dici contractus initus gratia utriuſque, & merito Eccleſia obligari debet ſicut ex aliis contractibus. Sed quando ſit gratia deponentis tan-

tantum, non occurrit ratio, quare Eccleſia debeat teneri, ſaltem ut ſit perveniendum ad diſtractionem rerum immobilium, vel mobilium pretioſiorum ex contractu Prælati, & Capituli non inito ad utilitatem Eccleſiæ contra cap. *Sine exceptione* 12. q. 2. Joannes autem Andreæ diſtinguit: utrum depoſitum ſit factum apud Sacriſtam deputatum ad cuſtodiam vaſorum: quoniam ſi ita deputatus non eſt, tunc non dicitur factum Eccleſiæ, & ſic Eccleſia non tenetur, ſed oportet, quod interveniat præſentia Prælati, & Capituli. Si vero depoſitum ſit factum apud Sacriſtam deputatum ad cuſtodiam depoſitorum: tunc non requiritur præſentia horum; ſatis eſt enim, quod a principio illum deputaverint ad depoſita recipienda: & ſic Joannes Andreæ una cum Gloſſa in cap. 1. eo titulo ſentiunt Eccleſiam obligari ex tali contractu inito gratia deponentis tantum. Et Panormitanus pro concordia harum opinionum dicit, quod Eccleſia non tenetur, quatenus veniendum ſit ad diſtractionem immobilium, vel mobilium pretioſiorum, & ſic procedit opinio Innocentii. Sed quatenus abſque prædictorum diſtractione Eccleſia ſatisfacere poteſt, puta de fructibus Eccleſiæ, Eccleſia tenetur, & ſic procedit opinio Joannis Andreæ & Gloſſæ. Si tamen Eccleſia conſecuta eſſet aliquam utilitatem, dic ut in principio hujus paragraphi—. Hactenus Roſella. En caput *Sine exceptione* nunc laudatum, quod eſt Leonis Papæ — *Sine exceptione decernimus, ne quis Epiſcopus de rebus Eccleſiæ ſuæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat, niſi forte aliquid horum faciat, ut meliora proſpiciat, & cum totius Cleri tractatu, atque conſenſu id eligat, quod non ſit dubium profuturum Eccleſiæ* —. Super ver. *Profuturum* appoſite Gloſſa — Sed nonne ſufficit, quod utiliter cœptum eſt, licet non ſit inde ſecutus effectus, ut ff. *de negotiis geſtis* L. *Sed an ultro?* Reſpondeo, quod non, quia cum Eccleſiam comparemus pupillo, non ſufficit utiliter cœptum, niſi Eccleſia ſit facta locupletior, ut ff. *de negotiis geſtis* L. *Si pupilli* in principio —. Hactenus Gloſſa. Ratio omnium poteſt eſſe ea, quam adfert Leo Summus Pontifex eod. cap. *Sine exceptione*: quia videlicet viri Eccleſiaſtici non ſunt Domini rerum Eccleſiæ, ſed ſimplices adminiſtri — *Epiſcopus rebus Eccleſiæ tamquam commendatis, non tamquam propriis utatur* —. Gravari igitur Eccleſia non poteſt per contractus a ſuis Adminiſtris initos contra leges ab eadem præſtitutas, inter quas hæc eſt præcipua, quod contractus ſit in utilitatem Eccleſiæ.

QUARTUM DUBIUM. Utrum utens depoſito teneatur? Reſpondeo, quod ſic, ſicuti dictum eſt de commodato Dubio 2. tituli præcedentis.

(171) Qui utitur re depoſita contra voluntatem Domini, ipſiuſque prohibitionem expreſſam, vel tacitam, peccat, & reus eſt furti. Ita L. *Qui*

*Qui furtum* ff. *de condictione furtiva qui furtum admittit, vel re commodata, vel depoſita utendo, condictione quoque exfurtiva cauſa obſtringitur* —, & L. *Si depoſiti* C. *Depoſiti* — *Qui rem depoſitam invito Domino ſciens prudenſque in uſus ſuos converterit, etiam furti delicto ſuccedit* —. Secus tamen, ſi arbitretur Dominum id eſſe permiſſurum, ff. *de furtis* L. *Qui re* in principio — *Qui re ſibi commodata, vel apud ſe depoſita, uſus eſt aliter atque accepit, ſi exiſtimaris, ſe non invito Domino id facere, furti non tenetur* —. Et hoc etiamſi falſo id putet ff. eod. tit. L. *Inter omnes* §. 7. — *Recte dictum eſt, qui putavit ſe Domini voluntate rem attingere, non eſſe furem. Quid enim dolo facit, qui putat Dominum conſenſurum fuiſſe, ſive falſo id, ſive vere putet?* — Si id, quod deponitur, ſit pecunia, generalis Regula hæc eſt: quod ſi deponatur obſignata, & obſerata, argumento eſt Dominum nolle permittere ipſius uſum. Aliter vero ſi deponatur non incluſa, & duntaxat numerata. Id eruitur ex L. *Si ſacculum* ff. *Depoſiti* — *Si ſacculum, vel argentum ſignatum depoſuero, & is, penes quem depoſitum fuit, me invito contrectaverit: & depoſiti, & furti actio mihi in eum competit. Si ex permiſſu meo depoſita pecunia is, penes quem depoſita eſt, utatur, ut in cæteris bonæ fidei judiciis, uſuras ejus nomine præſtare mihi cogitur* —.

Quæres primo. Utrum ea, quæ accedunt rebus depoſitis, haberi debeant tamquam depoſita?

R. Super hac re duas habemus leges in ſpecie invicem pugnantes: unam nempe ff. *Depoſiti* L. 1. §. 5. — *Quæ depoſitis rebus accedunt, non ſunt depoſita, ut puta ſi homo veſtitus deponatur; veſtis enim non eſt depoſita: nec ſi equus cum capiſtro, nam ſolus equus depoſitus eſt* —: alteram vero ff. *Commodati* L. *Si ut certo* §. 9. — *Uſque adeo autem diligentia in re commodata præſtanda eſt, ut etiam in ea, quæ ſequitur rem commodatam, præſtari debeat: ut puta equam tibi commodavi, quam pullus comitabatur, etiam pulli te cuſtodiam præſtare debere, veteres reſponderunt* —. Quid igitur? Quod juris eſt in principali, & in acceſſorio. Ita Gloſſa ſuper lege poſtrema. Leges ergo compones; ſi dicas de eo, quod accedit, depoſitarium non teneri tamquam de depoſito, ut dicit prima lex; ſed teneri tamquam de acceſſorio, ut in ſecunda lege conſtitutum eſt. Ita duas haſce leges componit Gloſſa ſuper prima lege ſcribens — *Sed nonne perinde eſt, ac ſi equum, & capiſtrum depoſuiſſes ..... Reſpondeo ita, ſi ſic dixit: depono equum cum capiſtro; Sed hic dixit tantum: depono equum, qui tamen erat capiſtratus. Sed tamen & de capiſtro debet habere cuſtodiam; alias depoſiti agitur, non ut pro depoſito, ſed ut pro acceſſorio depoſiti, ut argum. ſupra COMMODATI L. SI UT CERTO* §. *USQUE* —.

Quæres ſecundo. Quum ſupra conſtitutum ſit, Depoſitarium utentem re depoſita non teneri ad aliquam reſtitutionem, ſi putabat Dominum id eſſe permiſſurum: inquiritur hic: an ſit credendum ei, qui in judicio conſtitutus adſerit, ſe id putaſſe, & iccirco non teneri?

R. Qua-

R. Quamvis in iis, quæ a noſtra voluntate pendent, regula generalis ſit, quod ſtari debeat dicto noſtro; nihilotamen minus in præſenti caſu non eſt credendum depoſitario, niſi id probet indiciis veriſimilibus, quæ ipſi præbere potuerint fundamentum, & motivum ſufficiens id arbitrandi: puta quia deponens conſanguineus ipſius erat, vel intimus amicus: aut quia eandem rem depoſitam in anteceſſum ipſi commodaverat. Secus enim cuilibet furi ſterneretur via obtegendi quodlibet furtum, & evitandi pœnas adverſus fures in legibus præſtitutas non ſine maximo detrimento Reipublicæ, & publicæ tranquillitatis injuria.

Quæres tertio: an Babolenus apud Jacobum deponens capſulam obſeratam, & obſignatam, in qua inter alia centum habebat nummos aureos: poſſit eos a Jacobo repetere, ſi in reſtitutione capſulæ itidem obſeratæ, & obſignatæ, eoſdem non inveniat?

R. Hic eſt caſus primus Joannis Pontaſii ver. *Depoſitum*. Reſponſum ipſius eſt hujuſmodi – Si Baboleno capſulam eodem modo, quo recepit, hoc eſt obſeratam, & obſignatam reſtituit Jacobus, nihil amplius exigere poteſt Babolenus: neque enim res non viſas, nec ſibi ſpecialiter, & palam commiſſas præſtare tenetur depoſitarius. At ſi Babolenus Jacobo centum aureos oſtendiſſet, & eo præſente in capſula incluſiſſet, tum de iis Jacobus teneretur – *Si ciſta ſignata depoſita ſit*, inquit lex ( nempe ff. *Depoſiti* L. 1. §. 41.) *utrum ciſta tantum petatur, an & ſpecies comprehendendæ ſint? Et ait Trebatius ciſtam repetendam, non ſingularum rerum depoſiti agendum. Quod & ſi res oſtenſæ ſint, & ſic depoſitæ, adjiciendæ ſunt & ſpecies* –. Hæc ille. Medio hujuſmodi reſponſo res hæc videtur omnino eliquata, & numeris omnibus abſoluta. Non ita tamen, non ita eſt; non enim integram Pontaſius protulit legem, ſed dimidiatam, eam ſcilicet duntaxat partem, quæ ſuæ reſponſioni favebat. Recitata opinione Trebatii proſequitur lex inquiens – *Labeo autem ait, eum, qui ciſtam deponit, ſingulas quoque res videri deponere. Ergo & de rebus agere eum oportet. Quid ergo ſi ignoraverit is, qui depoſitum ſuſcipiebat, res ibi eſſe? Non multum facere, cum ſuſcepit depoſitum. Ego & rerum depoſiti agi poſſe exiſtimo, quamvis ſignata ciſta depoſita ſit* –. Dubio procul, ſi Juri civili inſiſtamus, non Trebatii, ſed Labeonis ſententia prævaluit; & Jacobus, de quo in caſu, non de ſola ciſta obſerata, & obſignata, ſed de rebus etiam tenetur in ea contentis: tametſi ipſi non fuerint oſtenſæ, atque in totum ignoraverit, quid in capſula, vel ciſta contineretur. Quid igitur pro foro conſcientiæ ſtatuendum erit? Non audeo Jacobum cum Jure civili condemnare in totum nulla indagine præhabita. Nec item audeo cum Pontaſio eundem in totum abſolvere, eo quia capſulam remiſit obſignatam, ſicuti accepit. Arbitror igitur, quod diligenter examinari debeant tum Babolenus, tum Jacobus. Babolenus ſuper exiſtentia aureorum in capſula; id enim probare debet, & non unice adſerere. Jacobus poſtmodum, an fuerit nec ne in culpa, &

qui-

Digitized by Google

quidem lata: puta ſi reliquiſſet capſulam in loco, ubi liber aditus pateret nedum ſervis, & ancillis, ſed quibuſcumque domum ſuam ingredientibus, aut ingredi volentibus, ſine ſufficienti cuſtodia. Si per examina conſtat, quod Babolenus reipſa habebat aureos in capſula, & Jacobus eam ſufficienter non cuſtodivit, condemnarem Jacobum ad reſtituendum propter omiſſionem cuſtodiæ, ad quam tenebatur: Si contra per examina conſtat, quod Iacobus nihil omiſit de diligentia debita, & Babolenus deficiat in probatione exiſtentiæ aureorum in caſpula, Jacobum tunc liberarem ab omni onere reſtitutionis, & propter defectum ſufficientium probationum ex parte Baboleni, & quia eam præſtitit diligentiam, ad quam tenebatur vi depoſiti. Placitum tamen hocce meum, qualecumque illud ſit, meliori judicio remitto.

Quæres quarto: An cum depoſitarius utitur re depoſita, Domino id expreſſe, vel tacite permittente, adhuc habeatur vera ratio depoſiti?

Reſpondet Antoine de contractibus part.2. cap.4. q.2. num.2. inquiens — Quod ſi Dominus uſum concedat, tunc depoſitum tranſit in mutuum, ſi res depoſita ſit uſu conſumptibilis, aut alienata. Vel, ſi talis non ſit, in commodatum, ſi gratis ejus uſus concedatur: aut in locationem, ſi pretium exigatur —. Hæc ille. In rigore tamen Juris loquendo, non ita eſt, dum ſermo ſit de mutuo, & de commodato, ſed unice dici debet, quod tranſit in quaſi mutuum, in quaſi commodatum, non vero in mutuum verum, propriumque, in verum propriumque commodatum. Reipſa enim ad diſcrimen tum mutui, tum commodati, Dominus in ea poſitione adhuc poteſt depoſitum revocare pro libito, ſecus ac contingit tum in mutuo, tum in commodato, quæ ambo ante tempus adſignatum, generatim loquendo, revocari nequeunt.

Quæres quinto: An deponenti liceat revocare depoſitum, quamvis elapſum nondum ſit tempus, pro quo res fuit depoſita?

R. Ita ſane; quum enim hic contractus duntaxat fiat gratia ipſius, ut ponitur, poterit ipſe pro libito revocare contractum, textu aperto in utroque jure — *Sane depoſitori licet pro voluntate ſua depoſitum revocare* — Gregorius IX. Extra *de depoſito* cap. 2. — *Proinde & ſi ſic depoſuero, ut poſt mortem meam reddatur, potero & ego, & hæres meus agere depoſiti: ego mutata voluntate* —.

Quæres ſexto. Utrum quando pecunia deponitur non ſignata, nec obſerata, ſed unice numerata, ex hoc ipſo præſumatur conſenſus Domini, ut ea uti poſſit depoſitarius, quin aliunde probet præſumptionem conſenſus?

R. Affirmative reſpondet Author in Angelica ver. *Depoſitum* num. 12. Roſella ver. item *Depoſitum* num. pariter 12., Gennettus Tom. 1. Tract. 5. cap. 8. q. 3., Antoine de contractibus part. 2. cap. 4. q. 2. num. 2., aliique. En verba Gennetti — *Si vero pecunia ſimpliciter non incluſa depoſita ſit, po-*

*teſt ea uti depoſitarius, modo tamen ſecurus ſit, ſe aliam pecuniam ſubito inventurum ad reddendum Domino, quandocumque eam petierit* — Clarius Gabriel Antoine — *Porro ſecundum multos Domini conſenſus præſumitur circa uſum pecuniæ depoſitæ, cum eam tradit, nec ſacculo clauſo, nec obſignato, nec alio indicio oſtendit, ſe utendi facultatem denegare, modo recipiens ſit moraliter certus ſe eam ſoluturum, ut primum exigetur* —. Idem brevibus docuit Concina lib. 3. de juſtitia & jure Diſſert. 4. cap. 18. num. 8. inquiens — *Si tamen res depoſitæ ſint fungibiles, ut pecuniæ, non peccat depoſitarius, eiſdem quaſi mutuis utens, dummodo ſemper paratus ſit reddere depoſitum ad nutum deponentis ſine ullo ejuſdem damno* —. Id tamen ſemper intellige, dummodo Dominus expreſſe, vel tacite hoc non prohibuerit. Huic doctrinæ primo obtutu contraire videtur Joannes Pontaſius ver. *Depoſitum* caſu 2.; ſed revera non ita eſt. Tota Pontaſii reſponſio eo tendit, ut oſtendat pecuniam in deponendo numeratam, ſicuti in caſu, in verum non tranſire, propriumque mutuum. Id & ego lubens do, non propter legem, quam ipſe dicit decretoriam, quum in L. *Qui negotia* ff. *Mandati* omnino deſiderentur verba illa, quæ ipſe profert tamquam ex eadem lege deprompta; ſed quia reipſa pecunia depoſita, & ſic numerata non habet veras mutui conditiones. Non enim eo animo datur, ut ſtatim fiat accipientis, ſicuti mutuum: & deponens poteſt eam repetere pro libito, tametſi deponendo tempus adſignaverit, quod fieri nequit in mutuo. Inclinavit certe Pontaſius in ſententiam negantem, videlicet quod depoſitarius uti non poſſit pecunia numerata, de qua in caſu noſtro. Sed in hoc ſequendus ipſe non eſt, ſicuti neque in eo quod poſtremo inibi ſcripſit — *Id tamen ſub ea ſolum conditione affirmamus, ſi Paulus videlicet falſo non præſumpſerit de Patricii conſenſu* —; ſub initio enim hujus annotationis legem protuli oppoſitum conſtituentem, quam iterum proferre non erit abs re — *Recte dictum eſt, qui putavit ſe Domini voluntate rem attingere, non eſſe furem. Quid enim dolo facit, qui putat Dominum conſenſurum fuiſſe, ſive falſo id, ſive vere putet* —? ff. *de furtis* L. *Inter omnes* §. 7.

Sextum

SExtus decimus Titulus, qui eſt de Locato, & Conducto, continet quæſtiones quinque, ſeu quinque Dubia.

Primum Dubium. Utrum locator, qui eſt ille *, qui alicui concedit uſum rei ſuæ pro pretio, locans rem vitioſam, teneatur de damno?

Reſpondeo, quod ſic, ſive ſcienter, ſive ignoranter hoc fecerit ff. *Locati conducti* L. *Sed addes* §. 1.

(172) Locatio eſt contractus, quo quis rem aliquam alteri utendam, fruendamve concedit, certo pretio, ſive mercede conſtituta. Locans dicitur locator, & locationem accipiens conductor appellari ſolet, ut paſſim ff. *Locati conducti*, & C. *de locato & conducto*. Conductor varia nomina ſortitur juxta diverſitatem rerum, quas conducit; inquilinus enim dicitur, ſi prædium urbanum, vel domum: colonus, ſi agrum, vel prædium ruſticum: redemptor, ſi operam perſonæ: publicanus demum, ſi conducit vectigalia.

Caſum quod reſpicit, nulli dubium, quod locator compenſare tenetur omne damnum, ſi ſciens id egit; tunc enim volens, & conſulto damnum, & injuriam alteri irrogaſſet. Dubium duntaxat conſurgit, quando id agit ignorans. Jure civili tenetur certe textu aperto in lege ab Authore indicata — *Si quis dolia vitioſa ignarus locaverit, deinde vinum effluxerit, tenebitur in id, quod intereſt: nec ignorantia ejus erit excuſata, & ita Caſſius ſcripſit* —. Mitius ſe habet lex, ſi locetur paſcuum, in quo reperiantur herbæ bonæ mixtæ malis, & animalia pereant, vel deteriora fiant; & iccirco ſubdit — *Aliter atque ſi ſaltum paſcuum locaſti, in quo herba mala naſcebatur: hic enim ſi pecora vel demortua ſunt, vel etiam deteriora facta, quod intereſt, præſtabitur, ſi ſciſti; ſi ignoraſti, penſionem non petes. Et ita Servio, Labeoni, Sabino placuit* —. Si petas, quare lex in duobus hiſce caſibus idem non conſtituat, reſpondebit Gloſſa ſuper eadem lege inquiens — *Quia in doliis ignorare non debuit; in paſcuis vero juſte potuit ignorare: nam quæ facilius ſciri poſſunt, ſi ignorentur, gravius coercentur* —. Non item, ſi ſermo ſit de foro conſcientiæ, pro quo indefinite ſtatuit Author in Angelica ver. *Locatio* num. 24., & cum ipſo Roſella ver. item *Locatio* num. 17. *In conſcientia tamen non haberet locum dicta lex, niſi*



Digitized by Google

*quando locaſſet talia vaſa pro bonis . Secus ſi ſimpliciter exhibuiſſet videnda per conductorem , ignorans ipſe an ſint bona vel ne , quia tunc cum non ſit in aliqua culpa , non teneretur* — . Clarius rem hanc exponit S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 15. §. 6. ſcribens — Primo , ſi locat rem vitioſam ſcienter, puta domum ruinoſam , vel equum claudicantem , vel alias defectuoſum: peccavit mortaliter , ſi inde ſecutum eſt, vel veriſimiliter ſequi poterat notabile damnum conductori : & tenetur ad ſatisfactionem de damno ſubſecuto: & hoc quando tale vitium , vel tales defectus ignorabantur a conductore . Unde in Libro, qui dicitur *Meridiana* ſic dicitur. Si locavi tibi conventa mercede meum equum ad Vecturam ducendum Florentiæ , & reſtituendum inde ad octo dies: & equus adeo vitioſus erat , ut commode eo uti non poſſes , forte quia cæſpitabat , vel cadebat , vel ſeſſorem lædebat , cum calcaribus urgeretur non ambulabat , vel male , & ſimilia . Diſtinguendum eſt : quia ſi locavi certum , puta hunc equum , & ſciebam vitioſum , teneor ad omne damnum , & intereſſe tuum . Si neſciebam vitioſum , non teneor . Sed ſi locavi tibi incertum , puta unum de equis meis , cum haberem plures bonos , & malos , & poſtea tibi præſentavi malum , hoc ſciens , teneor etiam ad omne intereſſe . Item teneor tibi ad omnes impenſas , quas feciſti in equitatione , & tu teneris ſpecialiter ad ea , quæ mecum conveniſti . Hæc ibi — . Hactenus S. Antoninus .

SECUNDUM DUBIUM . Utrum conductor , qui eſt ille , cui locatur uſus rei , teneatur , ſi res locata perit ?

Reſpondeo , quod ſic , ſi dolo , lata culpa , vel levi hoc evenerit L. *Si ut certo* §. 2. ff. *Commodati* . Non tenetur tamen de leviſſima ; ſufficit enim , quod talem diligentiam adhibeat in re locata , qualem adhiberet in ſuis . Idem dicitur in pignore §. finali Inſtitut. *Quibus modis re contrahitur obligatio* , & in Societate L. *Socius ſocio* ff. *Pro ſocio* , & Inſtitut. *de ſocietate* §. *Socius ſocio* .

(173) Quid ſint dolus , culpa lata , levis , & leviſſima declaratum jam fuit Annotatione 129. Unicè igitur proferam leges hic ab Authore memoratas , & iis ſolis res fiet numeris omnibus abſoluta — . *Sed ubi utriuſque utilitas vertitur , ut in empto , ut in locato , ut in dote , ut in pignore , ut in ſocietate , & dolus , & culpa præſtatur* — ff. *Commodati* L. *Si ut certo* §. 2. — *Sed quia pignus utriuſque gratia datur , & debitoris , quo magis ei pecunia credatur , & creditoris , quo magis ei in tuto ſit creditum : placuit ſufficere ſi ſi ad eam rem cuſtodiendam exactam diligentiam adhibeat : quam ſi præſtiterit , & aliquo fortuito caſu rem amiſerit : ſecurum eſſe , nec impediri creditum.*

Digitized by Google

*tum petere* -- Inſtitut. *Quibus modis re contrahitur obligatio* §. finali --. *Socius ſocio etiam culpæ nomine tenetur, ideſt deſidiæ, atque negligentiæ. Culpa autem non ad exactiſſimam diligentiam dirigenda eſt: ſufficit etenim, talem diligentiam communibus rebus adhibere, qualem ſuis adhibere ſolet: quia qui parum diligentem ſibi ſocium adquirit, de ſe queri debet* -- ff. *Pro ſocio* L. *Socius ſocio* --. *Socius ſocio utrum eo nomine tantum teneatur pro ſocio actione, ſi quid dolo commiſſerit, ſicuti is, qui deponi apud ſe paſſus eſt, an etiam culpæ, ideſt deſidiæ, atque negligentiæ nomine: quæſitum eſt? Prævaluit tamen etiam culpæ nomine teneri eum. Culpa autem non ad exactiſſimam diligentiam dirigenda eſt. Sufficit enim talem diligentiam communibus rebus adhibere ſocium, qualem ſuis rebus adhibere ſolet. Nam qui parum diligentem ſocium ſibi adſumit, de ſe queri, ſibique hoc imputare debet* -- Inſtitut. *de ſocietate* §. 9.

Tertium Dubium. Utrum locator, qui locat operas ſuas in aliqua re, teneatur, ſi damnum dedit: puta debebas mihi incidere ligna pro domo ædificanda, & male incidiſti, & hujuſmodi?

Reſpondeo, quod ſic, etiam de leviſſima. Arguitur cap. *Bona fides* Extra *de depoſito*: & etiamſi damnum datum ſit ab illis, quorum opere quis utitur. Videant ergo illi, qui operam ſuam locant pro cuſtodiendis veſtimentis, pecoribus, & hujuſmodi: vel in arte non periti locant ſe.

(174) Non deſunt ita opinantes, & præſertim ſi ſermo ſit de veteribus, forte decepti ex eo quod ſcriptum eſt ff. *Locati* L. *Si merces* §. *Qui columnam*, nempe 7. -- *Qui columnam tranſportandam conduxit, ſi ea, dum tollitur, aut portatur, aut reponitur, fracta ſit, ita id periculum præſtat, ſi qua ipſius, eorumque, quorum opera uteretur, culpa acciderit. Culpa autem abeſt, ſi omnia facta ſunt, quæ diligentiſſimus quiſque obſervaturus fuiſſet* --. Sed Gloſſa in hunc locum ſuper ver. *diligentiſſimus* nedum adnotat -- *Diligentiſſimus, ideſt diligens: ut ponatur ſuperlativus pro poſitivo*; verum etiam aperte docet, eum, cui operas ſuas locat, teneri tantum de levi, non vero de leviſſima -- *Nec enim dubium eſt, locatorem opere non teneri de leviſſima culpa* --. Placet ſummopere doctrina Roſellæ ver. *Locatio* num. 19. ſcribentis -- *Aut aliquis locat operas in re, quæ requirit diligentiſſimam curam, & tunc tenebitur de leviſſima, dicto* §. *QUI COLUMNAM. Aut non locat operas in re talis importantiæ, & ſic vera eſt opinio Gloſſæ, quod tenetur ſolum de levi* --. Idem, pene ſervatis verbis ipſis, docuit Author in

Ange-

Angelica ver. *Locatio* num. 23. -- *Tu tamen ſic concorda ; quod aut aliquis locat operas in re, quæ requirit diligentiſſimam curam, ut pura polire adamantem, incidere brocatum pro veſte finienda, & hujuſmodi, & tenebitur de leviſſima, dicto §. QUI COLUMNAM. Aut non locat operas in re talis importantiæ, & ſic vera eſt Gloſſa, quia tenetur ſolum de levi* --. Quum igitur incidere ligna pro conſtruenda domo res non ſit quæ virum requirat diligentiſſimum; icirco in hoc caſu dic, quod ſic incidens tenetur de levi; non autem de culpa leviſſima.

Si poſtmodum ſermo ſit de caſibus illis, in quibus quis locat operam ſuam pro pura putaque cuſtodia, & pro hac mercedem accipit: præ oculis tunc habeas quod eo loci ſubdit Author -- *Nec obſtat Gloſſa in L. QUI MERCEDEM ACCIPIT PRO CUSTODIA, & in L. DOMINUS in principio ff. eod. tit., ubi dicit, quod ſi ſpecialiter mercedem accepit pro cuſtodia, quod tenetur de leviſſima. Pro cujus intelligentia adverte, quod quando quis mercedem accepit pro cuſtodia, ſi ſumus in contractu, in quo ſolum tenebatur de lata culpa, ut in depoſito, ſic acceptio mercedis pro cuſtodia faciet, ut teneatur de levi*: (quemadmodum ſupra docui annotatione 168.) *& ſic intellige cap. BONA FIDES, DE DEPOSITO, & L. 1. §. VESTIMENTA ff. DEPOSITI. Si vero ſumus in contractu, in quo tenetur de levi culpa, ſicut in locato, ſic acceptio mercedis pro cuſtodia rei locatæ faciet, ut teneatur de leviſſima, & ſic loquitur, & intellige L. QUI MERCEDEM, & L. DOMINUS prædictas. Quod bene nota pro ſolvendis multis contrarietatibus* --.

Docet Author, quod non ſolum tenetur de culpa propria, ſed etiam de culpa eorum, quorum opera adjuvatur ſciens & volens. Et id perſpicuum eſt ff. *de cuſtodia & exhibitione reorum* L. finali in principio -- *Non eſt facile tyroni cuſtodia credenda, nam ea prodita, is culpæ reus eſt, qui eam ei commiſit* --: & regula 72. de regulis juris in Sexto -- *Qui facit per alium, eſt perinde ac ſi faciat per ſeipſum* --.

QUARTUM DUBIUM. Utrum locator expellens inquilinum, ſive conductorem, ante tempus, teneatur?

Reſpondeo, quod ſic, & quidem de omni damno, niſi in quatuor caſibus, in quibus id licet. Primus eſt, quando Dominus neceſſario eget re locata: puta quia ducit uxorem, & inhabitare debet domum, quam locavit. Hoc tamen verum eſt, ſi tempore locationis talis neceſſitas non imminebat, & poſtea ſupervenit, ut patet in cap. *Propter ſterilitatem* Extra *de locato & conducto*, & in Gloſ-

ſa

ſa ibidem. Secundus eſt, ſi domus corruat, vel minetur ruinam, eamque Dominus reficere velit, quæ tamen tempore locationis non minabatur. Arguitur ff. *Ut in poſſeſſionem legatorum* L. *Si is a quo*, & ff. *de interrogationibus in jure faciendis, & interrogatoriis actionibus* L. *De ætate* §. *Ex cauſa*. Tertius eſt, ſi conductor perverſe in domo converſatur: puta tenet porcos in ſolario, vel meretrices in domo, & hujuſmodi. Et in iſtis tribus caſibus remittenda eſt penſio pro rata ſecundum Gloſſam in dictum cap. *Propter*. Poteſt tamen locator in iſto tertio caſu agere de damno contra conductorem ſecundum eandem Gloſſam. Quartus eſt, cum inquilinus per biennium non ſolvit penſionem, niſi immediate poſt biennium eandem ſolvat, dicto cap. *Propter*. Item emphyteuta, ſi per biennium penſionem non ſolvit, poteſt expelli. Verum tamen hoc eſt in rebus Eccleſiaſticis, & jure fiſci ff. *de publicanis & vectigalibus* L. *Vectigalia* §. *Non ſolutis*: nam in temporalibus poſt triennium. Arguitur ff. *de tranſactionibus* L. *Qui fidem* & L. *Pacto*. Niſi, ut dictum eſt, immediate poſt biennium velit ſolvere, cap. ult. Extra *de locato*.

(175) *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur*, Regula 85. Juris in Sexto. Si igitur locator pacto ſe ligavit cum conductore domus uſque ad aliquod determinatum tempus, ſtare is debet contractui: & ſi ipſum ſine juſta cauſa ante tempus expellit, injuriam eidem irrogat, & tenetur ad omne id, quod intereſt. Ratio eſt: quia conductor per contractum acquiſivit jus utendi, vel fruendi re conducta uſque ad tempus conventum. Cauſæ, propter quas locator inquilinum poteſt ante tempus expellere, enumerantur a Gregorio IX. Extra *de locato & conducto* cap. *Propter ſterilitatem*, & L. 3. C. *de locato & conducto*: & ſunt illæ eædem, quas hic recenſet Author – *Verum invito inquilino* (ait Gregorius IX.) *domum inhabitare, vel reficere poteris, ſi neceſſitas, quæ tamen non imminebat locationis tempore, id expoſcat; remiſſa ſibi pro reſiduo temporis penſione: qui etiam inde rationabiliter amovetur, ſi perverſe ibi fuerit converſatus, vel, cum canonem per biennium non ſolviſſet, ſibi ſatisfactione celeri non providit* –. *Æde, quam te conductam habere dicis* (ait L. citata) *ſi penſionem Domino in ſolidum ſolviſti, invitam te expelli non oportet: niſi propriis uſibus*

*bus Dominus eam neceſſariam eſſe probaverit, aut corrigere domum maluerit; aut tu male in re locata verſata es* —. Ad caſus interim quod ſpectat, jure quoad primum dicit Author — *Si tempore locationis talis neceſſitas non imminebat* —, puta quia aliam habebat domum propriam, quam inhabitabat, & quæ caſu periit: quoniam ſi aliam tunc non habuiſſet, caſus ſuperveniens imputaretur ei, nec poſſet repetere locatam; poterat enim hoc a principio proſpicere, & ſibi providere, ut ait Roſella ver. *Locatio* num. 3. Ex hoc infert Panormitanus *de locato & conducto* in cap. *Propter ſterilitatem* — *Quod contrahens cum homine parum divite, vel qui labitur facultatibus, ſeu male utitur ſubſtantia ſua, non poteſt poſtmodum facere capi eum tamquam ſuſpectum de fuga, cum conditio illius eſſet ſibi ſatis nota tempore contractus* —.

Dum poſtmodum domus locata vere neceſſaria Domino eſt, videndum eſt, an domus ſit ita ampla, quod in ea immorari poſſint & Dominus & conductor; in hoc enim caſu conductor, ſeu inquilinus per ſummam expelleretur injuriam, & Dominus teneretur inquilino de omni damno. In ſecundo Authoris caſu, dum videlicet domus propter caſum ſupervenientem indiget refectione, inquiri poteſt. An inquilinus impedire poſſit Dominum a refectione facienda: & reſpodetur negative textu aperto L. *Si duo* §. 3. ff. *Uti poſſidetis* — *Cum inquilinus Dominum ædes reficere volentem prohiberet: æque competere Interdictum Uti poſſidetis placuit: teſtarique Dominum non prohibere inquilinum, ne habitaret, ſed ne poſſideret* —. Gloſſa ſuper ver. *Dominum* ſcribit — *Dic teſtari, quod non prohibebit eum habitare, ſcilicet facta refectione* —: & Gloſſa ultima, quæ habetur in margine —. *Iſte textus cum ſua Gloſſa eſt ſingularis ſecundum Rom. in ſing. 222. ad hoc, quod licet locator poſſit expellere conductorem de domo, quando vult reparare, & reficere eam reparatione neceſſaria per L. ÆDE C. LOCATI: tamen refecta domo debet, & compellitur iterum reponere conductorem in ea* —. Ratio eſt manifeſta. Non reficere domum, cum indiget, eſt in damnum Domini. Non reponere inquilinum in domum jam refectam, eſt in damnum inquilini. Inquilinus igitur non poteſt impedire Dominum a refectione domus: & Dominus non poteſt impedire inquilinum, quod iterum inhabitet domum jam refectam. In tertio caſu, videlicet quando inquilinus in domo perverſe converſatur, ait Author, quod remittenda eſt penſio pro rata: & hoc idem docuit S. Antoninus part. 2. tit. 1. cap. 5. §. 6. — *Et in hoc tertio caſu dixerunt aliqui non eſſe remittendam partem penſionis pro rata temporis. Sed contrarium verum eſt, quia Dominus tenetur remittere, ſed poteſt agere contra inquilinum de damno dato* —. Placet nihilominus diſtinguere cum Authore in Angelica ver. *Locatio* num. 13., Roſella ver. item *Locatio* num. 3., poſt Panormitanum de locato & conducto in cap. *Propter ſterelitatem*, & ſigillatim in ver. *Perverſe* — Panormitanus dicit hoc procedere ſecundum Joannem Andreæ (utor verbis Roſellæ) quando perverſe verſatur dando damnum,

Digitized by Google

num; ut ſi tenet porcos in ſolario, vel aliter damnificat domum, ut ſpargendo aquam ſuper lignis: nam tunc Dominus poteſt expellere, ſatisfaciendo pro rata penſionem, quia tunc agit ad damnum. Sed remiſſio fit pro reſiduo temporis. Sed ſi perverſe ſe haberet in domo ſine damno, puta tenendo proſtibulum, vel ludum, vel exercendo uſuram, tunc poteſt expelli non remiſſa ſibi penſione pro rata: quia Dominus non debet ſuſtinere hoc damnum ex culpa inquilini. Et intellige hoc, quando Dominus ignorabat conditionem inquilini. Alias damnum eſt ſuum: quia non poterit expelli ante tempus —. Hæc Roſella. Poſtrema hujus Authoris verba, quod nempe Dominus, ſi prius ſciebat inquilinum meretricio addictum, non poſſit ipſum ante tempus expellere: intellige vi contractus locationis initæ: nam lege divina ſemper poteſt, immo tenetur ipſum ejicere, quum numquam ſciens & volens poſſit aliis exhibere peccandi commoditatem. Jure idcirco S. Carolus in Inſtructione Confeſſariorum cap. 5. — *Nec eos abſolvant, qui cum peccatis mortalibus ſimul etiam eorum occaſiones vitare plane non proponunt, ut ſunt qui domum tenent in hunc finem aliis paratam, ut tabellis cartaceis, vel aleis ludant* —: & S. Hieronymus Comment. in Matth. Lib. 3. — *Melius eſt, ut quis emolumentis carnalibus careat, quam dum vult lucrifacere, cauſam habeat ruinarum* —. Quartus Authoris caſus expreſſus eſt in cap. *Propter ſterilitatem* — *Cum canonem per biennium non ſolviſſet* —. Super hoc caſu optima eſt doctrina Panormitani loco proxime citato —. Nota ultimo, quod ex non ſolutione penſionis non poteſt inquilinus expelli, niſi deſtiterit a ſolutione per biennium: contra quod videtur textus in dict. L. *Æde*, ubi a contrario colligitur, quod ſi non ſolvit penſionem, poteſt expelli. Sed conclude: aut locatio fuit facta ad longum tempus, aut ad modicum. Primo caſu aut conſtituta fuit una penſio pro toto tempore, & poteſt expelli, ſi non ſolvit in tempore convento: quia ſi non ſervat legem contractus, non eſt ſervanda fides. Arguitur in L. *Julianus* §. *Offerri* ff. *de actionibus empti & venditi*, & procedit hoc caſu textus in dict. L. *Æde*. Aut penſio eſt conſtituta ſingulis annis, & habet locum iſte textus, quod procedit etiamſi fuerit actum inter contrahentes, ut non poſſit expelli durante tempore. Nam debet intelligi eo ſolvente penſionem, ut eſt textus in L. *Quæro* §. *Inter locatorem* ff. *Locati*. Ex quo collige, quod in hoc caſu non eſt differentia inter jus civile, & jus canonicum: nam ſecundum utrumque jus requiritur biennium. Secus in contractu emphyteutico, ut dicetur in cap. ſeq. Secundo membro principali, quando locatio fuit facta ad modicum tempus, non eſt neceſſe expectare biennium; ſed ſi non ſolvit penſionem tempore debito, poteſt expelli, etiam propria auctoritate Domini. Arguitur in dict. L. *Æde*. Et ratio diverſitatis eſt inter hunc caſum, & præcedentem: quia hoc caſu non habet inquilinus jus, immo nec poſſeſſionem; unde ſi expellitur, non competit ſibi aliquod interdictum contra Dominum, ad hoc L. *Colonus* ff. *de vi & vi armata*; Sed in præcedenti caſu colo-

colonus poſſidet, & habet pinguius jus, ad hoc L. 2. ff. *Si ager vectigalis*; ideo non poteſt ſic repente expelli, ſed expectatur per biennium. Poteſt tamen Dominus agere actione locati ad recipiendum penſionem tempore debito –. Hactenus Panorminanus.

Ait Author, quod Emphytheuta non ſolvens penſionem per biennium poteſt expelli, dum agitur de rebus Eccleſiæ, non vero ſi agatur de bonis ad Eccleſiam non pertinentibus; in his enim requiritur triennium. Utrumque perſpicuum eſt ex lege: primum nempe ex cap. ult. Extra *de locato & conducto*, in quo Gregorius IX. ita ſancivit – *Potuit Emphytheuta ( Eccleſia primitus requiſita, eique nunciato, quantum ſibi ab aliis offertur, ſi nolle ſe emere dixerit: vel a denuntiationis tempore duorum menſium-ſpatium ſit elapſum) meliorationes, & jus ſibi competens aliis vendere, qui ab emptione hujuſmodi minime probibentur. Emphytheuta quoque ſecus præſumendo, vel ceſſando in ſolutione canonis per biennium ( niſi celeri ſatisfactione poſtmodum ſibi conſulere ſtuduiſſet ) juſte potuiſſet repelli. Non obſtante quod ei, ut canonem ſolveret, non extitit nunciatum: cum in hoc caſu dies ſtatuta pro Domino interpellet* – . Secundum vero ex L. 2. C. *de jure Emphytheutico* – *In Emphyteuticariis contractibus ſancimus, ſi quidem aliquæ pactiones in emphyteuticis inſtrumentis fuerint conſcriptæ: eaſdem & in omnibus aliis capitulis obſervari. & de rejectione ejus, qui emphytheuſin ſuſcepit, ſi ſolitum penſionem, vel publicarum functionum apochas non præſtiterit. Sin autem nihil ſuper hoc capitulo fuerit pactum, ſed per totum triennium neque pecunias ſolverit, neque apochas Domino tributorum reddiderit, volenti ei licere eum a prædiis emphyteuticariis repellere, nulla ei in poſterum allegatione nomine meliorationis, vel eorum, quæ emponemata dicuntur, vel pœna opponenda: ſed omnimodo eo ( ſi Dominus voluerit ) repellendo, neque prætendente, quod non eſt ſuper hac cauſa inquietatus: cum neminem oporteat conventionem, vel admonitionem expectare, ſed ultro ſe ſe offerre, & debitum ſpontanea voluntate perſolvere, ſecundum quod & anteriore lege noſtri nominis generaliter cautum eſt* –. Biennium hoc, vel triennium Baldus in L. *Æde* C. *de locato* vult non ſemper eſſe eodem modo accipiendum, ſed deſumendum, & computandum eſſe ex fructibus: ut, ſi fructus quotannis percipiuntur, biennium fiat ex duobus annis ſolaribus: ſi quolibet biennio, biennium exurgat ex quatuor annis: ſi percipiuntur ſingulis duntaxat trienniis, biennium ſex annis abſolvatur. An hæc biennii, & triennii declaratio in praxi ſequenda ſit, aliorum eſto judicium. Emphytheuſis vox græca eſt proveniens a verbo græco *Emponema*, quod latine idem ſignificat ac melioratio. Emphytheuſis latine ſignificat inſitionem, ſeu implantationem: quia olim inculti fundi excolendi, & inſerendi colonis tradebantur, conceſſo ipſis dominio utili, cum onere ſolvendi penſionem aliquam aut fructuariam, aut pecuniariam. In præſentia etiam bona culta, & frugifera, quæ melioratione non indigent, traduntur in Emphytheuſim, quæ a Theologis

ſic

ſic ſolet definiri — *Contractus nominatus, quo rei immobilis dominium utile ad longum tempus, quod non debet eſſe minus decennio, transfertur, directo a Domino retento, onere impoſito annuæ penſionis ſolvendæ* —. Qui rem concedit in Emphytheuſim vocatur Dominus directus, ſeu Proprietarius: qui vero rem accipit in Emphytheuſim, emphytheuta dicitur, ſeu emphytheuticarius.

Quæres hic. An inquilinus quandoque poſſit deſerere domum locatam, ſicuti Dominus quandoque poteſt expellere inquilinum, ut oſtendi?

R. Affirmative. Ita Joannes Andreas de locato & conducto in cap. *Propter* num. 7. — Sicut locator domus non poteſt ſine cauſa inquilinum expellere, alias ex cauſa poteſt, alias teneretur illi ad intereſſe ff. eo. *qui inſulam*: eodem modo inquilinus ante tempus non poteſt domum ſine cauſa deſerere, ſed ex cauſa poteſt, facta tamen ſolutione temporis, quo inhabitavit, & ſi cauſa de novo ſit orta, ff. eo. *Dominus horreorum* §. *Qui contra* —. Hæc ille. En legem hic poſtremo laudatam — *Qui contra legem conductionis fundum ante tempus ſine juſta, ac probabili cauſa deſeruerit, ad ſolvendas totius temporis penſiones ex conducto conveniri poteſt, quatenus locatori in id, quod ejus intereſt, indemnitas ſervetur* —. Fuſius Panormitanus loco proxime memorato — Numquid poſſit inquilinus ex cauſa dimittere domum invito Domino? Joannes Andreæ, quod ſic, ad hoc L. 1. ff. *de migrando*, & vide Gloſſam, quæ hoc tenet in L. *Si in lege* ff. *Locati*. Sed eſt dubium: numquid propter peſtem ſupervenientem poſſit inquilinus dimittere domum conductam: & certe ſic. Facit iſte textus; nam ſi propter neceſſitatem ſupervenientem poteſt Dominus expellere inquilinum, ita & inquilinus domum dimittere: nam magna neceſſitas videtur timor mortis, ad hoc L. *de ætate* ff. *ad Senatus conſultum Trebellianum*, ubi voluit Bartolus, quod eſt licita cauſa non comparendi in judicio, & per conſequens ſe abſentandi: & optime facit textus in L. *Habitatores* ff. eodem. In practica tamen vix poteſt obtineri; & tamen quod dixi, eſt ſatis rationabile —. Hæc Panormitanus, quem ſequuntur Author in Angelica ver. *Locatio* num. 14., Roſella ver. item *Locatio* num. 4., aliique.

Quintum Dubium. Utrum conductor, vel emphytheutà teneatur ſolvere penſionem, quando propter terræ ſterilitatem nihil percepit?

Reſpondeo, quod ſic, ſi cum utilitate præcedentis, vel ſubſequentis anni compenſari poteſt, dicto cap. *Propter ſterilitatem*. Nota, quod ſterilitas debet judicari ſecundum communem vulgi opinionem ff. *de inſtructo, vel inſtrumento legato* L. *Cum de lanionis* §. *Aſinam*. Puta commune

 judi-

Digitized by Google

judicium eſt, quod debeat recolligere quinquaginta debito modo, ſcilicet compenſatis laboribus, & hujuſmodi, & recollegit duntaxat viginti quinque. Minui in hoc caſu debet penſio pro rata, niſi ex fertilitate præcedentis, vel ſubſequentis anni recolligeret ſeptuaginta quinque.

(176) Definitum id eſt a Gregorio IX. Extra *de locato & conducto* cap. *Propter ſterilitatem — Propter ſterilitatem afficientem magno incommodo conductores, vitio rei ſine culpa coloni, ſeu caſu fortuito contingentem; colonis Eccleſiæ tuæ pro rata penſionis remiſſio eſt facienda, niſi cum ubertate præcedentis, vel ſubſequentis anni valeat ſterilitas compenſari —*. Egregia invenio ſancita ſuper hac re tt. *Locati* L. *Ex conducto* §. 2. & ſeq. — *Si vis tempeſtatis calamitoſæ contigerit, an locator conductori præſtare aliquid debeat, videamus? Servius omnem vim, cui reſiſti non poteſt, Dominum colono præſtare debere ait: ut puta fluminum, graculorum, ſturnorum, & ſi quid ſimile acciderit: aut ſi incurſus hoſtium fiat, ſi qua tamen vitia ex ipſa re oriantur, hæc damno coloni eſſe, veluti ſi vinum coacuerit, ſi raucis, aut herbis ſegetes corruptæ ſint. Sed & ſi labes facta ſit, omnemque fructum tulerit, damnum coloni non eſſe, ne ſupra damnum ſeminis amiſſi mercedes agri præſtare cogatur. Sed & ſi urendo fructum oleæ corruperit, aut ſolis fervore non adſueto id acciderit, damnum Domini futurum. Si vero nihil extra conſuetudinem acciderit, damnum coloni eſſe. Idemque dicendum, ſi exercitus præteriens per laſciviam aliquid abſtulit. Sed & ſi ager terremotu ita corruerit, ut nuſquam ſit, damno Domini eſſe: oportere enim agrum præſtare conductori, ut frui poſſit. Cum quidam incendium fundi allegaret, & remiſſionem deſideraret, ita ei reſcriptum eſt: ſi prædium coluiſti, propter caſum incendii repentini non immerito ſubveniendum tibi eſt. Papinianus lib. 4. Reſponſorum ait: ſi uno anno remiſſionem quis colono dederit ob ſterilitatem, deinde ſequentibus annis contigit ubertas, nihil obeſſe Domino remiſſionem, ſed integram penſionem etiam ejus anni, quo remiſit, exigendam. Hoc idem & in vectigalis damno reſpondit. Sed & ſi verbo donationis Dominus ob ſterilitatem anni remiſerit, idem erit dicendum, quaſi non ſit donatio, ſed tranſactio. Quid tamen, ſi noviſſimus erat annus ſterilis, in quo ei remiſerit? Verius dicetur, etſi ſuperiores uberes fuerunt, & ſcit locator, non debere eum ad computationem vocari —*. Duæ hæ leges in ſpecie videntur ſibi invicem adverſantes; prima ſiquidem adſerit, remiſſionem eſſe faciendam, ſi ſterilitas contingat — *vitio rei ſine culpa coloni* —: ſecunda autem conſtituit, damnum tunc colono eſſe adjudicandum — *ſi qua tamen vitia ex ipſa re oriantur, hæc damno coloni eſſe* —. Non ita tamen, non ita eſt: quoniam prima loquitur, dum ſterilitas accidit ſine culpa coloni; ſecunda vero dum ita evenit culpa coloni. Reſponſio iſthæc Gloſſæ eſt ſuper prima lege, & ſigillatim ſuper ver. *Vitio rei — Quia forſitan non potuit pati mul-*

tam

*tam pluviam, nec multam ſiccitatem, nec potuit colonus occurrere, quia ſuffocaretur ſemen. Sed contra videtur ff. eo. L. EX CONDUCTO* §. 1., *ubi dicit, quod ſi vitia ex re oriantur, damnum eſt coloni, ut ſi vinum coacuerit, vel ſi herbis ſegetes corruptæ ſunt. Solutio. Ibi potuit colonus occurrere, hic non: quod patet ex eo quod dicit hic ſine culpa coloni*—,

Poſtulabis primo. Qualis debeat eſſe hujuſmodi ſterilitas, quæ ſecum fert remiſſionem penſionis pro rata?

R. Doctores ſuper hac re adeo ſunt in diverſa diſtracti, nihil ut magis. Plauſibilis videtur ſententia Authoris in Angelica ver. *Locatio* num. 16. ita ſcribentis — Quamvis Doctores fuerint varii in dict. cap. *Propter*, & in L. *Ex conducto* §. 1. & ſeq., qui eſt finalis, ff. eod. titulo, quando dicatur ſterilitas: mihi placet maxime quoad conſcientiam, quod Joannes Andreæ, & Pau. in dict. cap. *Propter ſterilitatem* ſequuntur: ut ſcilicet dicatur ſterilitas, quando non colliguntur niſi duæ partes de tribus ſolitis; ſecus eſſet in alio modico. Sed adverte, quod ſi fructus affuiſſent, ſed poſtquam recollecti fuerunt marcuerunt, vel exercitus præteriens ipſos deſtruxit, & hujuſmodi, non dicetur ſterilitas, nec fiet remiſſio penſionis. Secus, ſi erat recolligendum, ut in L. *Ex conducto* §. *Si vis* ff. *Locati*, & L. *Damnum* C. eod. titulo — Hæc ille. En legem poſtremo citatam — *Damnum, quod per aggreſſuram latronum in poſſeſſionibus locatis rei tuæ illatum eſſe proponis, a Domina earumdem poſſeſſionum, quam nullius criminis ream facere te dicis, reſarciri tibi nulla ratione deſideras* —.

Poſtulabis ſecundo. An quod hic dictum eſt de conductore, & emphytheuta, idem omnino ſtatuendum ſit de ſimplici partiario, qui cum Domino lucrum partitur, & damnum?

R. Minime gentium. *Hic dicitur de eo colono* (Gloſſa in cap. Propter ſterilitatem, & ſingulatim ſuper. ver. *Magno incommodo*) *qui certam pecuniam annuatim debet, vel certas corbes*: & *non de partiario, qui cum Domino lucrum & damnum partitur, ut dicitur in* §. *VIS MAJOR, quia pro modico damno non datur reſtitutio* —. Accipe §. *Vis major*, qui legitur L. *Si merces* ff. *Locati* — *Vis major ..... non debet conductori damnoſa eſſe, ſi plus, quam tolerabile eſt, læſi fuerint fructus: alioquin modicum damnum æquo animo ferre debet colonus, cui immodicum lucrum non aufertur. Apparet autem de eo nos colono dicere, qui ad pecuniam numeratam conduxit: alioquin partiarius colonus, quaſi ſocietatis jure, & damnum, & lucrum cum Domino fundi partitur* —. Jure quapropter Panormitanus loco ſupra citato exponens hæc Gloſſæ verba — *Et non de partiario* — Et eſt ratio: quia colonus partiarius, qui dicitur mediarius, eſt quaſi ſocius lucri, unde lucra & damna ſunt eis communia: & ita aperte dicit textus in dict. §. *Vis major*. Unde ſcias, quod quandoque colonus colit percipiendo certam quotam puta tertiam partem, vel medietatem, & iſte proprie non dicitur conductor, ſed potius accedit ad naturam ſocietatis; unde jura loquentia de ſocietate



Digitized by Google

diſſolvenda habent locum in iſto. Ita notat Bartolus in dict. §. *Vis major*, quod eſt bene notatum, ut per mortem alterius diſſolvatur hæc ſocietas, nec tranſit in hæredem L. 4. & L. *Nemo poteſt* ff. *Pro ſocio*. Quandoque colonus colit certa mercede conſtituta in pecunia, & iſte dicitur proprie conductor, & contrahitur vera locatio L. *Si merces* ff. eo., & habet locum iſte textus. Quandoque colit mercede conſtituta non in pecunia, ſed in alia ſpecie, puta pro modio frumenti, & proprie non contrahitur hic locatio, ſed eſt quidam contractus innominatus; unde non eſt locatio proprie, niſi interveniat pecunia numerata, ſed eſt quaſi locatio. Ita notanter voluit Gloſſa in L. *Si olei* C. eo., & videtur textus in L. 1. §. *Si quis* ff, *Depoſiti*, & aperte tenuit Bartolus in dict. §. *Vis major*. Sed quoad caſum noſtrum judicabitur ut locatio propter vicinitatem & ſimilitudinem: & hoc notare voluit Gloſſa iſta, dum dicit dando *certas corbes*, quod bene nota —. Hæc ille.

Poſtulabis tertio. An propter ubertatem augeri debeat penſio, ſicuti diminuitur propter ſterilitatem?

R. Iterum audiamus Panormitanum, qui eo loci in fine caſum hunc proponit, eidemque ita reſpondet — Conclude ex notatis hic, & in dict. §. *Vis major*, quod aut ubertas contingit, quia fructus multumvalent ultra ſolitum: & non debet fieri augmentatio, vel diminutio propter utilitatem pretii: quia contractus recipit ſubſtantiam ſuam, & conditio tacita eſt purificata collectis fructibus. Aut ubertas contingit propter induſtriam coloni: & non debet augmentari, ne ſua diligentia ſibi ſit damnoſa. Arg. in L. finali C. *de alluvionibus*. Aut contingit propter bonitatem rei: & non fit augmentatio, quia Dominus locavit bonitatem rei meliori pretio, quo potuit. Aut contingit caſu fortuito, puta locavi molendinum, ex quo conductor ſolebat percipere quinquaginta, nunc autem, quia alia malendina ſunt ruinata, vel quid ſimile, recipit centum: hoc caſu fienda eſt augmentatio penſionis pro rata. Nam ſicut propter caſum fortuitum contingentem fit remiſſio, ut hic; ita debet fieri augmentatio propter ubertatem contingentem caſu fortuito: quia contrariorum eadem eſt diſpoſitio 32. diſt. cap. *Hoſpitiolum*, & L. 1. ff. *de his*, *qui ſunt ſui*, *vel alieni juris*, & notat Gloſſa in ver. *Vitio* ibi —. Hæc ille.

Deci-

Digitized by Google

DEcimus ſeptimus Titulus qui eſt de Fidejuſſoribus, continet unam quæſtionem, ſeu unum Dubium.

Dubium Unicum. Utrum quilibet teneatur fidejuſſori ſuo ſatisfacere de omni damno, quod ex fidejuſsione ei evenit?

Reſpondeo, quod ſic, videlicet de omni eo, quod ex culpa principalis debitoris paſſus eſt propter fidejuſsionem, cap. 2. & 3. Extra *de fidejuſſoribus*. De hoc dixi in Contractibus Conſideratione ſecunda, art. 1., Dubio 4. tertii verbi definitionis uſuræ.

(177) *Qui autem alieno nomine obligatur, fidejuſſor vocatur: & plerumque ab eo, quem proprio nomine obligamus alios accipimus, qui eadem obligatione teneantur: dum curamus, ut, quod in obligationem deduximus, tutius nobis debeatur* — ff. *de obligationibus & actionibus* L. 1. §. 8. Definitur idcirco fidejuſſio: alienæ obligationis in ſe ſuſceptio, qua quis ſe ad eam implendam obſtringitur, principali debitore deficiente. Hinc ſequitur obligationem fidejuſſoris non excedere obligationem debitoris principalis, nec ad plura extendi, textu aperto Inſtitut. *de fidejuſſoribus* §. 5. — *Fidejuſſores ita obligari non poſſunt, ut plus debeant, quam debet is, pro quo obligantur. Nam eorum obligatio acceſſio eſt principalis obligationis: nec plus in acceſſione poteſt eſſe, quam in principali re* —. Fidejuſſio onus eſt, quod tranſit ad hæredes fidejuſſoris, & morte hujus non extinguitur, textu pariter aperto ibidem §. 2. — *Fidejuſſor non tantum ipſe obligatur, ſed etiam hæredem relinquit obligatum* —. Ratio adſignatur ff. *de fidejuſſoribus* L. 4. — *Cum Rei locum obtineat: & Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore* — Regula 77. Juris in Sexto. Quum tanta ſit fidejuſſoris obligatio æquitas poſtulat, quod ſi in gratiam principalis debitoris damnum aliquod patitur, hoc ab eodem compenſetur Inſtitut. ibid. §. 6. — *Si quid autem fidejuſſor pro eo ſolverit: ejus recuperandi cauſa habet cum eo mandati judicium* —: & clarius Extra *de fidejuſſoribus* cap. 2., quod eſt Lucii III. — *Mandamus itaque diſcretioni veſtræ, quatenus ſi ex confeſſione prædictorum Clericorum, vel alias legitime vobis rem ita ſe habere conſtiterit, moneatis*

*eoſdem*

Digitized by Google

*eoſdem, ut memorato R. pecuniam quam pro eis ſolvit, reſtituant, ipſumque ſervent indemnem: alioquin de reditibus eorum prædicta debita faciatis exſolvi, & damna etiam, quæ propter hoc pertulit, reſarciri* —. Sed quoniam fidejuſſor coactus ſolvere pro principali debitore multa damna ſuſtinere poteſt: alia nempe ex ipſa fidejuſſione provenientia, puta ſi debiti ſolutionem ultra tempus conventum diſtulerit principalis debitor, & ob hanc dilationem creditori intereſſe aliquod debeatur: alia vero ipſam fidejuſſionem ſubſequentia, puta quia ſolvendo pro principali cogitur negotium ſuum imminuere, vel fundum aliquem alienare: prima duntaxat reſarcire debet principalis debitor, non ſecunda; quia fidejuſſor ſciens & volens fidejuſſit, & iccirco ſibi imputare debet omne id, quod cum ipſa fidejuſſione non eſt adnexum, ſed eandem duntaxat conſequitur, *ſcienti* enim *& conſentienti non fit injuria, neque dolus* — Regula 27. Juris in Sexto.

Quæres primo. Utrum in aliquibus caſibus poſſit fidejuſſor agere contra principalem debitorem, ut eum a fidejuſſione liberet, antequam ſolvat?

R. Affirmative. Nonnullos enumerat Gregorius IX. Extra *de fidejuſſoribus* cap. 5. inquiens — *Eum, pro quo te fidejuſſorem obligaſti, ſi diu in debiti ſolutione ceſſavit, aut diſſipare bona ſua cœpit, ſeu ſuper hoc condemnatus fuiſti, jure poteris convenire, ut te a fidejuſſione debeat liberare* —: cui concinit L. *Lucius* §. 1. ff. *Mandati* — *Non abſimilis illa, quæ frequentiſſime agitari ſolet: fidejuſſor an, & prius quam ſolvat, agere poſſit, ut liberetur? Nec tamen ſemper exſpectandum eſt, ut ſolvat, aut judicio accepto condemnetur, ſi diu in ſolutione reus ceſſabit: aut certe bona ſua diſſipabit: præſertim ſi domi pecuniam fidejuſſor non habebit, qua numerata creditori, mandati actione conveniat* —. Primus igitur caſus eſt, ſi debitor diu negligat ſolvere, cum poſſit, ſeu diu ſit in culpabili mora ſolvendi, ut ex legibus nunc productis. Secundus, ſi debitor incipiat eſſe prodigus, & bona ſua diſſipare cum periculo fidejuſſoris, ut ex iiſdem legibus. Hoc intellige, ſi debitor ante fidejuſſionem non erat talis: quia ſecus, ſi jam fuiſſet prodigus, & hoc ſciviſſet fidejuſſor; tunc enim ſibi inputare deberet tale periculum ſponte ſuſceptum. Tertius, ſi fidejuſſor a Judice condemnetur ad ſolvendum pro debitore; nam tunc, antequam ſolvat, poteſt agere adverſus debitorem, ut ipſum a fidejuſſione liberet, & ſervet indemnem, ut ex citato cap. *Eum pro quo*. Quartus, quando convenit cum debitore, ut poſt aliquos determinatos annos eum a fidejuſſione liberet: quia ut legitur *C. de pactis* L. penultima — *Pacta conventa, quæ neque contra leges, neque dolo malo inita ſunt, omnino obſervanda ſunt* —. Quintus, ſi fidejuſſit pro promiſſione de evictione, & jam ſecuta evictio eſt; ceſſat enim tunc fidejuſſio, quæ facta ſolum de evictione ponitur. Sextus, ſi juſta de cauſa fidejuſſor, vel debitor vult ſe conferre ad longinquas regiones, diu illuc permanſurus, ut Panormitanus in citat. cap. *Eum pro quo*, & poſt ipſum alii, id præſertim arguentes ex L. 23. ff. *de Procuratoribus*, quæ eſt hujuſmodi-

*Aut*

*Aut longa peregrinatio, & aliæ ſimiles cauſæ impedimento ſint* —. Septimus, ſi debitorem inter & fidejuſſorem graves & capitales exorta ſint inimicitiæ ſine culpa fidejuſſoris, ut Panormitanus loco proxime citato poſt Joannem Andreæ, quem ſequuntur bene multi.

Quæres ſecnndo. Utrum fidejuſſores aliquo beneficio juventur?

R. Triplici beneficio juvantur fidejuſſores, ut optime Panormitanus in cap. 2. *de fidejuſſoribus*, Clericatus in ſuis Erotematis Eccleſiaſticis cap. 88. num. 6. & ſeq., aliique communiter. Primum dicitur diviſionis, ſeu Epiſtolæ divi Hadriani. Secundum vocatur ordinis, ſeu excuſſionis. Tertium denique cedendarum actionum appellari ſolet. Ad primum quod attinet, ſcias oportet, quod jure primitivo nedum quilibet fidejuſſor tenebatur in ſolidum, ſed in caſu plurium fidejuſſorum ſuper una eademque re poterat creditor pro libito totum petere, & exigere ab hoc, vel ab illo, prout ſibi videbatur. Dura erat ſane hujuſmodi Juriſprudentia; & iccirco Hadrianus Imperator Epiſtola ſuper hoc edita conceſſit fidejuſſoribus beneficium diviſionis, vi cujus creditor compellitur dividere debitum inter fidejuſſores, & a quolibet duntaxat exigere pro rata diviſionis, & non amplius. Id omne perſpicuum eſt. Inſtitut. *de fidejuſſoribus* §. 4. — *Si plures ſint fidejuſſores, quotquot erunt numero, ſinguli in ſolidum tenentur. Itaque liberum eſt creditori, a quo velit, ſolidum petere. Sed ex Epiſtola divi Hadriani compellitur creditor a ſingulis, qui modo ſolvendo ſunt litis conteſtatæ tempore, partes petere. Ideoque ſi quis ex fidejuſſoribus eo tempore ſolvendo non ſit, hoc cæteros onerat. Sed ſi ab uno fidejuſſore creditor totum conſequutus fuerit: hujus ſolius detrimentum erit, ſi is, pro quo fidejuſſit, ſolvendo non ſit: & ſibi imputare debet, cum potuerit juvari ex Epiſtola divi Hadriani, & deſiderare, ut pro parte in ſe detur actio* —. Eadem leguntur C. *de fidejuſſoribus* L. *Non recte*, & L. Fidejuſſor §. 1. In novem caſibus ceſſat hoc beneficium diviſionis, ut egregie Clericatus loco laudato num. 10. Primo, quando quis huic beneficio renunciavit, ut communiter fit L. *Si quis in conſcribendis* C. *de pactis*. Secundo, ſi ante diviſionem actionis unus ex confidejuſſoribus deſiit eſſe ſolvendo L. *Fidejuſſor* C. *de fidejuſſoribus*. Quod ſi ad inopiam verget poſt diviſam actionem, periculum ſpectat ad creditorem L. *Liberum* C. eod. Tertio, quando quis negavit ſe fidejuſſorem expreſſe; ſecus ſi generaliter negavit narrata prout narrantur L. *Si dubitet* §. *Ita damnum* ff. eod. (*Ita demum inter fidejuſſores dividitur actio, ſi non inficientur, nam inficiantibus auxilium diviſionis non eſt indulgendum*). Quarto, ſi agatur de fidejuſſore fidejuſſoris, nam tunc primus fidejuſſor reputatur debitor principalis L. *Si plures* §. final. ff. eod. Quinto, in fidejuſſoribus tutorum, nam favore pupillorum hoc beneficium non datur iiſdem fidejuſſoribus L. *Si plures* ff. *Rem pupilli ſalvam facere*. Sexto, ſi aliquis confidejuſſor non ſit efficaciter obligatus, ut ſi ſit mulier, vel minor L. *Si Titius* ff. eod.

Septi-

Septimo, quando diverſis temporibus fidejuſſerunt: Vincentius de Franchis deciſ. 55. num. 11. Octavo, quando plures fidejuſſores intervenerunt non pro tota ſumma, ſed pro certa quantitate: quia tunc quilibet tenetur juxta ſuam promiſſiomem aut majorem aut minorem. Ita Sacr. Congreg. apud Nicol. Lib. 3. tit. 21. §. *Si plures* num. 6. in fine. Et nono, quando fidejuſſor conventus neglexit opponere hanc exceptionem Gloſſ. in dict. §. *Si plures* in ver. *partes* —. Hactenus Clericatus, qui hac ultima citatione appellat Inſtitut. *de fidejuſſoribus* §. *Si plures* —.

Poſtulabis forſan hic: Ubi reperiatur hujuſmodi Epiſtola Hadriani Imperatoris? Huic poſtulationi reſpondet Gloſſa in citat. §. *Si plures*, & in ver. *ex Epiſtola* — *Non habemus eam ſcriptam: multoties tamen de ea mentionem facit lex, ut hic, & C. DE CONSTITUTA PECUNIA L. final.* —. En hujuſmodi legem — *Divi Hadriani Epiſtolam, quæ de periculo dividendo inter mandatores, & fidejuſſores loquitur, locum habere in his etiam, qui pecunias pro aliis ſimul conſtituunt, neceſſarium eſt* —. Scripta quidem ea fuit, & ante oculos certe eandem habuerunt conditores legum, quum veriſimile non ſit Imperatores, & Juriſconſultos, quos ipſi adhibuerunt, in re tacti, & tanti momenti voluiſſe nobis imponere. Optandum vehementer eſſet, quod eam inter leges collocaſſent. Cur ſecus egerint, ſcriptum non invenio. Celeberrima illa Epiſtola injuria temporis periit, & noſtra hac ætate omnino deſideratur.

Secundum beneficium eſt ordinis, ſeu excuſſionis: & vi hujus creditor non poteſt convenire fidejuſſores, neque eos excutere, niſi prius excuſſerit principalem debitorem, & eum repererit non ſolvendo. Perſpicuum id eſt Authentica *Præſente* C. de *fidejuſſoribus Præſente tamen utreque non permittitur interceſſorem conveniri, priuſquam reus inventus eſt minus idoneus, ſive in totum, ſive in partem. Abſente autem reo, præſens interceſſor jure quidem convenitur. Ipſo tamen deſiderante Judex definiet tempus, intra quod deducat reum primo conveniendum, ipſo in ſubſidium reſervando. Nam tranſacto tempore compellitur interceſſor ſatisfacere, ceſſis ſibi a creditore actionibus, abſque diſtinctione contractus, ſive interceſſionis* —. Et hoc beneficium ceſſat in nonnullis caſibus. Primo, (ita Clericatus loco ſupra laudato num. 8.) quando fidejuſſor illi renunciavit, ut communiter fieri ſolet. Gloſſ. in Authent. *Hoc ita* C. *de duobus reis*, L. *Si quis in conſcribendo* C. *de pactis*. Et non ſolum expreſſe, ſed etiam tacite; nempe quando ſe obligavit vel cum juramento, vel in forma Cameræ. Zacchias apud Cencium de cenſibus q. 32. num. 3. Secundo, quando debitor eſt abſens, & in termino aſſignato fidejuſſor eum non conducit, dict. Authent. *Præſente*: vel debitor obiit ante ſolutionem L. *Fidejuſſor*, ubi Gloſſa in §. final. *de fidejuſſoribus*. Tertio, quando notorium eſſet debitorem non eſſe ſolvendo, dict. Authent. *Præſente*. Quarto, quando conſtat principalem debitorem eſſe rixoſum,

præ-

Digitized by Google

præpotentem, & difficilem nimis, qui poſſit excuti: quod notandum eſt pro iis, qui fidejubent pro Dominis potentibus, L. *Si quis ſtipulatus* §. final. ff. *de verborum obligationibus*. Quinto, ſi creditor ſit debitor fidejuſſoris, & velit compenſare ſuum debitum cum illo. Baldus in L. *Exceptione* C. *de evictionibus*. Sexto, quando principalis non eſt obligatus civiliter, ſed naturaliter tantum L. *Marcellus* ff. *de fidejuſſoribus*. Septimo, quando negavit ſe fidejuſſorem, & fuit convictus de mendacio. Arg. L. *Si dubitet* §. *Ita demum* ff. *de fidejuſſoribus*. Octavo, ſi ante litem conteſtatam fidejuſſor hoc beneficium non petiiſſet. Doctores in dict. Authent. *Præſente* —. Hæc ille.

Non deſunt opinantes, fidejuſſorem adhuc poſſe hoc beneficio juvari, tametſi ſe obligaverit cum juramento. Ipſorum ratio non contemnenda hæc eſt, quod juramentum validat quidem, & corroborat contractum, atque actum, ſuper quo interponitur, ſed non tollit juranti privilegium ipſi conceſſum per Authent. *Præſente*, ut videlicet non conveniatur, principali debitore nondum excuſſo. Et reipſa aliud eſt ſuſcipere in ſe obligationem alienam, & aliud ſolvere pro alio, hoc prius non excuſſo. Primum certe juramento firmatur; non autem ſecundum.

Tertium beneficium erat cedendarum actionum. Cum nulla actio de jure competat fidejuſſori contra alios confidejuſſores, poteſt obligare creditorem principalem, antequam ſolvat debitum, ut ſibi cedat actionem ſuam contra eoſdem confidejuſſores, ad hoc ut poſſit agere ad ſuum levamen contra ipſos. Et hoc perſpicuum eſt L. *Fidejuſſoribus* ff. *de fidejuſſoribus Fidejuſſoribus ſuccurri ſolet, ut ſtipulator compellatur ei, qui ſolidum ſolvere paratus eſt, vendere cæterorum nomina* —. Super hac lege ita Gloſſa — Caſus. Mutuavi Titio mille aureos. Ipſe dedit mihi tres fidejuſſores pro iſta ſumma. Convenit unum in ſolidum, qui mihi totam ſummam ſolvit. Quæritur quomodo ſuccurritur iſti, qui totum debitum ſolvit? R. Quod ego debeo ei cedere actiones, quas habeo adverſus cæteros fidejuſſores, ut ipſe poſſit recuperare quod ſolvit —. Hactenus Gloſſa, quæ ſuper ver. *Nomina* appoſite adnotat — *Non in ſolidum, ſed pro rata, ideſt pro parte cæterorum* —. Huc confert L. *Cum alter* C. *de fidejuſſoribus* — *Cum alter ex fidejuſſoribus in ſolidum debito ſatiſfaciat, actio ei adverſus eum, qui una fidejuſſit, non competit. Potuiſti ſane, cum fiſco ſolveres, deſiderare, ut jus pignoris, quod fiſcus habuit, in te transferretur: & ſi hoc ita factum eſt, ceſſis actionibus uti poteris* —. Si quis opponat L. *Ut fidejuſſor* ff. *de fidejuſſoribus* — *Ut fidejuſſor adverſus confidejuſſorem ſuum agat, danda actio non eſt: ideoque ſi ex duobus fidejuſſoribus ejuſdem quantitatis, cum alter electus a creditore totum exſolvet, nec ei ceſſæ ſint actiones, alter nec a creditore, nec a confidejuſſore convenietur* —: reſpondeo verba illa — *danda actio non eſt*, intelligenda eſſe, quod non ſit danda a lege, nec a Judice, ſed a cre-

Digitized by Google

a creditore, ut ſapienter adnotat Gloſſa ſuper iiſdem. Certum eſt igitur, quod de jure nulla actio competit fidejuſſori contra confidejuſſorem, ut dicit L. *Cum alter* nunc recitata; & iccirco, ut agat, ceſſio ei fieri debet a creditore ipſo, ſicuti loquitur L. *Fidejuſſoribus* itidem recitata. Hac habita ceſſione, quæ etiam dicitur ſubſtitutio, ſeu Beneficium ceſſionis jurium creditoris, agere tunc poteſt contra confidejuſſorem, & ab eodem exigere, quod debebat creditori pro rata.

*FINIS TOMI PRIMI.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google